ORUM

[illegible]

HYMENOPTERORUM

ICHNEUMONIBUS AFFINIUM,

MONOGRAPHIÆ,

GENERA EUROPÆA ET SPECIES ILLUSTRANTES.

SCRIPSIT

CHRIST. GODOFR. NEES AB ESENBECK DR.

ACADEMIAE C. L. C. NATURAE CURIOSORUM PRAESES, PROFESSOR BONNENSIS.

VOLUMEN PRIMUM,

ICHNEUMONIDUM BRACONOIDEORUM ET ALYSIOIDEORUM, TUM EVANIALIUM MONOGRAPHIAS COMPLECTENS.

STUTTGARTIÆ ET TUBINGÆ

SUMPTIBUS J. G. COTTÆ.

1834.

HYMENOPTERA,

ICHNEUMONIBUS AFFINIA.

GRAVENHORSTIO,

PROFESSORI VRATISLAVIENSI,

NEESIUS AB ESENBECK.

S. P. D.

Cum ante hos viginti annos, rure degens, ad insectorum studium me applicarem, eas praesertim ex immenso insectorum agmine mihi elegi familias accurata observatione illustrandas, in quibus plurima adhuc occulta latere et opera mea in lucem protrahi posse videbantur. Exempla erant, quae Tu, vir clarissime, iisdem fere diebus in disponendis et recensendis insectis *Micropteris* profeceras, qui novam quasi creationem in his minimis, ad Tua usque tempora fere nullis, suscitavisses et omnium ante oculos proposuisses.

Te duce atque magistro me in his exiguis bestiolis ita exercui, ut mox eas circumspicere auderem, ex quibus similis quaedam praeclari Tui laboris materies mihi affluerct.

Tum vero Hymenopterorum agilem ordinem singulari voluptate lustrando, in solis *Ichneumonibus* angustae cujusdam regionis rite cognoscendis hominis vitam consumi, relinqui autem plurima posteris cognovi mihique proposui, aliquam saltem partem eorum pro viribus tractare.

Quibus a me auditis, Tu *Ichneumonologiae Europaeae* consilium, pridem a Te susceptum, aperuisti et reliquarum Familiarum, his affinium, historiam ut ego aggrederer eoque Hymenopterorum Ichneumonidum Monographiam veluti supplemento perficerem, ipse suasor mihi et auctor fuisti.

Ex eo tempore istorum insectorum plurima, tum maxime a me ipso inter otia ruris collecta, tum alia etiam a Te et ab amicis nostris addita, comparavi, examinavi, dissecui, adnotationibus

descriptionibusque illustravi, quorum in Annalium Societatis Amicorum Naturae Scrutatorum Berolinensium (Magazin der Gesellschaft naturforschender Freunde zu Berlin) voluminibus V, VI et VII, annis 1811—1813 editis, aliqua specimina exhibui, sed rudi ea quidem nimisque fugaci manu expedita.

Paulo post accuratiorem generum expositionem dedi in appendice ad „*Conspectum Generum et Familiarum Ichneumonidum*," quem Tu a. 1818 Actorum Academiae C. L. C. Naturae Curiosorum Volumini nono inseruisti. At vero justo brevior erat ista descriptio, paucisque, quod doleo, entomologis facilis intellectu.

Crevit inter haec rerum et observationum copia; tentabantur a me novae partium oris in diversis generibus, vel in minimis, analyses, neque eae sine

fructu; genera, ex habitu corporis primum delineata magis quam condita, nunc, characteribus partialibus et universalibus congruis, verbis clarioribus describi lectoribusque explicari posse videbantur.

Non potuit itaque non gratus et exoptatus mihi venire nuncius, exactum Tibi jam esse opus viginti quinque annorum, *Ichneumonologiam Europaeam*, opus in parvis grande, stupendae assiduitatis, summi acuminis, industriae indefessae, candidissimae naturae contemplationis documentum. Quem nuncium tam brevi tempore secutus est ipse liber Tuus in tria volumina divisus, tantaque elegantia impressus, ut nesciam, utrum magis alacritatem Tuam in corrigendo libro admirer, an pulchritudinem operis typographicam extollam, animumve Tuum sumtus in his vili pendentem, laudem. Nunc autem tempus esse in-

tellexi, ad propositum meum, per spatium quoddam temporis non neglectum quidem a me aut abjectum, revera tamen inter recreationes animi magis quam inter studia relatum, revertendi et opus de Ichneumonibus, a Te, amice, relictis, serio labore retractandi. Sunt itaque haec mea volumina veluti Supplementa Operis Tui, per se quidem absoluta et singulas seorsumque sibi constantes partes, seu *Monographias*, absolventia eorum Hymenopterorum Europaeorum, quae, Ichneumonibus veris ratione vitae et structura corporis propinqua et a Linneo eodem nomine pleraque appellata, nunc accuratius perspectis eorum natura et indole in diversa genera, quin etiam in diversas sectiones distribuuntur.

Habes, quae nostro labori a Te ipso mandata erant; quorum *primum volumen* tres Mono-

graphias complectitur, *Ichneumonidum* scilicet areola speculari Fallenii carentium, i. e. *Braconoideorum* et *Alysioideorum*, quos olim communi *Ichneumonidum adscitorum* nomine appellaveram, tum vero *Evanialium* parvae Familiae, a Latreillio propositae.

In *altero* volumine, quod, Deo favente, proximis feriis paschalibus in lucem prodibit, Familias *Pteromalinorum* Dalmani, et *Proctotrupinorum* Latreilleanorum ordine enarrabo.

Quae ut benevole accipias meque diligas, rogo et opto.

Scribebam Bonnae ad Rhenum die XXV Augusti a. MDCCCXXIX.

INTRODUCTIONE

post *Gravenhorstii Ichneumonologiam Europaeam* (Vratislaviae 1829 III. Vol. 8) non opus est, cum nihil novi adjiciendum sit iis, quae in primo ejus operis volumine a p. 1 — 98 leguntur. Index librorum, Ichneumonum historiam tractantium, locupletissimus; historia culturae, seu studii Ichneumonidum doctissima, adumbratio partium corporis horum insectorum lucidissima, rationis vitae, victus, propagationis, metamorphoseos expositio succinctissima in istis paginis traditur et omnis fere exhauritur de his in universum ulterius disputandi materia. Quae restant, singulis sunt propria seorsumque suo quaeque loco tractanda.

Missis igitur omnibus explicationum praemittendarum ambagibus, lectores ad ea rejicimus, quae in libro laudato exponuntur; est enim Gravenhorstii opus, ut supra jam monuimus, cum hoc nostro arctissimo rerum, in utroque tractatarum, vinculo junctum, tametsi modus eas

tractandi aliquantum diversus magisque in nostro opere Latreilleanae methodo applicatus videatur.

Id solum moneo, plus dimidio specierum, ex hisce familiis describendarum, novas esse et a memet ipso primum in Germania inventas atque illustratas.

F A M I L I A.

ICHNEUMONIDES.

Antennae multiarticulatae (articulis, paucissimis exceptis, ultra sedecim), rectae. *Alae* areolis cubitalibus, radiali et brachialibus distinctis. Terebrae vagina bivalvis, exannulata.

ICHNEUMONIDES ADSCITI.

Areola speculari, seu discoidali interna, nulla.

I.

MONOGRAPHIA

ICHNEUMONIDUM BRACONOIDEORUM.

ICHNEUMONIDES BRACONOIDEI.

Ichneumonides adsciti Lin. II. Bracones, N. ab E. Nov. Act. Ac. C. L. C. Nat. Cur. IX. p. 301. *Berl. Mag. V. p.* 3. *Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 50. (*excl. nonnullis sectionibus*). *Petioliventres Antennis extensis. Fam. I. Ichneumonides. Div. II. Alis area speculari* *) *destitutis Fellén. Nova meth. Hymen dispon. Spec. pleraeque, exclusis illis, quae ad Alysioideas pertinent. Grav. Ichn. Eur. I. p.* 59.

Palpi maxillares quinquearticulati, *labiales* plerisque triarticulati, paucissimis quadriarticulati. *Areolae cubitales* variae, una, vel duae, vel tres (intermedia tum quadrata magna minutissimave, quibusdam stapiaeformi); *nervus recurrens solitarius* **), vel *nullus.*

Habitus totius Familiae debilitatem quandam exprimit. *Pedes* in plurimis graciles. *Abdomen* plerumque sessile, capitis thoracisque longitudinem non superans, ovatum, oblongum, depressiusculum, in perpaucis a basi tenui lineari-elongatum, capite thoraceque longius; in nonnullis petiolatum, petiolo plus minusve elongato; tum pars dilatata abdominis cum capite thoraceque quoad longitudinem apte consentit. *Terebra* in plurimis exserta. *Alae* saepe obscurius coloratae, fasciatae aut maculatae. Color luteus, rufus, niger; pictura, si adest, minus expressa. *Scutelli* nulla colorum distinctio. *Antennae* nunquam fasciatae. *Palpi maxillares* in plurimis maxime

*) Area specularis est, quae nervis binis recurrentibus includitur.

**) Qua nota Bracones ab *Ichneumonibus, proprie sic dictis*, et a Gravenhorstio in celeberrimo libro, qui *Ichneumonologia Europaea* inscribitur, expositis, facili negotio distinguuntur, quippe qui omnes *nervis binis recurrentibus* gaudeant.

elongati, *labiales* breves in omnibus. *Labium* breviter fissum vel integrum. *Mandibulae* infirmae. *Antennae* omnium *Ichneumonidum* gracillimae, setaceae, saepe longitudine corporis.

Ex altera parte haec Tribus Ichneumonibus genuinis, mediante Alomya, accedit, statura elongata, capite crasso, fere cubico, subdepresso; palpis brevibus; oris partibus in cavitate infera capitis fere reconditis, qualis conformatio in genere *Stephanus* Jur deprehenditur.

Ex altera vero parte Tribus ista *Ichneumonidibus Alysioideis*, de quibus deinceps agendum, mediante genere *Alysia*, connectitur abdominis segmentis anterioribus planioribus, maioribus, plus minusve rugulosis; alarum stigmate magno, aliisque notis, quae in genere Microgaster, e Braconum familia, observantur.

Microgasteres, antennis validioribus et structura terebrae a forma universali familiae suae declinantes, ad *Sigalphos*, ad *Ichneumonides Alysioideos* pertinentes, transitum parant.

S Y N O P S I S

GENERUM ICHNEUMONIDUM BRACONOIDEORUM.

A. Abdomine petiolato.

† Palpis maxillaribus quinquearticulatis.

- *a.* Palpis labialibus quadriarticulatis: . . . . Gen. I. *Stephanus* Jur.
- *b.* Palpis labialibus triarticulatis;
  - *α.* subaequalibus, petiolo plano: . . . . Gen. II. *Coelinius* N. ab E.
  - *β.* subaequalibus, petiolo tereti: . . . . Gen. IV. *Aphidius* N. ab E.
  - *γ.* inaequalibus, petiolo lineari: . . . . Gen. III. *Spathius* N. ab E.
  - *δ.* inaequalibus, petiolo conico: . . . . Gen. VI. *Perilitus* N. ab E.

†† Palpis maxillaribus quadriarticulatis (labialibus triarticulatis): . . . . Gen. V. *Hybrizon* Fallén.

B. Abdomine sessili. (Palpis maxillaribus quinquearticulatis in omnibus.)

† Palpis labialibus quadriarticulatis: . . . . Gen. IX. *Agathis* Latr.

†† Palpis labialibus triarticulatis;

- *a.* capitatis: . . . . Gen. VII. *Leiophron* N. ab E.
- *b.* filiformibus;
  - *α.* abdomine thorace longiore convexo vel depressiusculo, mandibulis minutis submembranaceis inermibus: . . . . Gen. X. *Microdus* N ab E.
  - *β.* abdomine thorace longiore convexiusculo vel depresso, segmentis sensim decrescentibus, mandibulis corneis apice dentatis, antennis setaceis: Gen. VIII. *Bracon* Fabr.
  - *γ.* abdomine thorace longiore depresso, primo segmento maximo, mandibulis corneis obtuse emarginatis, antennis setaceis: . . . . Gen. XII. *Ichneutes* N ab E.
  - *δ.* abdomine thorace paulo longiore depresso - plano, mandibulis corneis bifidis, antennis moniliformibus: . . . . Gen. XI. *Hormius* N ab E.
  - *ε.* abdomine longitudine thoracis vel breviore depresso: . . . . Gen. XIII. *Microgaster* Latr.
  - *ζ.* abdomine longitudine thoracis compresso: . . . . Gen. XIV. *Blacus* N. ab E.

GENUS I.

STEPHANUS Jur.

Jur Hymen. p. 9. *n. IV. tab.* 7. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 3. *n. CCCCXXXVIII. N. ab E. Nov. Act. Ac. C. L. C. Nat. Cur. IX. p.* 301. *Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 50. *Spin. Illig. Bracon Fabr. Panz. Pimpla Fabr.? Ichneumon Fabr.*

στέφανος corona.

Caput cubicum. *Prothorax* conico-angustatus. *Abdomen* convexum, petiolo longo cylindrico. *Areola* radialis lanceolata; *cubitales* duae obliquae.

Palpi maxillares quinquearticulati, elongati, articulis tribus ultimis longissimis subaequalibus; *labiales* quadriarticulati. *Mandibulae* breves, apice tridentatae pilosaeque.

1. Stephanus *coronatus* Jur.

Synon. *Stephanus coronatus. Jur. Hymen. p.* 93. *t.* 7. *n.* 4. *Panzer Faun. Germ. XXVI.* 13. *Krit. Rev. p.* 77. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 4.

Bracon serrator. Fabr. S. P. p. 108. *n.* 29.

Ichneumon serrator. Fabr. E. S. Suppl. p. 224. *n.* 106 — 7.

Ichneumon couronné. Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p. 178.

Caput crassum, inter antennas tridentatum, fronte rugosa, colore atro; *Mandibulae* piceae. *Thorax* ater. *Abdomen* rufum, apice obscurius. *Terebra* longitudine corporis, vaginis nigris. *Pedes* nigri, tibiis tarsisque rufis; coxae et femora apice alba; femora postica incrassata, subserrata. *Alae* angustae, fusco-hyalinae, stigmate fusco; macula fasciave obsoleta hyalina a stigmate descendente.

Mas femina minor et paulo angustior.

Habitat in Gallia, Helvetia, rariusque etiam in Germania. In ligno exsiccato degere, volandoque ventrem ad angulum fere acutum metathoracem versus attollere Jurineus memorat.

GENUS II.

COELINIUS. *)

N. ab E. Nov. Act. Ac. C. L. C. Nat. Cur. IX. p. 301. *n. II. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 50. *Stephanus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 4. *n. I. Bracon. spp. Panz. Krit. Rev. p.* 77. *nota ad Stephanum coronatum.*

Κοῖλος cavus, ob occiput excavatum.

Caput subcubicum, occipite excavato. *Prothorax* brevis, ovatus. *Abdomen* depressiusculum, petiolo lineari metathoraci infero inserto. *Areola radialis* semiovata, ab apice alae remota; *areolae cubitales* duae, quarum posterior indeterminata. *Terebra* non exserta.

Palpi filiformes, breves, *maxillares* et *labiales* subaequales, articulo primo brevissimo, ultimo gracili acuto; maxillares quinquearticulati, labiales triarticulati. *Labium* apice membranaceum, emarginatum. *Mandibulae* breves, subbifidae.

1. Coelinius *parvulus.*

C. ater, nitidus, albido-pubescens, abdominis segmento secundo apice, tertio, quarto, quinto pedibusque rufo-piceis. Mas. Fem.

Synon. (*maris*) *Ichneumon circulator. Gravenhorst*, *Verzeichn. n.* 3747. (*Fide exempli*, *ab ipso clar. Gravenhorstio missi.*)

Stephanus parvulus. Gravenh. in Litt. N. ab E. Mag. d. Berl. Gesellsch. V. p. 4. *n.* 1.

Long. lin. 3. *Caput* crassum, depresso-cubicum, fronte convexiuscula lata; postice emarginato-subdeflexum, collo tenui brevi, occipite concavo recepto, thoraci annexum. Hypostoma subtransversum planiusculum. Oris partes latentes. *Antennae* mediae fronti insertae, filiformisubsetaceae, corpore longiores, porrectae; oculi laterales, parvi, subimmersi. *Thorax* antice posticeque parum an-

---

*) Nomina, tam *generum*, quam specierum, quae nullo auctore citato occurrunt, ab auctore operis inventa sunt, et nova genera vel species novas designant.

gustatus, subtruncatus, punctulatus, pubescens, uti caput ater, immaculatus. *Metathorax* cylindrico-productus, rugulosus, opacus, dorso subcarinatus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, segmento petiolari filiformi-cylindrico, juxta coxas posticas inserto, ruguloso, lineis quibusdam elevatioribus notato, nigro; secundo planiusculo, longitudinaliter subbiimpresso, a basi ad apicem sensim dilatato, nigro-fusco, margine postico rufo-piceo; tertio, quarto paulo latioribus longitudine decrescentibus, rufo-piceis; quinto transverso, piceo; reliquis brevibus, nigris albido-pubescentibus. Anus rotundatus genitalibus in formam mucronis minutissimi exsertis. *Pedes* graciles; anteriores toti rufi; postici rufi, coxis, femorum apicibus, tibiis tarsisque totis nigris. Coxae mediae et posticae crassae, elongatae. Trochanteres graciles. Femora ex tenui basi subclavata. Tibiae et tarsi elongati, graciles. *Alae* oblongae, cinerascentes, nervis et stigmate fuscis; areola radiali ovata. Nervus recurrens cum ipso nervo separante concurrit.

Mas differt a femina: Antennarum articulis quatuor anterioribus rufis; abdomine graciliore, ano apicula nulla, colore segmentorum mediorum pallidiore, ultimorum magis fusco; tibiis mediis totis testaceis, posticis testaceis, apice fuscis, tarsis omnibus testaceis.

Femina prodiit mense Julio e pupa oblonga, folliculata, candida, contextu denso sericeo formata, quae larvae cuidam emortuae adglutinata erat. Alterum individuum femineum cepi mense Maio in pratis humidis prope *Sickershausen.*

Marem unum iisdem locis ipse cepi; alterum misit cl. *Dahl*, in agro Viennensi captum.

V a r i e t a s:

β. Pedibus anterioribus totis rufis, tarsis apice fuscis, posticis coxis itidem rufis, femoribus tibiisque apice, tarsis totis fuscis, *Abdominis* secundo segmento basi striato. *Metathorace* ad speciem breviore, crassius ruguloso et rugis duabus mediis longitudinalibus subparallelis undulatis elevatioribus notato.

Cepi mense Maio in pratis humidis prope *Sickershausen* vespertino tempore.

2. Coelinius *niger.*

C. ater, nitidus, subpubescens, pedibus anticis rufis. Mas.

Synon. *Stephanus niger N. ab E. Berl. Mag. V. p. 5. n. 2.*

Long. lin. 2. Praecedenti quoad staturam simillimus, sed paulo minor. *Caput* magis transversum; *Mandibulae* hiantes bifidae, lobis acutis, accedente lobulo tertio acuto. *Antennae* graciles, longitudine corporis, fuscescentes. *Abdomen* lineari-subspathulatum, dorso valde depresso. *Pedes* antici coxis trochanteribusque mox nigris, mox rufis; tibiae posteriores basi piceo-rufescentes; tarsi mox nigri, mox piceo-rufi. *Alae* subobscure-hyalinae, nervis et stigmate fuscis. Areola prima cubitalis nervum recurrentem pone medium excipit.

Unum cepi *marem* mense Augusto in gramine prope *Sickershausen.*

Feminam non vidi.

Varietates:

α. Minor, tarsis pallidis. Nervo recurrente interstitiali.

Unum individuum *marem* cepi die 21 Augusti prope *Sickershausen* in Bupleuri falcati floribus.

β. Abdominis segmento secundo rufescente.

Captus ibidem die 20 Junii in Loto corniculato, locis apricis.

Feminam non vidi.

GENUS III.

SPATHIUS.

N. ab E. Nov. Act. Ac. C. L. C. Nat. Cur. IX. p. 301. n. III. Gravenh. Ichn. Eur. I. p. 51. Bracon Fam. II. B. Species heteroclitae I. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 24 sqq. Bracon sp. Spin. Cryptus sp. Fabr. Panz. Ichneumon specc. Lin. Vill. Fabr. Schrank, Rossi, Gravenh.

Σπάθη, rudicula ob abdomen spathulatum.

Caput transversum, vertice lato. *Prothorax* brevis. *Abdomen* depressum, obovatum, petiolo longo lineari. *Areo-*

lae cubitales tres, majori nervum recurrentem excipiente. Terebra exserta.

Palpi maxillares quinquearticulati, praelongi, articulis filiformibus; *labiales* triarticulati, etiam filiformes. *Labium* apice membranaceum, emarginatum. *Mandibulae* breves, angustae, bifidae. *Antennae* graciles, filiformes, longitudine corporis, multiarticulatae.

Caput subquadratum. *Abdomen* capite thoraceque longius, segmento petiolari longitudinis dimidiam partem explente, lineari, postice paulo ante apicem parum dilatato; secundo campanulato, maximo; tum tertio, reliquis brevissimis, hinc abdomen, demto petiolo, breviter ovatum. *Pedes* femoribus subclavatis. *Alae* angustae, lanceolatae, obtusae; stigmate oblongo; *area radiali* oblongo-ovata, magna, in apicem alae acute excurrente; *cubitali prima* parva, ex rhombeo trapeziformi obliqua, *secunda* magna elongata, oblonga, antice angustiori, nervum recurrentem ad originem excipiente; *tertia* paulo breviori at latiori secunda, apicem alae attingente.

1. Spathius *clavatus.*

Sp. flavo-ferrugineus, thorace abdomineque postice fuscescentibus; terebra longitudine corporis; alis hyalino-fuscoque obsolete nebulosis, stigmate fusco, antice albido. Mas. Fem.

Synon. *Cryptus clavatus. Panz. Faun. German. CII.* 16. (*mas.*)

(*Area secunda cubitalis in icone non clausa quidem, sed reliqua quam maxime congruunt.*)

Cryptus mutillarius. Fabr. S. P. p. 88. *n.* 81.

Ichneumon mystacatus. Schr. Enum. Ins. Austr. Vill. E. L. III. p. 183. *n.* 149.

Ichneumon exarator. Lin. Vill. l. c. p. 169. *n.* 104?

Ichneumon immaturus. Gravenh. Verz. n. 3753. *Id. Litt. d. d.* 6 *Dec.* 08. *IV.*

Bracon clavatus. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 25. *n.* 38.

Long. lin. 2—2 ½. *Caput* ferrugineum, palpis elongatis, albidis; antennis filiformibus, longitudine corporis, testaceis; mandibulis apice fuscis. Oculi fusci. Stemmata capiti concoloria. *Thorax* ferrugineus, inter alas (in aliis dorso fere toto) pectoreque medio fuscis. Scutellum semi-

circulare; sulculus transversus curvus sub scutello. *Metathorax* planiusculus, laevis. *Areolae* tres, minores magis posticae, brevius indicatae; media elongato-pentagona, antrorsum in lineam elevatam, ad scutellum ductam, per medium dorsum metathoracis excurrit. Petiolus longitudine reliqui *abdominis*, linearis, postice subdilatatus, planus, submarginatus, ante medium utrinque tuberculatus, dorso punctato-rimulosus, rimulis antice obsoletioribus, pulchre ciliatus. Segmentum secundum maximum, campanulato-conicum, basi subtilissime rimuloso-punctatum, pone medium laeve, hinc et reliqua segmenta, quae breviora, obscuriora, ano tamen in nonnullis pallidiore, quo fascia in his segmentis oritur fusca. *Terebra* longitudine corporis, seta laevigata saturate rufa, valvulis pubescentibus pallidioribus apice fuscis. *Coxae* anteriores albae; posticae flavescentes, obsolete fusco-maculatae. *Trochanteres* omnes albi. *Femora* clavata, antica extus piceo-fusca, intus pallide testacea, media piceo-fusca, basi apiceque parum pallidiora; postica piceo-fusca, macula obsoleta baseos supera pallida. *Tibiae* omnes basi ipsa rufae, tum late albidae, qui color annulo fusco terminatur, inde ad apicem usque rufae; tarsi rufi, ungue fusco. *Alae* obscure-hyalinae, litura obsoletissima in disco ante aream cubitalem primam, et altera distinctiore, a stigmate orta, transversali, fuscescentibus. Nervi et stigma fusca, hoc antice puncto albo, postice limbo radiali pallescente.

Mas feminae similis; 1 ½—2 lin. longus. *Antennae* corpore longiores, obscuriores. *Pedes* rufo-ferruginei, coxis posticis concoloribus, anterioribus trochanteribusque ut in femina; femoribus mediis clava parum obscuriori, posticis fuscescentibus; tibiis iisdem basi indistincte pallidis, apice, ut reliquis et tarsis omnibus, rufo-testaceis. *Abdominis* petiolus minus evidenter rimulosus, hoc ipsum vero paulo magis elongatum.

Frequens occurrit aestate autumnoque in fruticibus, nec raro in fenestris cubiculorum reperitur. Praeter individua ea, quae ipse prope *Sickershausen* cepi, vidi etiam alia quamplurima, in *Sudetis*, prope *Brunsvicum* a cl. *Gravenhorstio*, prope *Norimbergam* a *Sturmio*, in agro *Viennensi* a *Dahlio* lecta. In larvis eleutheratorum phytophagorum, v. gr. Coccinellarum, Galerucarum, ova deponere verosimile est.

Varietas:

α. Abdomine concolore, apice non infuscato. Fem. Hujus varietatis unum individuum e *Sudetis* allatum est.

2. Spathius *rubidus.*

Sp. rufus, abdomine, petiolo excepto, nigro, terebrae longitudine; alis fuscis, basi, fascia media, apiceque hyalinis. Fem.

Synon. *Bracon. rubidus Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 137. *n.* 23. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 24.
Ichneumon rubidus. Ross Mant. App. 2. 110. 88.

Long. lin. 1 1/4. *Antennae* rufae in utroque sexu, corpore fere duplo longiores. Caput splendide rubrum; oculis, macula verticis, mandibularum apice, nigris; stemmatibus hyalinis translucidis; palpis rufis. *Thorax* itidem splendide ruber, inter alas paulo obscurior; metathorace laevigato, lineolis tribus longitudinalibus paulo elevatis et vix conspicuis; pectore rubro. *Abdomen* longe petiolatum, nigrum; petiolo minus elongato quam in praecedente, planiusculo, ruguloso-substriato, ante medium utrinque tuberculo parvo aucto, obscure rubro; secundo segmento magno, basi punctato, margine laevigato; reliquis abbreviatis laevibus. Terebra basi rubescens, apice nigra, longitudine abdominis. *Pedes* antici omnino rufi; intermedii rufi; tibiis nigris macula basilari alba; postici coxis, trochanteribusque rubris, femoribus rufis, tibiis nigris basi albo maculatis; tarsis pallido brunneis vel albidis apice nigris; femora omnia incrassata. *Alae* hyalinae: superiores fasciis duabus latis fuscis, stigmate nigro macula alba notato, area secunda cubitali magna nervum recurrentem excipiente; inferiores hyalinae.

Mas statura minore distinctus, antennis longioribus, pedibus totis rubris, abdominisque petiolo prorsus nigro.

Varietas.

Femoribus posticis nigris.

Species varietasque habitant in Liguria, haud infrequentes.

GENUS IV.

APHIDIUS.

N. ab. E. Nov. Act. Ac. C. L. C. Nat. Cur. IX. p. 302. *n. IV. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 51. *Bracon. Fam. I. Species una heteroclita Sect. I.; Fam. II. Species heteroclitae II. B. et III. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 17. *et* 27. *sqq. Ophion Panz. spec. Cryptus spec. Fabr. Ichneumon spec.; Lin. Vill. Geoffr. Fabr. Hybrizon spec. Fallén?*

Nomen a vita in *Aphidibus* desumtum.

Caput transversum, vertice lato. *Prothorax* brevis. *Abdomen* convexum, petiolo brevi cylindrico. *Antennae* articulis paucis (duodecim-vigintiquatuor). *Areolae cubitales* tres, vel duae, vel una. *Terebra* non exserta.

Palpi maxillares et *labiales* filiformes, breviusculi; illi quinquearticulati, hi triarticulati. *Labium* angustum, breve, vix emarginatum. *Mandibulae* angustae, bifidae, saepe post mortem hiantes.

Habitus. Species parvae, pleraeque metamorphosin in Aphidibus subeuntes, quarum corpora, Aphidii ovis praegnantia, foliis arctius inhaerent, tumentiaque denique exsiccantur.

SECTIO I.

Bracon. Fam. I. Species una heteroclitarum Sectionis I. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 17.

Antennae duodecimarticulatae. *Areolae cubitales* tres, media nervo recurrenti conjuncta.

Antennae filiformes, validiusculae, corpore breviores, ad speciem undecimarticulatae (cum radicula duodecimarticulatae), articulis primo brevi obconico paulo crassiore, secundo minore ovato, reliquis filiformi-cylindricis pubescentibus, tertio paulo graciliore et longiore.

Caput subtransversum, os versus paulo angustius, hypostomate utrinque impresso, hinc inferne obtuse gibbum; vertice lato, planiusculo. *Thoracis* lobus anticus minimus, collum breve tenue formans; lobus medius tumidus, con-

vexus, laevis; Scutellum parvum, triangulum. Metathorax thorace humilior, convexo-declivis, reticulatus. *Abdomen* planiusculum, lanceolatum, longitudine capitis thoracisque, petiolo longitudine ⅓ circiter reliqui abdominis, cylindrico, subdecurvo, ruguloso, ante apicem aliquantum constricto, dorso medio obsolete carinato, carina postice bifida; reliquis segmentis indistinctis, contiguis laevibus, secundo paulo majore. Venter planus; ultima lamina paulo ultra segmentum dorsale extremum protensa, concava, canali sua terebram, vix ultimi segmenti longitudinem excedentem, fovens, apice ipso emergente. *Pedes* structurae solitae.

1. Aphidius *parcicornis.*

A. niger, ore pedibusque piceo-rufis, abdomine (demto petiolo) femoribusque posterioribus in medio fuscis, alis hyalinis, nervis fuscis, stigmate luteo, antennis capite thoraceque longioribus, ultimo articulo praecedente non longiore. Mas. Fem.

Synon. *Bracon plagiator. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 17. n. 23.*

Long. lin. 1 — ½. Corpus sparsim pubescens. *Antennarum* articuli posteriores omnes aequales, oblongo-cylindrici; pedicello minuto solo rufo, reliquis omnibus nigris. *Metathorax* area parva pentagona supra petiolum. *Coxae femoraque* posteriora fusco-picea.

Mas feminae simillimus. Abdomine apice rotundato, fusco ut in femina.

Feminam prope *Sickershausen* cepi in Pruno Ceraso horti, mense Maio, tum aliis locis Julio et Septembre mensibus. Misit etiam ex Italia Cl. *Bonelli.*

Marem mense Septembre prope *Sickershausen* inter frutices deprehendi.

Varietas:

β. Ore, antennarum tribus articulis anterioribus (subtus praesertim), abdomineque, demto petiolo, toto luteis. Coxis omnibus pallidis; femoribus posticis solis tibiisque paulo obscurioribus.

Juvenili aetate, neque omnino maturum captum videtur hoc individuum, nam plaga dorsalis abdominis antica colore pallidiore satis distincta apparet.

Mas plaga dorsali pallida.

Fe-

Feminam hujus variationis mense Julio, *Mares* duos Augusto et Septembre prope *Sickershausen* in dumetis cepi.

2. Aphidius *brevicornis*.

A. niger, ore pedibusque piceis, geniculis abdominisque petiolo piceo-rufis, alis hyalinis, nervis fuscis, stigmate luteo, antennis capitis thoracisque longitudine, ultimo articulo praecedente breviore. *Fem.*

Long. lin. 1. Similis praecedenti, sed differt praesertim structura *Antennarum*, quae breviores, articulis magis cylindricis, tertio (quarto) minus elongato, ultimo parvo conico, cum praecedente in unum fere conflato, nec ita, ut reliquis, discreto; *Metathoracis* area omnino nulla supra petiolum; *Abdominis* petiolo piceo-rufo; tamen ejusdem structurae, quae in praecedente reperitur; reliquo abdomine nigro; *Pedibus* fusco-piceis, trochanteribus, femorum extremo apice tibiisque basi piceo-rufis; *Statura* minore. Pedicellus rufus, ut in praecedente. Os magis rufescit.

Feminam unam cepi, die 16 Junii 1812 in Syringa vulgari horti prope *Sickershausen*. Marem non vidi.

SECTIO II.

Bracon. Fam. II. Species heteroclitae II. B. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 27 seqq.

Antennae articulis duodecim-viginti quatuor. *Areolae cubitales* duae, prima in areolam disci exteriorem effusa et interdum una cum hac postice incompleta.

Stigma medio radio impositum, satis magnum, trigonum. *Area radialis* una magna, nervo distincto inchoata, obsoletissima circumscriptione in apicem late excurrit. *Areae cubitales* duae; *prima* maxima, antice oblique transversa, postice angustata, hinc nervo tenui transverso a *secunda* area separata, quae, ramo radiali extrorsum, versus interiora vero nervi interni ulteriori extensione indicata, obsoletissima excurrit. Nervi brachiales duo, primo excurrente, secundo subtilissimo, ante medium cum primo, cui proxime adjacet, anastomosi juncto.

Quae rectius dum perpendis, facile videbis, areae primae cubitalis magnitudinem in his ultra modum augeri eo, quod nervo, aream hanc cubitalem ab area media separante, alteroque, intercursu suo primam et secundam aream

disjungente, abolitis, area cubitalis prima non solum in secundam sui ordinis, sed etiam in aream mediam patet.

Antennae filiformes, duodecim — sedecim — viginti quatuor-articulatae, articulo primo crassiori, secundo minimo, reliquis distinctis; anterioribus cylindricis magis et longioribus, posterioribus decrescentibus subovatis; ultimo acuto. Os Braconum. *Capitis* et *Thoracis* structura nihil alieni produnt. *Abdomen* oblongum, incurvum, petiolatum, petiolo breviusculo (in his, quas novi speciebus, longitudine ¼ abdominis), secundum segmentum majus, reliqua decrescentia. Apex abdominis in feminis oblique antrorsum et inferiora versus truncatus. *Terebra* brevissima, vix exserta, crassa, pubescens.

3. Aphidius *picipes*.

A. ater, palpis pedibusque obscure-piceis, abdominis petiolo cylindrico, medio constricto. *Mas, Fem.*

Synon. *Bracon picipes N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 28. *n.* 34.

Long. lin. 1¼. *Palpi* posteriores subcapitati, picei. *Abdominis* petiolus latitudine ubique aequalis, in medio evidenter constrictus et quasi biarticulatus. *Pedum* genicula paulo pallidiora. *Alae* cuneiformes, hyalinae, oblongae; nervis fuscis; stigmate pallido.

Mas feminae simillimus, at minor (Long. lin. ¾—1). *Antennae* articulis viginti. *Pedes* antici paulo dilutioris coloris.

Cepi *feminam* prope *Sickershausen*, mense Octobre, sub foliis aridis humi jacentibus; *mares* aliquot in gramine ad ripas rivuli, et in Anethi floribus.

Varietas:

β. Antennis sedecim-articulatis; *abdominis* petiolo rufo-pallido, in quibusdam plaga etiam abdominis media rufescente, *pedibus* pallidioribus. An species distincta?

Mas feminae simillimus, *antennis* etiam sedecim-articulatis.

Marem et *feminam* cepi mense Septembre prope *Sickershausen* in quercu.

4. Aphidius *infirmus*.

A. niger, pedibus piceis, ore geniculisque pedum luteis, petiolo lineari medio dorso utrinque impresso.

Synon. *Bracon infirmus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 28. *n.* 35.

Forte variatio praecedentis; paulo minor. *Hypostoma* et *os* totum lutea. *Abdominis* petiolus, in medio non ita evidenter constrictus, sed solis impressionibus binis dorsalibus notatus, separationi ansam praebuit maxime. Idem et secundum segmentum basi subpicea. *Pedes* picei, per se quidem paulo delutioris coloris, quam iidem in praecedente, tum coxae anteriores, trochanteres omnes, pedes antici latere interiori, tibiae posteriores basi lutescentia. Caetera ut in praecedente.

Mas idem, *hypostomate* nigro, *ore* tamen rufo. *Abdominis* petiolus, et secundum segmentum postice rufescentia. *Antennae* articulis viginti duo.

Cepi *Feminam* et *marem* prope *Sickershausen* die 8° Julii 1810.

5. Aphidius *Rosarum.*

A. niger, hypostomate oreque flavescentibus, pedibus rufis, abdomine piceo apice dilutiori, petiolo lineari-conico medio dorso utrinque impresso. Mas. Fem.

Long. lin. 1¾. *Hypostoma*, et *os* inferum flavescentia. *Antennae* filiformes, articulis viginti, primis duobus brevibus subtus flavescentibus. *Metathorax* postice area subrhombica transversa in medio partita, duabusque subquadratis supra petiolum. *Petiolus* abdominis ut in praecedente, retrorsum aliquantum dilatatus, fuscus, apice piceus; secundum segmentum postice etiam piceum. Ultimum segmentum magnum, compressum, in vaginam terebrae emarginatam abiens, piceo-rufum, apice fusco. *Pedes* toti saturate rufi; postici saturatius. Coxae eaedem basi fuscae. *Alae* obscure-hyalinae, nervis fuscis, stigmate fusco-testaceo.

Mas feminae similis, abdominis petiolo secundoque segmento rufis.

Cepi *feminam* prope *Sickershausen* a. 1812 et 1814. *Marem* die 17 Junii 1814 ex Aphidibus Rosae exclusum obtinui.

Varietas:

β. Pectore abdomineque toto e piceo rufis, hoc medio dorso obsolete infuscato; colore in fascias duas soluta. Femora postica in medio fusca.

Hujus varietatis individuum unum *femineum*, prope *Oedelein*, villam Episcopatus *Hildeshemensis*, a cl. *Gravenhorstio* die 29° Junii 1809 captum, vidi.

6. Aphidius *planistipes.*

A. ater, ore pedibusque rufis, femoribus, tibiisque posterioribus medio piceis, abdominis spathulato-oblongi petiolo rectangulo, medio transversim impresso, secundoque segmento basi vel toto piceis rufisve. Antennis viginti quatuor-articulatis. Mas.

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. A praecedente, cui valde similis, differt praecipue *petiolo abdominis* breviore et latiore; *antennis* validioribus, viginti quatuor-articulatis, *pedibus* paulo dilutioris coloris.

Cepi mense Junio prope Sickershausen.

Varietates:

α. *Abdomine* nigro, plaga secundi segmenti pallida;

β. *Abdomine* fusco, petiolo, secundo segmento toto, tertio basi testaceis.

Habitant cum praecedentibus.

7. Aphidius *constrictus.*

A. niger, antennarum basi, ore, pectore antico, abdominis petiolo et apice pedibusque totis luteis; petiolo medio constricto. Fem.

Synon. *Bracon constrictus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 28. *n.* 44. *Tab. II. f.* 8.

Long. lin. 1. *Antennae* articulis viginti, apicem versus fuscae, quatuor anterioribus articulis solis luteis. Oculi maximi, prominentes. Labrum et os lutea. *Abdominis* petiolus filiformi-cylindricus, constrictione media distinctissima; reliquum abdomen lanceolatum, apice subcompressum, binis ultimis segmentis cum terebrae exsertae apice luteis. *Alae* praecedentis.

Cepi *feminam* prope *Sickershausen.*

Varietates:

α. Pleuris anticis inferis solis obscure-rufis, ano nigro. *Femina.*

β. Prodiit *femina* stigmate fulvo, ex Aphidibus Rosae.

Cepi haec individua mense Junio 1813 prope Sickershausen.

8. Aphidius *melanocephalus.*

A. sordide rufo-piceus, capite cum antennis abdomineque spathulato postice nigris, hoc petiolo lineari ruguloso prope basin angustiori. *Mas.*

Synon. *Bracon melanocephalus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 29. *n.* 45.

Long. lin. 3/4. *Os* rufum. *Antennae* longitudine corporis, articulis duobus de viginti, omnibus cylindricis. *Hypostoma* supra os gibbum (ut in reliquis); tibiae basi, et tarsi maximam partem rufescentes, solo apice horum piceo-fuscescente. *Petioli abdominis* constrictionem nullam, nec impressionem, qualem in aliis, detegere potui. *Pedes* thorace paulo pallidiores. *Alae* praecedentium. Color corporis nudo oculo fuscus, sub lente accuratius dignoscendus.

Cepi *Marem* prope Sickershausen.

Feminam non vidi.

9. Aphidius *varius.*

A. niger, hypostomate, thorace antice, abdominis segmentis anterioribus totis, vel basi saltem, pedibus anterioribus totis, posticorum geniculis luteis; terebra non exserta. *Fem.*

Synon. *Fem. Ichneumon* (*Ophion*) *Aphidum Pz. F. G.* 95. 13. *Krit. Rev. p.* 90. *Synonyma maris vide infra.*

Caput cum ore luteum, vertice occipiteque nigris; *antennis* nigrofuscis primo articulo subtus luteo. *Prothorax*, undique luteus, lineis duabus obsoletis in dorsum excurrentibus. Reliqua hujus pars tota nigra. *Metathorax* rugis duabus transversis, arcuatis, minus distinctis. *Pedes* anteriores toti lutei, femoribus mediis paulo obscurioribus; postici fusci, trochanteribus, tibiisque basi luteis. *Alae* hyalinae, nervis validioribus stigmateque fuscis, in nonnullis fulvis.

Abdominis petiolus semper fuscescenti-luteus, reliqua segmenta vel α) anteriora tota lutea, immaculata, *) vel β) segmentis anterioribus margine plus minus nigricante. In his et illis vero segmenta postica plerumque maximam partem nigra.

---

*) *Cryptus alvearius Fabr.*, a Panzero l. c. ad hunc relatus, *Microgasteri alveario spin.*, infra describendo, pertinet.

Mas niger, ore, abdominis basi, pedibus anterioribus, geniculisque posticis pallidis. — Abdomine planiusculo, apice obtuso, femoribus mediis basi semper obscurioribus.

SYNON. *Ichneumon Aphidum Linn. Vill. Ent. Lin. T. III. p.* 208. 240. — *De Geer. T. II. Tab.* 30. *f.* 4—13.
Cryptus Aphidum F. Syst. P. 91. 93?

Feminas et *mares*, mense Junio ex Aphidibus Pini, Rhamni, Rosae prodeuntes, observavi prope *Sickershausen.*

10. Aphidius *restrictus.*

A. niger nitens; ore, antennarum basi, abdominis petiolo lineari aequali, secundi segmenti plaga pedibusque testaceis, coxis trochanteribus femoribus tibiisque posterioribus in medio fuscis; antennis articulis tredecim. *Fem.*

Long. lin. 3/4. *Mandibulae* hiantes, angustae, apice bifidae dentibus acutis, rufae, extremo fuscae; *palpi* pallidi. *Antennae* filiformes, fuscae, articulis primo et secundo rufescentibus. *Abdomen* lanceolatum, apice compressum, nigro-fuscum, petiolo lineari postice parum latiori, aequali, subbicarinato, rufo-testaceo; secundo segmento in medio pallido; reliquis concoloribus. *Pedes* rufo-testacei; coxae posteriores basi fuscae, apice testaceae; trochanteres iidem apice, femora in medio fuscae; tibiae hae fuscae, basi testaceae, apice paulo dilutiores; tarsi testacei, articulis apice obscurioribus. *Alae* hyalinae, nervis tenuibus stigmateque pallide fuscis.

Cepi in Anetho graveolente horti mense Augusto prope *Sickershausen.*

An femina sequentis?

11. Aphidius *diminuens.*

A. ater, pedibus fuscis, geniculis oreque piceis; abdominis petiolo cylindrico, in medio subconstricto; antennis tredecim-articulatis. Mas.

Long. lin. 1. Ab *Aphidio picipede*, cui similis, differt: *Antennis* tredecim-articulatis, radicula computata, staturaque minore. *Antennae* capite thoraceque vix longiores, fuscae, primis duobus, ultra radicem, articulis brevioribus; reliquis parum elongatis, subcylindricis; ultimis oblongiusculis. *Os* piceum. Color corporis ater, piceo-nitidulus. *Abdomen* concolor, segmento secundo parum

piceo-rufo. *Pedes* antici fusco-picei, femoribus in medio obscurioribus; postici fusci, trochanteribus inferis apice et tibiis basi parum piceis. *Alae* hyalinae, nervis tenuibus, fuscis, stigmate pallido.

Cepi unum *marem* prope *Sickershausen.*

12. Aphidius *dissolutus.*

A. niger, pedibus piceo-fuscis, ore, abdomine tibiisque basi testaceis; petiolo abdominis brevi, postice dilatato-infundibuliformi; areola cubitali prima interne incompleta. *Fem.*

Synon. *Bracon dissolutus, N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 29. *n.* 46.

Long. lin. 1. Corporis habitus praecedentium, sed abdomen brevius petiolatum, petiolo vix longitudine ⅙ abdominis, structurae in Ichneumonibus veris maxime obviae, infundibuliformi, parum ruguloso; reliqua segmenta circumscriptione communi, oblonga, postice attenuata; terebra subexserta. *Alarum* nervi omnino, ut in reliquis, sed nervus, ab anastomosi nervi brachialis secundi cum primo oblique versus postica ascendens et ex hac parte areolam cubitalem primam claudens, obsoletissimus, tum, ad ipsam anastomosin transversalem perbrevi spatio rursus incrassatus, colore fusco insignis (ut et reliqui nervi cum stigmate) dein denuo obsoletus. Hinc primo intuitu alienus alarum habitus.

Mandibulae et *palpi* testacea. *Antennae* quatuordecimarticulatae. *Abdominis* segmentum primum et secundum tota testacea, reliqua plaga media obsoleta testacea. *Coxae* basi fuscae apice testaceae; trochanteres basi apiceque parum testacei; pedes antici testacei, femoribus paulo obscurioribus, tibiis annulis duobus obsoletis fuscis; postici fusco-picei, tibiis basi tarsisque testaceis.

Mas. Feminae persimilis; areolis praeter radialis initium, (ut in Var. *β.*) omnibus deletis.

Feminam cepi in sepibus, et in quercetis mense Julio et Augusto. *Marem* mense Martio, prope Sickershausen iisdem in locis legi.

Varietas:

β. Paulo minor. — *Alarum* nervis stigmateque pallidis, nervoque cubitali omnino expallido, ut sola rami radialis pars anterior excurrere videatur, areolis cubita-

libus plane inconspicuis. *Antennae* undecim-articulatae, basin versus paulo pallidiores. Os et clypeus testacea. *Abdomen* totum piceo-testaceum, petiolo lineari, postice parum dilatato in medio utrinque obsolete angustato, pallidiore; dorso vero abdominis paulo obscuriore, post mortem nigro. Terebra longitudine ultimi segmenti, decurva, subulata, pubescens. *Pedes* ut in specie genuina, sed trochanteres omnes toti testacei, et tibiae anticae concolores. Femora eadem testacea, basi paulo fuscescentia.

An species distincta?

Cepi mense Octobre in Pastinacca ad colles.

Mas. Plurimum convenit cum femina. *Antennae* duodecim-articulatae, ultimo articulo majore, paulo crassiore. *Abdominis* petiolus testaceus, segmentum secundum piceum, reliqua nigra. Pedes ut in mare speciei genuinae.

Cepi individua hujus Varietatis, tam mascula quam feminea, mense Octobre in Pastinacca prope *Sickershausen* ad colles. *Marem* deprehendi mense Julio et Augusto in Anetho horti, petiolo abdominis obscuriore, piceo, reliquo abdomine toto nigro.

13. Aphidius *resolutus.*

A. niger, ore, antennarum basi, abdominis petiolo, secundo segmento, pedibusque totis luteis; alarum areis cubitalibus nullis, radiali inchoata. Mas. Fem.

Long. lin. 1. — *Caput* et *thorax* aterrima, nitida; Caput thorace paulo latius, hypostomate brevissimo; clypei punctiformis apice, mandibulis et palpis luteis. Oculi magni. *Antennae* longitudine fere corporis, filiformes duodecim-articulatae; articulo primo et secundo brevibus, subovatis, reliquis elongatis apicem versus decrescentibus, tertio et quarto magis elongatis cum primo et secundo luteis, reliquis fuscis. *Thorax* gibbus. *Metathorax* brevis, laevis. *Abdomen* lanceolatum, petiolo lineari, basi decurvo, aequali secundoque segmento et ano luteis. Terebra brevis, decurva. *Pedes* toti lutei. *Alae* hyalinae, quales in Varietate *β.* praecedentis, area brachiali magna obtrigone, et radiali dimidiata solis conspicuis. Stigma pallidum.

Mas in multis convenit, dubius tamen est. Paulo minor. *Antennae* validiores, tredecim-articulatae, totae fuscae, tertio articulo minus elongato. *Hypostoma* paulo

longius. *Metathorax* sub scutello piceus. *Abdomen* spathulatum apice concolore. *Femora* et *tibiae* postica in medio fuscescentia. Reliqua congruunt.

Feminam prope *Sickershausen* die 27° Junii 1812 in sylvis, *marem* ibidem die 9° Augusti 1812 in terra cepi.

SECTIO III.

Antennae articulis sedecim-duodeviginti. *Areola cubitalis* unica, ab areola disci media discreta.

A speciebus praecedentis divisionis vix aliter differt huius sectionis unica species mihi cognita, nisi quod area prima cubitalis ab area media nervo est distincta, spatium pro areis cubitalibus vero, nervo fere excurrente indicatum quidem neque tamen anastomosibus solitis interceptum, unam aream valde elongatam, ad apicem obsoletam, constituit. Nervi omnes, in hac specie tenues, postice magis adhuc evanescunt, uti hoc in antecedentibus observavimus.

14. Aphidius *exoletus.*

A. testaceus, occipite thoracis dorso, terebraque longitudine duorum ultimorum segmentorum abdominis nigris; abdomine brevi, subfalcato, petiolo lineari. Fem. Mas.

Synon. *Bracon exoletus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 30. *n.* 47.

Antennae fuscae articulis tribus baseos testaceis; *abdominis* petiolus rectangulus marginatus. *Metathorax* testaceus.

Mas testaceus, occipite, oculis, antennarumque apice nigris. Thoracis dorso obscuriore; abdomine breviter petiolato, lanceolato, ano acuto.

Long. lin. ⅔. *Caput* thorace latius, sub antennis luteum, supra nigrum, laeve, glabriusculum. Reliquum corpus sicuti et alae pubescunt. *Thoracis* dorsum fuscum. *Abdominis* petiolus teretiusculus, subrugosus, medio subconstrictus; reliqua segmenta dorso planiuscula. Apex in mucronem fuscum bivalvem, organa sexus continentem, desinit. *Ungues* pedum nigri. *Alae* obscure hyalinae, nervis stigmateque pallidis.

Feminam cepi prope *Sickershausen* in horto. *Marem* ibidem in gramine prati humidi.

Varietas:

α. Corpore nigro-fusco, pedibus rufo-testaceis.

Individuum mutilum, sed omnino huc spectans, misit Dr. de Sanvitalli, prope Parmam Italiae captum.

Utrum mas an femina sit, non liquet.

SECTIO IV.

Antennae articulis duodeviginti. *Areolae cubitales* et *mediae* nullae, *radialis* obsoleta.

15. Aphidius *enervis.*

A. ater, ore rufo, pedibus fuscis, geniculis et tarsis rufis; abdominis ovati petiolo brevissimo, subcylindrico; alis hyalinis, areis omnibus confluentibus, stigmate crasso, fusco. Mas.

Long. lin. $1\frac{1}{4}$ Statura praecedenti quodammodo accedit, ast plurimis differt, animalculum plane singulare. — *Caput* triangulum, breve, hypostomate devexo, clypeo rotundato, elevato, brevi, vertice planiusculo, brevi, in medio canaliculato, oculis parvis globosis, anticis. Color niger. *Mandibulae* et *palpi* rufa; hi ratione reliquorum huius generis perbreves. *Antennae* corpore breviores, antrorsum curvae, filiformes, crassiusculae, duodeviginti articulis compositae, primo brevissimo, secundo longiori, cylindrico, crassiore, fuscis, tertio brevissimo rufo; reliquis cunctis cylindricis, nigro-fuscis pubescentibus, aequalibus; ultimo acuto. *Thorax* subglobosus, laeviusculus, pubescens, ater, nitidus. *Metathorax* brevis, sub scutello sulcis duobus arcuatis discretus, hinc abrupte descendens, subrugosus, fuscescens. *Abdomen* ovatum, longitudine capitis et thoracis; segmento petiolari basi brevi spatio subcylindrico, dorso planiusculo, subrugoso, ipsa basi depressa, pone medium abrupte conico-dilatato, et, ubi dilatatur, utrinque tuberculo valido aucto, parte dilatata laevi planiuscula; reliqua omnia segmenta laevia; colore primi et secundi sordide-piceo, reliquorum nigro. Anus rotundatus. Venter fornicatus, basi rufus. *Pedes* validiusculi, piceo-fusci, trochanteribus inferis, tibiis basi et apice et tarsis rufo-testaceis. *Alae* latiusculae, hyalinae, areis brachialibus duabus, exteriore majore obtrigona, interiore lineari. *Area radialis* nervo obsoletissimo indicata, postice abo-

lita, ovata; *areae cubitales* et mediae omnino nullae, nervorum duorum longitudinalium laevissimis vestigiis, altero ex area brachialis interioris apice, altero vero in spatio huic et ramo radiali intermedio obsoletiori, utrinque abbreviato.

Marem unum cepi die 2° Augusti in Pastinacca horti prope *Sickershausen*.

G E N U S V.

HYBRIZON Fallén.

Fallén Methodus nova Hymenoptera disponendi. Fam. I. Div. 2. Gen. 3. Gravenh. Ichn. Eur. I. p. 61.

ὑβρίζω, contumelia afficio.

Observ. Genus *Hybrizon* Fallénii, quoad characterem: „antennis tenuibus; abdomine petiolato, alarum areis costalibus aut tribus aut duabus, areola intermedia areaque speculari nullis," sane et alias complures species complectitur, quas in diversa genera secundum nostram methodum distribuimus, sic, v. c. *Aphidii* nostri omnes Hybrizon genus intrare posse, nemo dubitabit, sed quoniam solum hoc genus, (Rhyngon in schedis nostris appellatum) ineditum nobis restat, speciem quandam sistens, quae, Merklinio autopta teste, genuina est inter *Hybrizones* Fallénii, nomen a cl. Auctore inventum in hoc transferre, quam penitus omittere maluimus.

Caput transversum, vertice angusto. *Prothorax* brevissimus. *Abdomen* longe petiolatum, apice triangulari-compressum. *Antennae* articulis paucis. *Areolae cubitales* duae, isthmo iunctae. *Terebra* brevissima, ascendens.

Palpi maxillares quadriarticulati; *labiales* triarticulati. *Labium* latiusculum, retusum. *Mandibulae* bifidae, angustae.

Habitus: Inter omnes Ichneumonides distincta est huius generis species, sola ea quam novimus, habitu Ophionum, praesertim *Ophionis foliatoris* Grav. (Ichn. Eur. III. p. 715.) palpis labialibus *triarticulatis* praediti,

cui synonymon *Anomalon cruentatum* Panz., (F. G. 94. 15) addere vix dubito.

Caput latitudine thoracis, vertice angusto. Oculi laterales maximi. Hypostoma brevissimum, concavum. *Antennae* filiformes, corpore breviores, tredecim-articulatae, articulis duobus baseos crassioribus. *Thorax* gibbus; scutellum elevatum. Metathorax brevis, declivis. *Abdomen* longum, gracile; segmentis duobus anterioribus, petiolum una constituentibus, filiformibus; tertio obconico, breviori; reliquis brevissimis, triangulum fere aequilaterum formantibus. Anus truncatus. *Coxae* longae, cylindricae; *femora* gracilia, compressa; *tibiae* subclavatae. Pedes posteriores longiores. *Alae* breves: *areola radialis* conica: *fareolae cubitales* duae; prima fere circularis; secunda apicem alae attingens, antice in petiolum quasi contracta, quo intercedente cum prima areola conjungitur. Secundus nervus recurrens deest. Stigma conicum.

Structura *partium oris* haec est: *Clypeus*, a carinula infra antennas originem ducens, papillae seu brevis rostelli specie elevatus, subtus formicatus, organa manducatoria obtegit; haec parva sunt, palpis brevibus. *Mandibulae* augustae, breves, arcuatae, acute bifidae. *Maxillae* labium amplectentes eodemque breviores, totae membranaceae; stipes brevis, conico-compressus; mala stipite paulo latior, obtriangularis, rotundata, basin versus angustior, margine nuda nec ciliata. *Palpi maxillares* malam vix quarta parte superantes; recti, filiformes, pilosi, quadriarticulati: articulo primo brevi, obconico; secundo maximo, compresso, oblique triangulari, angulo interiori apicis valde prominente, tertio subcylindrico, basin versus paulo angustiori.; quarto minimo, ovato, obtuso. *Labium: mentum* coriaceum, breve, obconicum, planiusculum, glabrum; apice truncatum; *lingua* tenuis, membranacea, mento latior et ejusdem longitudine, lateribus recurva, apice rotundata et in medio retusa. *Palpi labiales* linguam vix aequantes, recti, filiformes, triarticulati, pilosi: articulo primo et secundo obconicis, hoc longiori et paulo crassiori; tertio brevissimo, ovato, obtuso.

1. Hybrizon *latebricola. Fem.*

Long. lin. 2. Corpus nigro-fuscum, glabrum. *Os et* duo anteriores *antennarum* articuli lutea. *Thorax* im-

maculatus. *Metathorax* tuberculo sub scutello praeditus. *Abdominis* segmenta tria anteriora margine postico rufa; reliqua concolora. *Pedes* anteriores rufi; postici fusci, basi rufi. *Alae* hyalinae, stigmate nigro-fusco.

Individua *feminea* plura, et ea quidem plerumque gregaria, cepi prope *Sickershausen*, Julio et Augusto mensibus, locis suffocatis sylvaticis. *Marem* nullum vidi.

V a r i a t u r

β. abdominis segmentis tertio quartoque basi pallidioribus; pedibus posticis rufescentibus. Fem.

Cepi cum praecedentibus.

G E N U S VI.

PERILITUS.

N. ab E. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 302. *n. V. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 51. *Bracon Fam. II. Genuin. et sp. Heterocl. B. II. a. Berl. Mag. V. p.* 21 *sqq. et p.* 26 *sqq.*

περὶ et *λειόω*, laevigo, ob corporis tersi nitorem.

Caput transversum, vertice lineari angusto. *Prothorax* brevis. *Abdomen* convexum, petiolo lineari vel teretiusculo postice conico-dilatato depressiusculo. *Areolae cubitales* duae vel tres (Terebra exserta).

Antennae longae, graciles, setaceae, multi-articulatae. *Palpi* filiformes; *maxillares* quinque-articulati, longissimi; *labiales* triarticulati. *Labium* angustum, emarginatum. *Mandibulae* angustae, subintegrae.

S E C T I O I.

Bracones Heterocliti Fam. II. B. II. a. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 26 *sqq.*

Areolae cubitales duae, anteriore parva quadrata, nervo recurrente in plerisque interstitiali; *areola radialis* ab apice alae remota, semicordata.

Species parvae. Abdominis segmentum secundum reliquis multo majus. Pedes graciles.

1. Perilitus *terminatus.*

P. ater, capite, ano, pedibusque anterioribus rufis; terebra longitudine dimidii abdominis obovato-subcompressi. Mas. Fem.

Synon. *Bracon terminatus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 26. *n.* 39.

Long. lin. 2. *Caput* latiusculum, transversum, rufum, macula verticali occipiteque nigris. *Antennae* setaceae, longitudine fere corporis, nigrae, articulo tertio basi rufo. *Thorax* brevis, gibbus, rugulosus, pubescens. *Abdomen* obovatum, breviusculum, apicem versus a latere subcompressum, primo segmento longitudine dimidii abdominis reliqui, e basi angusta conico-dilatato, in medio utrinque denticulo aucto, ascendente, ruguloso; segmento secundo maximo, reliqua segmenta omnino fere occultante, laevissimo, nitido, inde a medio utrinque late rufo, margine semicirculari; reliquis segmentis brevissimis, omnino fere retractis, totis rufis. Venter basi carinatus, arcuatus, niger, deinde a secundo segmento, oblique retrorsum ascendens, et quasi truncatus, rufus. Terebra cum ventris obliquitate ascendens, nigra. *Pedes* antici toti piceo-rufi; medii piceo-rufi, coxis nigro-fuscis, femoribus basi obscurioribus; postici nigro-fusci, tibiis basi rufescentibus; tarsi omnes obscuri. *Alae* hyalinae, nervis crassis, stigmateque magno ovato fuscis. Nervus recurrens primam aream cubitalem petit.

Mas feminae congruus. Vertex, orbita excepta, cum occipite nigro contiguus. *Abdominis* segmentum secundum indeterminate piceum, reliqua segmenta nigra, ano parum rufescente. *Pedes* anteriores toti rufi, postici picei, trochanteribus inferis tibiisque basi rufo-testaceis. *Antennae* validiores. Longitudo hujus lin. 1 vix excedit.

Feminam prope Sickershausen die 5° Octobris a. 1810 cepi. *Marem* ibidem a. 1814.

2. Perilitus *consuetor.*

P. niger, pubescens, pedibus piceis, coxis nigris; abdominis ovato-compressi petiolo elongato, basi lineari, in medio tuberculato. Mas.

Long. lin. 1½. *Caput* thorace paulo angustius, transversum, vertice angusto, hypostomate plano pubescente, puncto utrinque impresso supra clypeum. *Mandibulae* rufae; *palpi* picei. *Antennae* corpore longiores, setaceae,

nigrae, articulis cylindricis. *Thorax* ovatus, convexus et *metathorax*, cum capite, nigri; hic rotundatus, rugulosus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, primo segmento reliqua cuncta aequante, e basi ad medium lineari, dein, ubi utrinque denticulus prominet, conico-dilatato, basin versus rimuloso, apice laevi, toto nigro, reliquis nigro piceis, laevissimis. Anus obtusus, compressus. Pedes graciles, piceo-rufescentes, coxis omnibus et trochanteribus posticis nigro-fuscis; tibiis basi pallidioribus. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis, hoc ovato; *area radiali* parva, semiovata, ab apice alae remota.

Unum individuum marem cepi aestate a. 1814 prope *Sickershausen.*

3. Perilitus *rutilus.*

P. flavo-rufescens, oculorum stemmatibus, thoracis dorso, petioloque abdominis nigris; terebra longitudine abdominis. Fem.

Synon. *Bracon rutilus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 27. *n.* 40.

Long. lin. 2. Statura praecedentis. *Antennae* longitudine fere corporis fuscae, basi rufae. *Abdomen* ovatum, subcompressum. *Petiolus* plus ⅓ longitudinis abdominis occupat, e basi subtereti postici conico-dilatatus, subtilissime rugulosus; segmentum secundum majus; reliqua transversa, laevia. *Terebra* apice fusca. *Alae* hyalinae, nervis stigmateque oblongo pallide testaceis. *Areola radialis* brevis, dimidiato-cordata, apicem alae non attingit. Nervus recurrens interstitialis.

Varietates:

α. Pectore rufo.

Feminam unam cepi die 29° Maji 1808 prope Sickershausen in sepibus.

β. Pectore nigro, petiolo basi subdilatato rufo; *area cubitali*, in quibusdam, ob nervum hyalinum, antice in mediam exteriorem subeffusa.

His *Antennarum* articuli, a primo — quartum rufi, reliqui nigri. *Metathorax* brevis, rugulosus, apice truncato-retusus, totus niger. *Abdominis* petiolus, ubi dilatatur, tuberculi lateralis vestigia gerit.

Cepi cum praecedente.

Marem non novi.

4. Perilitus *conterminus.*

P. rufus, thoracis dorso abdomineque postice obscurioribus, terebra longitudine dimidii abdominis. Mas. Fem.

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. A praecedente differt: *Antennis* brevioribus vix dimidium corpus aequantibus, filiformibus, vigintiquatuor-nec viginti septem articulis, ut in illo, compositis, basi late rufis; thorace rufo, dorso, cum metathorace obscuriore, nec nigro, hoc laevi, apice area concava, sursum angustato, binisque areis lateralibus distinctis praedito; *abdominis* petiolo basi angustiori, laeviori, rufo, aut fusco; secundo segmento rufo; reliquis nigris; terebra longitudine hujus nigredinis. — Pars postica abdominis brevior quoque est et magis compressa. *Alarum* stigma paulo majus; *areola* cubitalis prima effusa.

Mas feminae similis, petiolo abdominis solo nigro. *Antennae* itidem articulis viginti uno.

Cepi a. 1814 *marem* et *feminam* prope *Sickershausen.*

Varietates:

α. Petiolo abdominis rufo; femina. Capta die 8. Septembris 1812 in horto prope *Sickershausen.*

β. Eadem, abdomine fascia fusca obsoleta, in medio interrupta, ante apicem.

Hanc cepi 1814 prope *Sickershausen.*

5. Perilitus *aethiops.*

P. aterrimus, pedibus fusco-nigris, trochanteribus inferis, genubus brevi spatio, oreque piceo-rufis; abdominis subcultrati petiolo anguste conico, planiusculo, subtilissime rimuloso, alis hyalinis, nervis et stigmate fuscis. Mas.

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. Summa affinitas praecedentis. *Caput* paulo minus, hypostomate magis reclinato, pubescente subtuberculato; vertex obtusus. *Mandibulae* et *palpi* piceorufa. *Antennae* graciles, subsetaceae, corporis longitudine. *Thorax* gibbus, laevis, ater, nitidus. *Metathorax* brevis, subrugosus, retusus. *Abdomen* longitudinem capitis et thoracis excedens, segmento petiolari longitudine $\frac{1}{3}$ reliqui abdominis, ascendente, e basi angusta recta, sed modice, dilatato, plano, rimuloso; reliquis laevissimis, apicem versus compressis; ventre gibbo; ano obtuso. — *Pedes* nigro-picei, trochanteribus inferis, femoribus anticis subtus, tibiis iisdem basi, femoribus posterioribus ex-

extremo apice obscure piceo-rufis. *Alae* hyalinae; nervis et stigmate pallide fuscis; *area radiali* semicordata, brevi; *cubitali* prima effusa.

Cepi unum marem prope *Sickershausen* a. 1814.

6. Perilitus *conjungens.*

P. niger, antennarum articulo secundo, palpis, pedibusque rufis. Abdominis petiolo brevi lineari subrugoso; terebra longitudine vix ultimi segmenti. Mas. Fem.

Synon. *Bracon conjungens N. ab E. Ferl. Mag. V. p.* 27. *n.* 41. *Tab. II. f.* 7.

Long. lin. 1. *Caput* crassiusculum. *Antennae* graciles, articulis viginti quatuor compositae. *Abdominis* primum segmentum fere lineare, longitudine partem quartam reliqui abdominis excedens, postice vix dilatatum, dorso planiusculum rugulosum, et paulo ante medium impressione utrinque laterali ita notatum, ut facile eo loco ex duobus articulis conflatum videatur; secundum maximum, reliqua transversa. Terebra recta. Color ater, nitidus. *Palpi* et antennarum articulus secundus flavescentes; *pedes* rufi, tarsis apice fuscis. *Alae* obscure-hyalinae, nervis et stigmate fuscis, hoc nec non *area radiali* ut in praecedente. *Area* cubitalis prima paulo minor, nervum recurrentem pone medium excipit.

Mas idem omnino, et fere non, nisi terebrae defectu distinguendus.

Feminam cepi prope *Sickershausen*, a. 1810.

Mas unus captus ibidem locis sylvaticis, die 11 Junii a. 1808.

SECTIO II.

Bracones genuini Fam. II. N. ab E. l. c. p. 21 *sqq.*

Areolae cubitales tres, nervo recurrente vel primam areolam vel limites hujus et mediae petente; areola radialis lanceolata, apicem alae attingens.

Statura perquam gracilis. *Abdominis* petiolus utplurimum dimidiam totius abdominis longitudinem occupat, basi tenuis, apicem versus conico-dilatatus, dorso plerumque planiusculo; in paucis basin versus subteres est, his quoque magis nitidus, cum in aliis segmentum petiolare subobscurum sit. *Abdomen* reliquum ovatum, aut oblongum, segmento secundo majori, reliquis decrescentibus.

Terebra exserta in omnibus, multis valde elongata. *Alae* amplae, hyalinae, nervo recurrente in aliis ad ipsum terminum areolae primae et secundae inserto. *Pedes* longi et graciles. Color corporis saepe rufus, vel rufo nigroque varius, obscurus; pedes pallidiores.

7. Perilitus *albitarsis.*

P. luteo-ferrugineus, abdomine oblongo-subfalcato, petiolo basi sulcato; terebra nigra longitudine dimidii abdominis; tarsis (posticis praesertim) albidis. Fem.

Long. lin. 5. Generis habitum optime, cum sequentibus, qui inter se summopere congruunt, declarat. Structura abdominis ad *Ophionem luteum, commutatum*, etc. colore quoque accedit, denique *Rogis pallipedi* et *chlorophthalmo* ita proximus, ut, nisi petioli abdominalis formam et oris fabricam respicias, illum facile meram hujus nostri varietatem existimes.

Caput latitudine thoracis, laeviusculum, pubescens; *mandibulis* apice nigris; oculi in sicco individuo fusci. *Stemmata* nigra. *Antennae* corpore breviores, concolores. *Thorax* compressiusculus, punctura et colore capitis; *metathoracis* dorsum convexiusculum, subtiliter ruguloso-reticulatum, arearum duarum, carinulae longitudinalis mediae ope discretarum, leviori vestigio. *Abdominis* petiolus basi teretiusculus, sulculo postice attenuato insculptus, a medio conicus, planiusculus, rimulosus; reliqua segmenta laevissima, tertio et quarto dorso saepe fuscis; carina ventralis, anum versus dilatata, speciem praebet falcato-triangularem, ano ipso truncato. Terebra $\frac{1}{3}$ abdominis parum longior. *Pedes* colore corporis, coxis, trochanteribus tarsisque pallidioribus, tarsis posticis fere albis, primo articulo rufo. *Trochanteres* omnes apice fusci. *Alae* obscure hyalinae, nervis fuscis, stigmate luteo, nervo recurrente primae areae cubitali inserto.

Individua duo, feminei sexus, vidi, alterum in collectione *Desmarestiana*, Parisiensi, alterum a *Gravenhorstio*, viro praedilecto, ineunte Junio mense, in monte *Bructero* captum.

8. Perilitus *chrysophthalmus.*

P. luteo-ferrugineus, abdomine oblongo, petiolo sulcato; terebra nigra longitudine fere abdominis; nervo alarum recurrente interstitiali.

Synon. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 21. *n.* 30. (*excl. Synon. Spin. Ins. Lig., ubi loco „chrysophthalmos" chlorophthalmos scribi debuit.*

Long. lin. 3½. A praecedente imprimis differt: Statura minore; *antennis* obscurioribus; terebra longiore, licet abdominis totam longitudinem non omnino aequet; tarsis concoloribus, posticis vix parum pallidioribus; nervo recurrente interstitiali. — *Alae* hyalinae, nervis fuscescentibus; stigmate testaceo.

Mas feminae perquam similis, long. lin. 3., *Metathorace*, *abdominisque* petioli parte anteriore obscurioribus, hoc vix sulcato. — Antennae corpore longiores, fuscae.

Feminam cepi in horto die 25 Junii 1808 et mense Septembre prope *Sickershausen*. *Marem* mihi communicavit Dr. Gravenhorst, captum *Gottingae* in sepibus, Carpino Betulo exstructis.

Marem esse speciei praecedentis jam suspicatus est vir acutissimus in litteris; sed magis adhuc accedit isti *Perilito chrysophthalmo* nostro.

9. Perilitus *pallidus.*

P. luteus, pedibus pallidioribus, abdomine subclavato, petiolo planiusculo; terebra concolore, longitudine dimidii abdominis.

Synon. *Bracon pallidus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 22. *n.* 31.

Long. lin. 2½. *Mandibulae* apice nigrae. *Antennae* longitudine corporis, luteo-testaceae, tenuissime fusco-annulatae. Oculi maculae nigrae inserti. *Abdominis* segmentum petiolare elongato-obconicum, punctulatum, nec sulcatum; secundum magnum, truncato-conicum; reliqua transversa, subaequalia. Anus infra gibbus. *Pedes* pallidi, unguiculis nigris. *Alae* magnae, hyalinae; nervis fuscis; stigmate pallide luteo.

Mas feminae persimilis, differt: colore paulo obscuriore, metathorace pectoreque fuscescentibus, nervis alarum itidem pallidis.

Huic caput quoque ratione thoracis crassius, atque hic ipse magis globosus, quibus, quo magis a sequente, coloribus sibi maxime propinquo, dimoveatur, cum notis iisdem et feminam supra positam praecellat, huic ipsi non sine dubio adjungitur.

Feminam cepi die 23 Augusti prope *Sickershausen* in quercetis. *Marem* cl. *Gravenhorst* mecum communicavit.

Observ. Praecedenti affinis, nervi quoque recurrentis insertione interstitiali cognationem probante; satis tamen notis supra indicatis distinguendus.

10. Perilitus *rubens.*

P. rufo-testaceus, pedibus testaceis; metathorace fuscescente. Abdomine subclavato; terebra fusca, longitudine dimidii abdominis. Mas. Fem.

Synon. *Bracon rubens N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 22. *n.* 32.

Long. lin. $1\frac{3}{4}$ — $2\frac{1}{4}$. Statura praecedentis, sed abdomen minus clavato-subfalcatum. Oculi, mandibularum apices et stemmata nigra. *Antennae* fuscescentes, longitudine dimidii corporis. *Abdominis* petiolus planiusculus, subrugosus. *Alae* subhyalinae, nervis fuscis, stigmate flavo. Nervus recurrens interstitialis.

Mas feminae similis; antennae longiores; abdomen nigro-piceum, secundo segmento rufo.

Cepi individua *mascula* et *feminea* mensibus Junio, Augusto et Septembre annis 1809 et 1810 in quercu prope *Sickershausen.* Marem in *Euphorbiis* sylvae, der Steigerwald dictae, ad Ilmfeld monasterium inveni.

Varietates:

β. Rubedine obscuriore. *Capite* tamen laete rufo, macula verticis, occipiteque nigris. Thorax antice fusconiger. *Abdomen* piceo-nigrum, secundo segmento basi rufo. Terebrae longitudo et color stigmatis constantes. Fem.

Mas. Capite sordide luteo, macula verticis majore, *antennis* fuscis, setaceis. *Thorace* fusco, immaculato; pleurarum plaga scutellique apice sordide rufis. *Abdomine* itidem fusco, concolore, plaga dorsali obsoletissima, piceo rufa.

Captus ut supra.

Feminam mense Septembre in Pruno Pado, et Junio Mense ad *Ilmfeld* Monasterium cum mare cepi. *Marem* Septembre mense in sepibus humidis deprehendi, prope *Sickershausen*; tum alterum individuum masculi sexus cl. *Gravenhorst* ad me transmisit, a se in Crataego prope *Gottingam* captum.

γ. Petiolo abdominis nigro. Fem.

Capta iisdem in locis cum praecedentibus.

11. Perilitus *obfuscatus.*

P. obscure testaceus, pedibus concoloribus, validis; metathorace (thoracis dorso in aliis) nigro; abdomine oblongo-ovato, petiolo obscuriore; alis obscure-hyalinis stigmate magno, fusco, puncto albo; antennis fuscis, corpore longioribus. Mas.

Synon. *Bracon obfuscatus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 22. *n.* 33.

Long. lin. 2½. Quoad staturam, petiolique formam maxime accedit *Perilito abdominatori* Nro. 17. sed colore differt.

Caput ratione reliquorum latum. *Antennae* corpore longiores, testaceae. *Abdomen* vel concolor vel rufum, petiolo fusco; hoc basi lineari subcarinato, postice conico-dilatato striolato. *Pedes* immaculati. *Alae* paulo dilutiores quam in *Perilito abdominatore;* stigmate fusco, puncto pallido. Nervus recurrens interstitialis.

Cepi unum *marem* die 6 Augusti 1807 prope *Sickershausen* in floribus umbellatis horti.

Varietas:

β. Thorace fusco, pleuris anticis rufis, petiolo abdominis distincte fusco.

Individuum unum mihi misit cl. *Manger* in *Sudetis* captum.

Adnot. A *Perilito ruficipite* Nro. 14. differt: Statura majore; capite crassiore; antennis longioribus, validioribus; abdomine latiore, petiolo minus elongato; stigmate crassiore, puncto distincto pallido notato.

12. Perilitus *ictericus.*

P. luteus, thorace nigro-vario; abdominis petiolo conico-attenuato, longitudinaliter rimuloso, basi subcarinato, terebraque longitudine abdominis nigris alis obscure hyalinis, stigmate testaceo. Fem.

Synon. *Bracon ictericus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 22. *n.* 34. *Tab. II. f.* 6.

Long. lin 2⅓. *Caput* luteum, oculis et ocellis nigris, antennis luteis, apice obscurioribus. *Thorax* nigro-fuscus, scutello obscure rubro. *Pectus* antice testaceum, postice obsolete rufo-variegatum. Thoracis dorsum, cum accuratius inspiciatur, luteum, lineis tribus latis, fuscis conflu-

entibus obscuratum. *Metathorax* rugulosus, immaculatus. *Abdomen* oblongum, petiolo longitudine fere abdominis, elongato-conico, ruguloso, nigro; secundo magno laevi, reliquisque brevibus, transversis, rufis. Terebra longitudine abdominis, nigra. *Pedes* toti lutei. *Alae* hyalinae, nervis pallide fuscis, stigmate testaceo.

Nervus recurrens in hoc a prima area cubitali ante apicem excipitur.

Cepi in sepibus humidiusculis mense Julio circa *Sickershausen.* Alterum exemplum, a cl. *Menzinger Friburgae* captum, amicissimus *Gravenhorst* benigne tradidit. *Marem* non vidi.

13. Perilitus *scutellator.*

P. rufo-ferrugineus, antennis (thoracis) metathoracisque dorso nigro fuscis, scutello rufo; abdominis petiolo conico-attenuato planiusculo rimuloso nigro; terebra longitudine dimidii abdominis; alis hyalinis, nervis fuscis, stigmate luteo. Mas. Fem.

Long. lin. $2^3/_4$. Praecedenti speciei proxime affinis, satis tamen distinctus, nec, quod sciam, alteri apte subjungendus. Ab illo, cujus descriptionem ex antecedentibus compares, hisce praecipue notis differt: *Color* saturatior; macula verticis, ubi stemmata, major, occipite nigro unita (quod illi omnino rufum); antennae fuscae, primo articulo antice rufo. *Thoracis* fuscedo paulo dilutior; lobo antico toto fusco nec latere et pleuris anticis pallidis; quae contra in nostro fuscescunt; sed pleurae posticae et pectus totum, fusca in illo, hic laete rufa immaculata. Scutellum rufum. Metathorax dorso niger, subtus et ad latera rufus, nec concolor (sub scutello lineam arcuatam rufam observavi). *Abdominis* petiolus paulo latior, nec basi distincte carinatus. Abdomen postice paulo magis dilatatum, dorso fuscescens; terebra longitudinem dimidiam abdominis vix aequat. *Pedes* corpore reliquo dilutius colorati; tibiis posticis apice fuscis; tarsis iisdem fuscescentibus. Nervus recurrens interstitialis.

Mas feminae simillimus, differt: colore rufo saturatiore; abdominis solo segmento secundo rufo, eoque ipso margine postico nigro; tibiis et tarsis posticis totis rufis.

Marem prope *Gottingam* in valle paludosa captum, nobis communicavit cl. *Gravenhorst.* *Feminam* idem tradidit, loco natali non adjecto.

Varietas:

β. *Thorace* rufo, immaculato.

Antennae fusco-testaceae paulo graciliores videbantur. *Metathorax* structurae communis et *thorax* totus laete rufi. Reliqua ut in specie genuina.

E Sudetis duo exempla obtinui, a cl. *Manger* capta.

14. Perilitus *ruficeps*.

P. niger, capite, pleuris anticis pedibusque rufo-testaceis; abdomine postice piceo; terebra longitudine abdominis; alis obscure hyalinis, stigmate fusco.

Long. lin. $2\frac{1}{3}$. Statura quam maxime accedit praecedenti, ad sequentes duos transiens. Differre tamen visus est.

Caput rufum, verticis macula et oculis nigris. *Mandibulae* angustae pallidae, apice fuscae; palpi pallidi. *Antennae* setaceae, longitudine corporis, testaceo-fuscae, articulis primo et secundo testaceis. *Thorax* laevis, niger, nitidulus, forma reliquorum, plaga laterali ante alas sordide rufa. *Metathorax* convexus, punctulatus, linea media elevata, apice retusus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, clavatum, petiolo longitudine partis reliquae, a basi angusta et fere recta dilatato-conico, planiusculo, rimuloso, basi subcarinato, marginibusque ibidem elevatis; hoc nigro, reliquis laevissimis nigro-piceis, secundo basi rufescente. Terebra decurva, longitudine abdominis, nigra. *Pedes* toti saturate rufi, tibiis posticis et tarsis iisdem fuscis, illis basi albidis. Alae fusco-hyalinae, nervis et stigmate fuscis; area cubitali prima nervum recurrentem excipiente.

Mas differt a femina: *Antennis* fuscis, basi parum pallidioribus; *capite* nigro, ore distincte rufo; *metathorace* vix carinato. *Abdominis* segmento secundo rufo, reliquis nigris. Pedes et alae eaedem ut in femina.

Cepi *feminam* a. 1811 prope *Sickershausen*; *Marem* ad *Ilmfeld* monasterium die 18 Junii 1813 deprehendi.

Adnot. Differt haec species:

1) a *Perilito rubente*: antennis longioribus, terebra longiore, stigmate fusco, insertione nervi recurrentis;

2) a *Perilito icterico*: colore, antennis validioribus paulo longioribus, stigmate fusco. (Hujus tamen, si sit varietas, prae reliquis existimanda);

3) a *Perilito scutellatore*: coloril[illegible] petioli abdominis structura, abdomine postice minu[illegible]atato, terebra duplo longiore, stigmate fusco, insertione n[illegible] recurrentis;

4) a *Perilito cinctello:* antennis longioribus setaceis, nec filiformibus; abdominis petiolo aliter formato, secundo segmento vix rufescente, stigmate toto fusco, nervo recurrente non interstitiali;

5) a *Perilito similatore:* antennis multo longioribus setaceis, capite rufo, petioli abdominalis forma, stigmate nullo puncto notato; terebra breviore;

6) a *Perilito abdominatore* denique: antennis longioribus, capite rufo, abdomine angustiore nec medio distincte rufo, terebra longiore, pedibus pallidioribus nec femoribus apice nigris, alis magis hyalinis, stigmate non notato.

15. Perilitus *cinctellus.*

P. niger, capite (thoracis lineis) abdominisque secundo segmento rufis; pedibus luteis; petiolo a basi ad medium lineari laeviusculo, inde parum conico-dilatato, ruguloso; terebra longitudine fere abdominis; alis hyalinis, stigmate pallido, puncto fusco. Mas. Fem.

Synon. *Bracon cinctellus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 23. *n.* 35. (*fem.*) *Spin. Ins. Lig. T. II. F. III. p.* 133. *n.* 22? (*mas.*)

Long. lin. 2. *Caput* testaceum, vertice fusco. *Antennae* testaceo-fuscae, corpore paulo breviores. *Thorax* niger. *Abdomen* petiolo elongato, ruguloso, secundo segmento testaceo, ultimis duobus piceis. Terebra petioli longitudine, aut paulo longiore, subrecurvo. *Pedes* toti testacei, coxis immaculatis. *Alae* obscurae, stigmate fusco, puncto albo. *Area secunda cubitalis* satis magna subquadrata, paulo minor tamen, quam eadem area aliorum hujus generis specierum.

Praecedenti perquam similis, nec facile distinguendus, nisi notam, e petiolo abdominis derivatam, adhibeas. Petiolus longitudine reliqui abdominis. Insertio nervi recurrentis interstitialis.

Mas a descriptione cl. *Spinolae* recedit: *antennis* longitudine corporis obscure rufis, ore orbitaque late rufis; *pedibus* posticis concoloribus, vix apice femorum tibiarumque obscuriori; *alis* subobscuris, fasciolae hyalinae, rudimento sub stigmate; insertione interstitiali nervi recurrentis.

Individua *feminea* cepi prope *Sickershausen* in pratis et sepibus humidis mense Junio 1809, 1814. *Marem* ibidem die 6 Octobris, locis apricis sylvaticis.

Varietas:

β. *Thorace* antice rufo, lineis tribus dorsalibus, subconfluentibus, nigro-fuscis; scutello rufo; *abdominis* segmentis posterioribus, inde a tertio, parum obscurioribus; *antennis* ferrugineis. Fem.

Forte juvenili aetate est. Hujus varietatis individua quaedam cepi prope *Sickershausen*.

16. Perilitus *similator*.

P. niger, ore antennis basin versus, pedibusque totis luteo-testaceis; abdominis segmento secundo piceo, ejusdem petiolo e basi lineari postice conico-dilatato, ruguloso; terebra longitudine abdominis metathoracisque; alis albidis, nervis stigmateque pallidis, hoc puncto fusco. Fem.

Long. lin. 2. A praecedente, cui admodum similis, differt notabiliter: *Antennis* longitudine dimidii fere corporis (cum illi corpore vix paulo breviores) validioribus, fuscis, basi subtestaceis; *abdominis* petiolo breviore, minus gracili, basi tractu quodam lineari quidem, sed planiusculo, et toto rimuloso; secundo segmento saturatius piceo-rubro; terebra longiore; *alis* lacteis, nervis pallidioribus. Nervus recurrens interstitialis. *Area cubitalis* secunda parva, ut in praecedente.

Variatur

α. segmento secundo abdominis sola basi piceo-rubro; hypostomate omnino nigro;

β. segmento secundo, abdominis piceo-rubro, margine postico tantum nigro; hypostomate sub antennis et ad oculos obscure rufo.

Varietatem α cl. *Sturm Norimbergae* captam, mihi tradidit; varietatem β sub finem Julii Hildeshemii in hortis captam, misit *Gravenhorst*. Die 1° Junii 1811, instante procella, ad fenestras, prope Sickershausen cepi, alterum ejusdem individuum a cl. Manger e Sudetis accepi.

Adnot. Bracon cinctellus Spin. an hujus an praecedentis mas habendus sit, merito adhuc dubitatur.

17. Perilitus *abdominator*.

P. niger nitidus, ore, antennarum dimidio anteriore, abdominis segmento secundo tertioque basi, pedibusque piceo-rufis, geniculis posticis nigris; terebra longitudine dimidii abdominis; alis obscuris, striga pallida sub stigmate fusco. Fem.

Synon. *Bracon abdominator*, *N. ab C. Berl. Mag. V. p.* 24. *n.* 36.

Long. lin. 2½. *Antennae* longitudine dimidii corporis, basi rufae, apice fuscae; in aliis fuscae, basi paulo dilutioris coloris. *Labrum* et *mandibulae* piceae, palpi obscuriores.

Caput et *thorax* glabriuscula, immaculata. *Abdominis* petiolus structurae omnino ut in *perilito icterico* N. 12; segmenta posteriora fuscescentia. Terebra rufa, valvulis nigris. *Pedes*, postici praesertim, validiores, quam antecedentium. *Alae* obscurae, subhyalinae, nervis et stigmate toto fuscis, fascia lineari-angusta, a stigmate orta, nec omnino percurrente, albido-hyalina; nervus recurrens mox omnino interstitialis, mox subinterstitialis. Statura paulo firmior reliquis.

Feminam unam cepi prope *Sickershausen* in dumetis die 6° Junii 1809.

Varietas:

α. Geniculis posticis vix paulo obscurioribus. *Fem.*

Cepi mense Octobre 1810, prope *Sickershausen.*

Adnot. *Mas* ignotus. An Perilitus obfuscatus n. 11. huic conjungendus?

18. Perilitus *consimilis.*

P. ater, nitidus, capite thorace angustiore, vertice angusto; mandibulis palpis pedibusque totis saturate rufis, femoribus tibiisque posticis apice fuscescentibus; abdominis oblongo-ovati, primo segmento longiusculo, conico, aequali, rimuloso, secundo laevissimo. Mas.

Long. lin. 2. *Caput thorace* angustius; vertice angustissimo transverso; hypostomate os versus angustiore; clypeo profunde biimpresso. *Antennae* longitudine corporis, rectae, setaceae, nigrae, subtus basin versus parum rufescentes, primo articulo toto nigro. *Metathorax* rugulosus reticulatus sed minime carinatus. Segmentum primum abdominis basin versus angustatum, aequale, rimulosum, carinis nullis. Anus subcompressus. *Pedes* toti rufi, solis femoribus tibiisque posticis apicem versus obscurioris coloris. Color ater, purus. Stigma alarum fuscum.

Cepi prope *Sickershausen* anno 1812. Feminam non vidi.

? 19. Perilitus *petiolatus.*

P. testaceus nigro maculatus; alis hyalinis, fasciis duabus fuscis.

Synon. *Bracon petiolatus*, *Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 137. *n.* 23.

Long. lin. $^3/_4$—1. *Antennae nigrae. Caput* quoque nigrum. *Thorax*, lobo collari toto testaceo; intermedio in dorso testaceo et in pectore nigro; scutellari nigro, pleuris testaceo nigroque variis. *Abdomen* nigrum, petiolatum; petiolo dimidia abdominis longitudine. *Pedes* testacei. *Alae* hyalinae, fasciis duabus fuscis.

Observatio:

An hujus generis? an rectius forte Spathio generi adscribendus? Ipsi non vidimus hujus insecti exemplum.

GENUS VII.

LEIOPHRON.

N. ab E. Nov. Act. Ac. C. L. C. Nat. Cur. IX. p. 303. *n. VI. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 52.

Nomen a λεῖος, laevis, et *φρῶ pro φέρω.*

Caput transversum, vertice plano angusto. *Prothorax* brevis. *Abdomen* thorace longius, convexum, primo segmento conico longiusculo interdum sinuato, secundo maximo campanulato, reliquis brevissimis linearibus. *Areolae cubitales* duae. (Terebra decurva vel retracta.)

Antennae filiformes, multi-articulatae. *Mandibulae* tenues, basi hiantes, acutae, inermes. *Palpi maxillares* quinque-articulati, articulo quarto compresso, obconico, longiori, quinto subclavato; *labiales* triarticulati, secundo articulo conico, tertioque subclavato aequalibus. *Alae* areis cubitalibus duabus, prima rhombica, in angulo infero nervum recurrentem excipiente, secunda incompleta, effusa; area radiali oblonga, in alae apice clausa; discoi-

dalibus duabus, exteriori majori, subquadrata; limbo subenervi. *Stigma* ovatum.

Caput transversum, verticale, thorace non latius, vertice transverso, obtuso, nec lato. *Hypostoma* breve, in medio longitudine elevatum. Clypeus non discretus, utrinque fovea profunda elevatus. *Thorax* ovatus; lobo antico humillimo, angusto; medio tumido, aequali, obtuso; scutellum parvum, triangulum, obtusum, foveola discretum. *Metathorax* productus, rotundatus, subaequalis. *Abdomen* vix longitudine capitis et thoracis, ovatum, aut apice subcompressum, convexum, laevissimum, segmentis omnibus arcte incumbentibus, ut vix discernantur; primo et secundo maximis, illo tamen breviori, ad basin modice aut parum angustato, hoc campanulato-ovato; reliquis brevissimis, lineari-transversis. Terebra feminae in aliis exserta, e ventris compresso-trigoni apice obtuso prodiens, decurva, (in specie prima); vel retracta, cum vagina conica valida inflectenda. *Pedes* validi, ungue crasso, divaricato. *Alae* magis minusve hyalinae.

1. Leiophron *falcatus.*

L. ferrugineus; terebra exserta decurva, longitudine dimidii abdominis, subcultrati. Fem.

Long. lin. $1^{3}/_{4}$. *Caput* thoracis latitudine. *Antennae* longitudine fere corporis, filiformes, articulis triginta cylindricis; scapo paulo crassiore; pedicello exserto, rotundato; apicalibus brevioribus. *Metathorax* arearum vestigiis rugulosus. Abdominis primum segmentum subrectangulum, planiusculum, marginibus lateralibus utrinque basin versus subsinuatus, unde angulus obtusus ante medium, ex quo basis segmenti repente contrahitur; supra angulum quemque foveola parva oblique depressa; reliqua superficies levissime substriolata; cetera segmenta omnia levissima, secundo maximo; ventralia compresso-carinata, quare abdomen a latere obtrigonum; apex truncatus.

Superficies totius corporis laevis, glabra; *color* e testaceo ferrugineus, *thoracis dorso* apiceque *abdominis* obscurioribus, *mandibularum apice, oculis,* macula *verticis, occipite* supero, *metathorace, pectore* postico, *abdominisque* primo segmento basi fuscis; terebra nigra. *Antennae* ferrugineae, apicem versus obscuriores. *Alae* cinerascenti-hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Unum individuum femineum cepi prope *Sickershausen* anno 1814.

2. Leiophron *clavipes.*

L. ferrugineus; abdomine marginato; terebra recondita; femoribus omnibus clavatis. *Fem.*

Long. lin. 1¼. *Caput* thorace angustius. *Antennae* gracillimae corpore paulo breviores; filiformes, articulis filiformibus, anterioribus elongatis. *Thoracis* lobus medius depressiusculus, lineolis duabus ante scutellum in triangulum coëuntibus argute incisus. Scutellum triangulare, foveola triangulari discretum. *Metathorax* subrugulosus, obtuse carinatus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et latius, oblongum, basin versus et apicem aequali ratione diminutum, dorso convexo, toto ambitu depressione marginatum, primo segmento a basi ad apicem conico-ampliato, disco medio elevato, laevi apicem versus substriolato, lateribus declivibus striolatis; secundo segmento maximo, marginibus lateralibus basin versus tumidulis, margine postico medio sinuato; anus acutus decurvus. Venter concavus. *Pedes* breviusculi; femoribus omnibus crassis, subclavatis.

Superficies corporis laevis, subpubescens. *Caput* et apices antennarum, vertex, metathorax et femorum clavae paulo obscurioris coloris sunt, quam reliquum corpus, quod colore gaudet laete ferrugineo. *Pedes* luteo-testacei. *Alae* hyalinae, nervis testaceis, stigmate fusco.

Habitat *Taurini.* Bina exempla feminea e collectione *Bonelliana* nobis accesserunt.

3. Leiophron *ater.*

L. ater, nitidus, ore antennarum basi subtus pedibusque totis testaceis; abdomine ovali; terebra recondita. *Mas Fem.*

Long. lin. 1. *Caput* ut in praecedente, vertice angusto, hypostomate distincte carinato. *Antennae* filiformes, longitudine fere corporis; articulis plerisque cylindricis, extremis abbreviatis. *Thorax* gibbus, aequalis. *Metathorax* rotundatus, subrugulosus. *Abdomen* capite thoraceque brevius, ovale, obtusum, convexum; primo segmento conico, subaequali, ad latera prope basin utrinque striolato; reliquis omnibus laevissimis; secundo maximo et cum reliquis ita connivente, ut fere ex uno solo segmento abdomen constare videatur. Anus rotundatus. Venter compresso-carinatus. Terebra recondita; dum exseritur, antrorsum ut hamulus exstat, vagina co-

nica inclusa. *Pedes* validiusculi, sed nullo modo clavati; ungues crassi, subinflati.

Superficies corporis laevissima, glabra, *atra* et nitida. *Rufa*, seu potius pallide testacea sunt: os cum clypeo, antennarum facies infera basin versus, et pedes toti, at ungues atri. *Alae* hyalinae, nervis pallidis, stigmate subfusco.

Mas feminae simillimus, abdomine angustiore, antennis longioribus, demto pedicello nigris, viginti quinque articulis.

Marem et *feminam* in copula cepi aestate 1814 in horto prope *Sickershausen.*

GENUS VIII.

BRACON Fabr.

N. ab E. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 303. *n. VII. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 52. *Braconis generis Fam. I. specc. pleraeque. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 3 *seqq. Braconis specc. Spin. Ins. L. II. Fasc. III. p.* 87 *seqq. Jur. Fabr. Panz. Illig. Vipio Latr. Ichneumon spp. Lin. Geoffr. Vill. Oliv. Scop. Schrank. Rossi. Christ. Schaef. Cuv. Lam. Walck.*

Nomen: Sonus, a *Fabricio* inventus, derivatione incerta.

Caput transversum, vertice lato rotundato, in nonnullis subglobosum. *Prothorax* brevis. *Abdomen* thorace longius, ovatum vel ovale, convexum vel depressiusculum, segmento petiolari brevi conico-angustato plano plerumque impresso, reliquis magnitudine decrescentibus. *Areolae cubitales* duae vel tres, prima plerumque secundave nervum recurrentem excipiente. (Terebra in plurimis exserta, recta.)

Palpi filiformes, inaequales, *maxillares* longissimi, quinque-articulati; *labiales*, brevissimi, triarticulati. *Labium* apice membranaceum, profunde emarginatum. *Mandibulae* validiusculae corneae, apice fissae, basi rima distantes.

Character naturalis generis, cl. Panzeri verbis, utpote quibus nihil accuratius, ita exhibendus:

Os maxillis palpisque absque lingua. *Palpi* quatuor inaequales filiformes: anteriores longiores, exserti, quinquearticulati: articulo primo brevissimo, secundo parum longiori, tertio longiori, crassiori, subclavato, ultimis duobus setaceis longioribus, medio maxillae adhaerentes: posteriores breviores triarticulati, articulo primo breviori subincurvo, secundo crassiori, ultimo longiori setaceo, ante apicem labii inserti. *Maxilla* cornea, compressa, brevis, apice dilatatá, obtusa, ciliata, margine submembranacea. *Labium* basi corneum, rectum, cylindricum, apice membranaceum, emarginatum, laciniis obtusis. *Mandibula* cornea, valida, brevis, crassa, apice fissa, laciniis subaequalibus. Antennae setaceae.

Habitus universi corporis Braconum hic est: *Caput*, mediae magnitudinis, collo paulum elongato insidens; vertice stemmatibus tribus in triangulum dispositis; oculis lateralibus ovalibus. *Antennae* approximatae, mediae fronti insertae; articulo primo breviore; secundo maximo; reliquis subaequalibus, sensim decrescentibus, vix distinctis. *Thorax*, lobo collari fere recondito, angustissimo, antice producto; lobo intermedio magno, gibboso, antice rotundato, postice acuminato, foveis duabus utrinque excavatis prope alarum insertionem; alarum squamula cornea, mediae magnitudinis; lobo scutellari declivi, superficie saepius rugosa vel inaequali; pleuris sub basi alarum gibbosiusculis; pectore plano. *Abdomen*, segmentis septem in feminis, octo in maribus, magnitudine varia, dimidia corporis longitudine in *Braconibus denigratore, flavatore* etc., plus dimidio longiore in *Braconibus desertore*, *nominatore* etc.; subsessile, depressiusculum, lineare vel ovale; segmentis quinque anterioribus subaequalibus; ultimo in maribus interdum recondito, in feminis noduloso.

Feminarum terebra oviductu constat corneo, supra canaliculato, apice acuto, saepius utrinque serrato, valvulisque duabus vaginantibus, intus concavis, oviductum includentibus. Magnitudo variat. Terebra corpore longior in *Braconibus desertore*, *nominatore;* corporis magnitudine in *Braconibus flavatore*, *rostratore* etc.; corpore brevior in *Bracone deflagratore;* crassa clavata in *Bracone denigratore;* valvulis vaginantibus hirsutis, rarius glabris.

Pedes, coxis magnis incrassatis, trochantere conspicuo; femoribus validioribus, interdum incrassatis ut in *Braconibus castratore*, *deflagratore;* tibiis tenuibus elongatis; tarsis quinque-articulatis; articulo ultimo uncinulis duobus instructo vix conspicuis, brevissimis, pilis fere oblectis. Pedes postici magis elongati, antici breviores. *Alae areola radiali* una variae magnitudinis, *cubitalibus* variis; rarius *duabus*, in plurimis *tribus*, tum binis anterioribus saepe subquadratis, quarum prima nervum recurrentem excipit. Areola secunda cubitalis magnitudine variat, in plerisque praecedente minor, interdum, sed rarius, major.

Alae inferiores. Nervi brachiales tres. Stigma vix conspicuum ultra dimidium marginem anteriorem. Hamuli tres vel quatuor brevissimi stigmati insident. *Areola marginalis* una, magna, aperta. *Areola submarginalis* una, magna, elongata, aperta, apice latior. Nervus tertius brachialis brevissimus, alae paginam posteriorem attingit et nervo transverso cum pseudocubito coalescit. Incisurae posteriores nullae. Ex. *Bracones desertor*, *nominator*, *castrator*, *denigrator*, *flavator*, *minulator* cet. (Spin. l. c.)

SECTIO I.

Bracon Fam. I. Species Heteroclitae II. A. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 18 *seqq.*

Areolae cubitales duae, prima subquadrata, nervum recurrentem ante apicem excipiente.

Species parvae, alis longis hyalinis, antennis articulis viginti duobus pluribusve, terebra brevi.

Caput parvum, depresso-subglobosum. *Antennae* filiformes, articulo primo longiori, crassiori, secundo breviori, sed ejusdem crassitiei, tertio minuto, reliquis omnibus arcte contiguis, cylindricis, quarto ad decimum paulo longioribus, reliquis aequalibus, ultimo acuto. *Thorax* oblongus, suturis duabus anticis arcuatis, arcu introrsum verso, plus minus distinctis, notatus; *metathorax* rugulosus. *Abdomen* oblongo-ovatum, segmento petiolari conico-angustato, ut fere petiolum brevem constituat; reliquis subaequalibus, dorso planiusculo, ventre convexo-gibbo. *Pedes* mediocres. *Alae* oblongae, stigmate oblongo; *areola radiali* oblonga, radio parallela, in apice alae desinente. Areolae cubitalis secunda interne ad originem nervo crassiori

siori indicata, quo brevi spatio contracto, et in conspicuo limites interiores obliterantur.

1. Bracon *ruficornis.*

B. niger, pubescens; abdominis ovati, subcompressi secundo segmento piceo; antennis et pedibus rufis; antennarum gracilium articulis omnibus cylindricis; terebra longitudine ⅓ abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon ruficornis N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 18. *n.* 24. *Tab. I. f.* 3.

Long. lin. 1 — 1¼. *Mandibulae* et palpi rufa. Antennae apice obscuriores. *Metathorax* productus, truncatus, rugulosus, area dorsali scutiformi postice rotundata distincte marginata-media, secundum longitudinem carina bipartita.

Abdominis segmentum petiolare rugulosum, nigrum unisulcatum; reliqua segmenta laevia, piceo-rufescentia; secundo et tertio dilutioribus, striga evidentiori, nigra ante marginem notatis; reliquis subfuscis, omnibus striga punctulata ante marginem posticum notatis. Venter basi rufus. Terebra picea. *Pedes* toti rufi; unguibus nigris. *Alae* albidae, nervis et stigmate fuscis. Scutellum tuberculo-apiculatum.

Mas idem. *Antennae* paulo tenuiores, apice distinctius nigricantes. Abdomen angustius, spathulatum.

Cepi feminas plures prope *Sickershausen* mense Octobre sub foliis aridis, mense Septembre inter frutices, mense Martio sub muscis ad arborum radices, mense Majo in floribus. Mares locis humidis prope *Sickershausen* Septembri mense inveni; tum etiam e *Sudetis* a cl. *Manger*, ex *Italia* a Do. *Bonelli* mihi individua communicata sunt.

Varietas:

Varietatem hujus memorabilem, corporis colore, ubi in reliquis niger est, ubique rufo-piceo, sed reliquis notis omnino congruam, exhibuit cl. *Gravenhorst*, a cl. *Menzinger* ex archiducatu *Badensi* missam. Feminei sexus hoc individuum est.

2. Bracon *diversicornis.*

B. niger, pubescens; abdominis ovato-compressi segmento secundo piceo; pedibus antennisque rufis, his validis, apice nigris, articulis exterioribus subglobosis; terebra longitudine ⅓ abdominis.

Long. lin. 1 — $1^1/_4$. Antennis crassioribus, apice nigris, articulis posterioribus magis rotundatis, abdomine evidentius compresso, alis, ratione corporis paulo brevioribus angustioribus obscurioribus, nervis validioribus, a praecedente evidenter differt. Metathoracis area ad speciem magis truncata.

Mas feminae similis. Antennae nigrae, articulo secundo et tertio rufis, subsetaceae; reliqua ut in femina. *Alae* ampliores.

Feminam cepi mensibus Novembre, Martio et Aprile sub muscis ad radices arborum et sub foliis prope *Sickershausen*; e *Sudetis* plurima individua, sicuti et marem, accepi, a cl. *Manger* collecta.

3. Bracon *lucidator.*

B. ater, nitidissimus, mandibulis, pedibusque luteis, tibiis posticis apice fuscis; antennis gracilibus corpore longioribus, fusco-testaceis, basi pallidioribus; alis hyalinis, stigmate ovato fusco. *Mas.*

Long. lin. $1^1/_4$. A praecedentibus, primo intuitu abunde differt: nitore, capite crassiore, thorace magis gibbo, pedibus obscurioribus, alis hyalinis, stigmate ovato, areola radiali ovato-acuta.

Abdomen spathulatum, laevissimum, primo segmento conico rimuloso.

Cepi mense Octobre prope *Sickershausen*. *Feminam* non vidi.

4. Bracon *fuscipes.*

B. aterrimus, mandibulis rufis; palpis pedibusque fusco-piceis, femoribus anticis apice, tibiis iisdem totis, posteriorum geniculis pallidioribus; antennis filiformibus, longitudine dimidii corporis; terebra recondita. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Statura minor est praecedente. *Antennae* breviores. *Abdomen* magis ovatum, vel ovato-oblongum; primo segmento latiori, striolato, in medio subtilissime carinato, marginibus parumper ascendentibus. Ventre compresso trigono. Pedes validi, obscuriores; femoribus posterioribus fere piceis; tarsorum posticorum articulo quarto dilatato. Stigma latius.

Mas et *femina* vix distinguenda.

Cepi mensibus Junio et Julio *Sickershusae* in Anethi floribus.

Binae hae species, *Bracon lucidator* et *fuscipes*, a

praecedentibus habitu ita recedunt, ut propriam sectionem potius sibi poscere videantur.

SECTIO II.

Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. Vol. IX. p. 303.

Areolae cubitales duae, prima elongata semidivisa nervum recurrentem in medio excipiente. *Alae* villosae. *Terebra* elongata.

Species una, parva, habitu specierum majorum Sectionis IV. Tribus III. Sphaerocephalorum, v. c. *Braconis initiatoris*, alarum structura singulari discrepans. *Area brachialis magna*, cuneiformis. *Areola radialis* una, ovata, apicem alae late attingens. *Cubitales areolae* duae; prima incurva, magna, ex primae et secundae areolae spatio communi conflata, ramulo radii sub stigmate subdivisa; secunda incompleta, effusa. *Areolae discoidales* duae, quarum exterior major subquadrata. *Stigma* ovale, dente auctum. Tota superficies alarum pubescens.

5. Bracon *caesus*.

B. rufo-ferrugineus, antennis thoraceque obscurioribus, abdominis oblongi secundo segmento strigis duabus impresso, basi primoque toto striolatis, terebra abdomine longiore. *Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Caput* thorace paulo angustius, transverse cubicum, laeve, nitens, rufum; vertice lato, rotundato; hypostomate brevi; reclinato; antennae graciles, filiformes, longitudine corporis. Nigri sunt oculi et ocelli; antennae et apices mandibularum fuscae. *Thorax* ovato-compressus, fuscus; lobo antico (prothorace), humili rufo-ferrugineo; lobo medio elevato, tricolli, suturis pallidioribus; metathorax ovato-rotundatus, rugulosus, aequalis, una cum scutello thoraci concolor. Pleurae macula rufo-ferruginea notatae. Pectus anticum rufum. *Abdomen* capite cum thorace longius, basin versus attenuatum, convexum, apice decurvum; primo et secundo segmento majoribus, illo conico lateribus rectis, striolato fusco, hoc strigis duabus subarcuatis in medio sibi approximatis impressis notato, a basi ad primam usque strigam striolato, abhinc laevi, toto ferrugineo; segmentis reliquis brevioribus, pallidioribus, laevissimis nitidisque. *Terebra* recta, tenuis, fusca, pubescens, abdominis et metathoracis simul

sumtorum longitudine. Venter concavus. *Pedes* validiusculi, testacei; femoribus subclavatis; coxis et trochanteribus albidis; unguibus fuscis. *Alae* cinerascenti-hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Unum individuum, *feminei* sexus, in collectione *Bonelliana* vidi, prope *Augustam Taurinorum* captum.

SECTIO III.

Bracon Fam. I. species Heteroclitae I N. ab E. Berl. Mag. V. p. 15 *seqq. Gravenh. l. c. p.* 52.

Areolae cubitales tres, secunda postice attenuata nervum recurrentem excipiente.

Species parvae, antennis gracilibus, capite crassiusculo, mandibulis hiantibus vel acute bifidis, vel tridentatis, tum medio dente longiori, lateralibus exiguis, abdomine ovato planiusculo laevi terebra brevi, pedibus validiusculis. *Alae* obscure hyalinae. *Areola radialis* una, magna, elongata, in apicem effusa; stigmate in media costa angusto. *Areolae cubitales* tres; prima minore, subquadrata; secunda elongata, postice angustata, ad originem nervum recurrentem excipiente (rarius eodem nervo ipsas primae et secundae Areolae limites petente); tertia incompleta.

Species hujus seriei, plurimae admodum parvae, mediae quasi inter Bracones et Alysias, his propius fere accedere videntur; sed Palpi labiales, quos equidem vidi, triarticulati, et nervi recurrentis insertio (Mandibularum formam non adduco, cum haec quidem ex forma mandibularum Alysiarum, lobo medio ultra modum in longitudinem aucto, derivari possit), alienam ab his quoque notam iis imprimunt. Habeant itaque sibi hunc inter reliquas hujus generis species locum, donec meliora doceat oris accuratior inspectio.

6. Bracon *pygmaeator.*

B. niger, antennis pedibusque piceis; tibiis, anticis totis, posterioribus basi, tarsisque omnibus testaceis; abdomine oblongo-ovato, planiusculo, terebra longitudine abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon pygmaeator N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 15. *n.* 19.

Long. lin. 1. *Caput* latitudine thoracis, transversum, vertice obtuso; hypostomate subconvexo, punctis duobus

impressis, atrum, laevissimum; clypeo, mandibulis et palpis rufo-testaceis. *Antennae* longitudine fere corporis, filiformes, nigrae; articulo secundo (tertio) minuto, rufo; reliquis cylindricis. *Thorax* brevis, ovatus, tumidus, laevis, ater, nitidus. *Metathorax* brevis, convexus, laevissimus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, ovatum, planum, laeve, atrum; primo segmento conico, subrimuloso, in medio carinato. Terebra recta, abdomine paulo brevior. Coxae nigrae; caeterum pedes piceo-testacei vel pallide testacei, femoribus anticis apice, tibiis iisdem totis, posterioribus basi et tarsis pallidioribus. *Alae* obscure hyalinae, nitentes, nervis et stigmate fuscis, hoc pallidiore. Areola cubitalis secunda in angulo antico interiori nervum recurrentem accipit. Areola radialis in apice clausa.

Mas, feminae omnino congruus, antennis paulo longioribus abdomineque angustiore differt.

Feminam et *marem* cepi mense Majo locis humidis prope *Sickershausen.*

Varietates:

β. Long. lin. $^1/_2$. Antennae articulis distinctioribus. *Abdomen* magis ovatum. *Pedes* multo obscuriores. *Areola radialis* in apicem effusa. Nervus recurrens interstitialis. *Mas.*

Cepi in floribus Pimpinellae Saxifragae mense Octobre prope *Sickershausen.*

7. Bracon *ovator.*

B. ater, laevis, pubescens; mandibulis pedibusque rufo-piceis, femorum margine supero fusco; abdomine ovato, convexo; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum. *Fem.*

Long. lin. 1. Habitus praecedentis. *Caput* transversum, latitudine thoracis, vertice planiusculo; clypeo brevi, linea semicirculari discreto. Mandibulae rufae tridentatae. Antennae filiformes, dimidio corporis vix longiores, nigrae, pedicello piceo. *Thorax* ovatus. *Metathorax* brevis, convexus, rugulosus. *Abdomen* thorace vix longius, ovatum, convexum, nigrum; primo segmento brevissimo, lato, conico, convexiusculo, ruguloso; reliquis laevibus. Terebra vix longitudine duorum ultimorum segmentorum. Pedes picei, coxis, trochanteribus, femorumque margine supero fuscis; tarsis fuscescentibus. *Alae* hyalinae, ner-

vis et stigmate oblongo-fuscis; areola radiali ovata, in apice clausa; cubitali secunda quam in antecedente breviori, primae subaequali; nervo recurrente in angulo antico inserto.

Cepi feminam aestate anni 1814 in horto prope *Sickershausen.* Marem non vidi.

8. Bracon *circulator.*

B. ater, ore, pedibus totis, abdominisque suborbiculati secundo segmento rufis; terebra longitudine abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon orbiculator N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 15 *et* 16. *Mares.*

Long. lin. 1. Ater, laevissimus. *Caput* latitudine thoracis, transversum, hypostomate verticali convexo, albido-pubescente, vertice obtuso, occipite concavo, atrum nitidum, mandibulis palpisque pallide rufis luteisve. *Antennae* filiformes, longitudine corporis, fuscae. *Thorax* subglobosus, gibbus, laevissimus, ater, pubescens. *Metathorax* brevissimus, abrupte devexus, laevissimus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, orbiculato-obovatum, planum, laevissimum; primo segmento angusto, conico, brevi, subinaequali, nigro; secundo rufo; reliquis nigris, postico margine ciliatis. Terebra pubescens, longitudine abdominis. Venter niger. *Pedes* toti rufo-testacei, unguibus nigris. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate testaceis, areola cubitali nervum recurrentem in angulo anteriori excipiente.

Mas. Feminae similis. *Antennae* corpore longiores, subsetaceae. *Abdominis* colores, capitis pictura, variant.

Feminam cepi mense Junio in Thesio linophyllo, locis sylvaticis, prope Sickershausen; marem ibidem.

Observatio:

A sequente difficillime, nec nisi terebrae longitudine, distinguendus. Rubedo secundi segmenti tamen laeta et diluta, in isto contra obscura. Major quoque hic noster est, quam sequens.

Varietates:

α. Long. lin. ²/₃. *Caput* nigrum. *Antennae* nigrae. *Abdominis* primum segmentum nigrum, secundum rufum. *Mas.*

β. Pleraque ut in α. Long. lin. 1. *Antennarum* articulo tertio basi rufo. *Abdominis* segmenta duo anteriora rufa. *Mas.*

γ. Medius quasi inter β et δ. *Abdomen* segmento primo nigro, secundo, tertioque basi, rufis. *Caput* nigrum. *Antennarum* articulus secundus et tertius subtus rufi. *Mas.*

δ. *Hypostoma* rufum, orbita postica rufescens. *Antennae* basi subtus rufae. *Abdominis* segmentum secundum solum rufum. *Mas.*

Antennae in varietatibus α — δ tenuiores, fere filiformes.

ε. *Caput* totum rufum, solo vertice late nigro; *antennis* validis ut in Varietate ζ.

ζ. Long. lin. $1\frac{1}{8}$. *Antennae* nigrae, validiores, subsetaceae. *Caput* nigrum, orbita postica in aliis concolor, in aliis laete rufa. *Abdominis* segmentum primum nigrum; secundum totum, tertium basi rufa. Segmentorum margines ciliati. *Mas.*

Individua harum varietatum eaque *masculi* sexus omnia, promiscue cepi mensibus Julio et Augusto ad ripas rivuli, in horto, et in dumetis prope *Sickershausen.*

Observatio ad var. ζ.

Forte specie differt. Individuum alterum, cui orbita postica concolor, et tibiae posticae apice nigrae sunt (Long. lin. $1\frac{1}{2}$) benigne communicavit vir clariss. *Gravenhorst*, captum sub finem mensis Maji *Gottingae* in horto.

Abdomen huic paulo magis ad formam ovatam accedit.

9. Bracon *orbiculator.*

B. niger, ore, palpis et pedibus totis testaceis, abdomine orbiculato-ovato, basi obscure rufo; terebra longitudine ultimorum duorum segmentorum abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon orbiculator N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 15. *Tab. I. Fig.* 2. *femina, exclusis maribus.*

Long. lin. $\frac{3}{4}$. *Caput* transversum, vertice obtuso, laeve, nitens, nigrum. *Antennae* longitudine corporis, articulis duobus baseos rufis. *Mandibulae* et *palpi* rufi. Abdominis segmentum primum breve, abrupte angustius, subrugosum et secundum obscure piceo-rufa. *Pedes* rufi, ungulis nigris. *Alae* ut in praecedentibus, nervo recurrente apici

areolae secundae ita proxime inserto, ut cum nervo transversali confluere videatur. Corpus pubescens.

Mas. Long. lin. 1. *Abdominis* segmento primo rufo, medio fusco, secundo toto, tertio basi rufo.

Feminam in gramine juxta ripas rivuli cujusdam, locis obumbratis, cepi mense Octobre, prope *Sickershausen; marem* ibidem Julio et Augusto mensibus, in dumetis et in Pastinaceae floribus pratorum.

V a r i e t a t e s:

β. Abdomine a segmento tertio toto fusco-piceo. Huic antennae paulo longiores esse videntur, et primus articulus supra obscurior. Caetera eadem. *Fem.*

Cepi in dumetis mense Septembre prope *Sickershausen.*

10. Bracon *apiculator.*

B. ater, ore, palpis et pedibus testaceis, coxis posterioribus basi (tibiisque posticis apice) fuscescentibus; abdomine ovato, segmento primo ruguloso, secundo basi utrinque oblique impresso. Terebra vix longitudine ultimi segmenti. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. A praecedente, cui admodum similis est, differt: *Antennis* totis nigris, solo pedicello rufo; *abdomine* magis ovato, concolore, primo segmento late conico, ruguloso, ad latera piceo lucente, postice utrinque oblique retrorsum depresso, secundo basi fossulis duabus antrorsum conniventibus angustis notato; terebra breviore; coxis posterioribus fuscis, apice dilutioribus; tibiis iisdem apice obscurioribus.

Antennae graciles, filiformes, longitudine corporis. *Alae* omnino typo familiae accedunt.

Mas. Idem omnino, paulo major; *antennis* aliquantum validioribus, *abdomine* longiore, tibiis posticis apice determinate fuscis.

Abdominis petiolus basi parumper retusus, caeterum ejusdem structurae ac in femina; segmentum secundum eodem modo impressum.

Variat long. lin. 1¼, ceteroquin omnino congruus.

Cepi *marem* cum *femina* prope *Sickershausen* in horto mense Septembre; marem etiam mense Majo ad fenestras (Var. long. lin. 1¼).

11. Bracon *nitidulator.*

B. niger, nitidus, capite rufo, vertice atro, thorace lineis quatuor dorsalibus, scutello, abdominisque ovati bre-

vis segmento secundo basi saturate rufis; pedibus totis pallide testaceis; alis obscure hyalinis, nervis stigmateque fuscis. *Mas.*

Long. lin. 1¾. Statura accedit *Braconi urinatori. Caput* transversum, thoracis latitudine, rufum; *mandibulis* angustis, basi hiantibus, testaceis, apice fuscis; *palpis* pallidis; *hypostomate* punctis duobus ante marginem anticum impressis, alteroque sub antennis nigris; vertice macula magna trigona nigra; occipite nigro. *Antennae* corpore longiores; setaceae, nigrae, articulis primo et secundo pallidis. *Thorax* brevis, subglobosus, gibbus, lobo antico et medio supra saturate sanguineo-rufis, lineis tribus latis nigris; scutello sanguineo-rufo. *Metathorax* brevis, convexus, rugulosus, sulculo transversali arcuato sub scutello. *Abdomen* breve, sessile, convexum, laeve, segmentorum marginibus ciliatis, secundoque basi indeterminate piceo-rufo. Anus rotundatus. *Pedes* breves, validiusculi. *Alae* ut in praecedentibus, nervis validis, areola radiali in apice sinuato-acuta; areola secunda cubitali postice angustata, ad originem nervum recurrentem accipiente.

Cepi marem unum mense Majo in Pruno Ceraso prope *Sickershausen. Feminam* non vidi.

12. Bracon *ciliatus.*

B. niger, pubescens, antennarum basi, ore et pedibus totis luteis, abdominis oblongi segmentis margine ciliatis, primoque segmento brevi conico rugoso. *Mas.*

Synon. *Bracon ciliatus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 16. *n.* 21.

Long. lin. 1½. *Caput* transversum, supra antennas retusum, nigrum. *Mandibulae* et *palpi* pallida. *Antennae* subsetaceae, longitudine corporis, articulis baseos rufis, apice fuscae. *Abdominis* segmentum primum crassius rugulosum, quam in sequente. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate pallide fuscis; areola radialis in apicem alae late effusa, in sequente apice acute clausa. Nervus recurrens interstitialis.

Cepi *marem* mense Junio in horto prope *Sickershausen.* Feminam non vidi.

Observatio:

Specimen alterum misit vir clariss. Gravenhorst, cui areola radialis paulo angustior; antennae obscuriores, ar-

ticulis tribus anterioribus rufis, sed reliqua congrua. Petiolus abdominis satis angustatus, basi retusus, utrinque tuberculo auctus; caeterum laevis. An itaque mari sequenti adjungendus; sed nervus recurrens interstitialis.

13. Bracon *carbonarius.*

B. ater, nitidus, ore pedibusque totis rufis, abdomine obovato-oblongo; terebra recondita, antennis setaceis, corpore longioribus. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2¼. *Caput* latiusculum, vertice transverso; hypostomate verticali carinato pubescente, nigrum, nitens; clypeo, ore, mandibulisque rufis, his apice fuscis. *Antennae* nigrae, pedicello basi rufo. *Thorax* et *abdomen* atra, nitidissima, laevigata, subpubescentia; *metathorax* devexus, punctulatus. *Abdominis* petiolus conicus, substriolatus, carina media acuta, ante basin bifida; reliqua segmenta laevissima, ciliata; terebra sub ano conspicienda. *Pedes* toti laete rufi; tarsis apice fuscidulis. *Alae* hyalinae, nervis fuscis, stigmate angusto pallidiore; areola radiali apicem attingente.

Mas. Feminae structura similis, sed abdomine longiore, magis oblongo, antennis longioribus setaceis, articulo primo et secundo subtus rufo-testaceis.

A mare praecedente, quocum primo intuitu facile confundi posset, cum nullum magis forma referat, potissimum distinguitur segmento primo abdominis basi latiore, subtilius ruguloso.

Feminam et *Marem* cepi mense Junio in horti floribus prope *Sickershausen.*

Varietas:

β. Abdominis segmento tertio margine postico, laterali praesertim, rufo-piceo. *Mas.*

Ex *Italia* a cl. *Sanvitali* transmissum est unum hujus varietatis exemplum, in Etruria captum.

Observatio:

Individuum alterum, huic perquam simile, abdominis primo segmento adhuc latiore, caeterum habitu, alarumque ratione inter *Bracones carbonarium* et *atrum* vere ambiguum, communicavit cl. *Gravenhorst* (in *Germania* captum), *Braconi coxali Spinolae* (Ins. Lig. Vol. II. Fasc. III. p. 126. n. 17.) affinem videri docens, a quo nihilominus plurimis recedit.

14. Bracon *ater*.

B. ater, pubescens, mandibulis pedibusque rufis; abdomine ovato, nitidissimo; terebra longitudine ultimi segmenti hirta; antennis filiformibus, corpore brevioribus. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon ater N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 17. *n.* 22.

Long. lin. $1\frac{1}{2}$ — 2. *Caput* transversum, latitudine thoracis, hypostomate verticali carinula distincta elevata, vertice obtuso, fronte supra antennas parumper retusa, nigrum, laeve, nitidum, subpubescens; mandibulis rufis; palpis piceis. *Antennae* filiformes, longitudine dimidii corporis, nigrae, solo tertio articulo (pedicello) rufo. *Thorax* subglobosus, ater et *metathorax* convexus laevissimi. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, ovatum, planiusculum, atrum, nitidum; segmento primo conico-angustato, ruguloso, utrinque impressione triquetra; reliquis ciliatis; anterioribus quatuor subaequalibus. *Pedes* rufo-testacei, coxis in aliis omnibus, in aliis posticis tantum, in illis etiam trochanteribus anterioribus fuscis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis. Areola radialis apicem late attingit, clausa tamen.

Mas differt: *abdomine* angustiore, *antennis* longioribus, corpus aequantibus, primo et secundo articulo subtus *ore pedibus*que totis rufis, stigmate alarum crassiore. Differt idem a *Bracone carbonatore mare*, tum *stigmate* crasso, tum etiam *antennis* areolaque radiali brevioribus.

Cepi feminas mense Octobre locis apricis, sabulosis, mense Julio, in Athamanta Orcoselino locis sylvaticis prope *Sickershausen.* E Sudetis exemplum paulo majus a cl. Manger missum est. *Marem* aestate in floribus cepi prope *Sickershausen.*

Observatio:

Alae specierum Nro. 11, 12, et 13. *Alysiarum* nostrarum *brevicornis* et *minutae* alis, si quae aliae, similes. Habitus quoque corporis minus ab istis aberrat. Palpi maxillares vero definite quinque-articulati, labiales triarticulati, articulis subaequalibus, filiformibus. Mandibulae breves, acute-bifidae. Areola cubitalis secunda nervum recurrentem excipit.

15. Bracon *singulator.*

B. ater, glabriusculus, pedibus et plaga abdominis piceo-rufis, femorum medio, tibiisque posterioribus apice fuscis, areola cubitali secunda longissima, postice latiori. Terebra longitudine ultimi segmenti. *Fem.*

Long. lin. 1. Habitu alieno a reliquis hujus familiae recedit. *Caput* thorace paulo angustius, transverse cubicum; vertice lato planiusculo. Oris partes collo reconditae. *Antennae* longitudine dimidii corporis, filiformes, nigrae; articulo quarto longissimo rufo. *Thorax* ovatus, lobo medio tumido, convexo, aequali. Scutellum parvum, discretum. *Metathorax* brevis, declivis, subrugosus, areae mediae rhombicae vestigio. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, a basi ad apicem sensim in cunei formam dilatatum, tunc abrupte angustius, convexiusculum, laeve, glabrum; primo segmento brevissimo, basi contracto, postice transverso ruguloso; reliquis segmentis subaequalibus, maxime contiguis, secundo apice, tertio basi submembranaceis, depressis rufis. Terebra longitudine ultimi segmenti. *Pedes* picei, trochanteribus, femoribus anticis apice, tibiisque omnibus basi, pallidioribus. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate oblongo pallide fuscis. Areola radialis ovalis, apicem attingens; areola cubitalis prima parva, ramulum in areolam discoidalem exteriorem magnam quadratam immittens; secunda duplo longior, versus postica parumper ampliata.

Habitat in *Silesia.* Individuum unicum femineum a cl. Manger e *Sudetis* accepi.

SECTIO IV.

Bracon Fam. I. Species genuinae N. ab E. Berl. Mag. V. p. 3. seqq.

Areolae cubitales tres, secunda quadrata, prima nervum recurrentem excipiente. (Terebra in plerisque longior prominensque.)

Corpore majori, saepe picto, alisque saepe obscuris vel fasciatis, vel nebulosis, vel unicoloribus insignes species.

Tribus 1. Macrocephali.

Capite crasso latitudine thoracis, abdomine laevi, colore nigro nitido, prothorace anove in nonnullis rufis, stigmate magno nigro.

Plerasque hujus tribus species, priores metamorphoseos gradus in larvis fungivoris, praesertim Coleopterorum, subire verisimile est.

16. Bracon *nobilis.*

B. piceo-niger, nitidus; ore, antennarum basi pedibusque totis piceo-rufis; coxis, trochanteribus tibiisque basi pallidis; abdominis segmentis posterioribus margine aureis; terebra longitudine dimidii abdominis; alis obscure hyalinis; nervis et stigmate fuscis. *Fem.*

Long. lin. 2¼. Habitu proximus est Braconi oblitterato N. 62. Color capitis, thoracis et primi segmenti abdominis nigro-piceus, cum nitore. Superficies subtiliter punctulata, pubescentia rara, cinerea adspersa. *Caput* transverse cubicum, vertice hypostomateque subaequalibus, hoc verticali. Margo clypei et mandibulae piceo-rufae; palpi elongati, filiformes, albidi. Oculi parvi, ovati. *Antennae* rectae, setaceae, tenues, longitudine corporis, fusco-nigrae, primo et secundo articulo piceo-rufis. *Thorax* compressus, antice angustior, subproductus, lobo antico humili, piceo-rufo; medii dorso paulo pallidiore, quam caput, tricolli, distinctius punctato. Scutellum late trigonum, obtusum fovea discretum. *Metathorax* sat productus, laevis, magisque nitens; areis dorsi duabus scutiformibus, marginibus lateralibus et antico rectis, postico rotundato; posticis tribus, parvis, media conica, superne obtuse conica, lateralibus lunatis, obliquis, margine exteriori in dentem obtusum elevato, rugulosis.

Abdomen capite thoraceque brevius, basin versus angustius, ano obtuso, planum; primum segmentum longitudine ⅔ secundi, late conicum prope basin paulo magis angustatum, et ibidem angulo obsoleto notatum, in medio secundum longitudinem modice elevatum, lateribus depressum, strictum, striis partis mediae elevatae antrorsum, laterum retrorsum convergentibus; color hujus segmenti niger, subpiceus; secundum maximum et reliqua laevissima, picea; secundum, tertium, quartum et quintum insuper margine postico angusto lineari aureo seu orichalceo. Ultima segmenta retracta. Venter in medio triqueter, gibbus, pallidior. Terebra ex gibbo ventrali recta, longitudine ⅓ abdominis, rubra, vaginis fuscis, pubescentibus. *Pedes* validiusculi, piceo-rufi, coxis anterioribus trochanteribusque omnibus, tum tibiis basi albidis. Tarsi apice fusci. *Alae* cuneiformes, firmae, obscure hyalinae, nervis et stigmate

fuscis; areola cubitali secunda et prima subaequalibus, illa quadrata, nervo recurrente a prima areola excepta.

Cepi in Ceraso horti mense Junio prope *Sickershausen.* Marem non vidi.

Observ. Ante omnes affinis est sequenti.

17. Bracon *melanoscelus.*

B. niger, nitidus, pubescens; antennarum primo et secundo articulo, thoracis lobo antico pedibusque totis rufis, tibiis posticis fuscis; terebra recurva, longitudine abdominis ovatis; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^3/_4$. *Caput* omnino *Braconis disparis* n. 19; transversum, thoracis latitudine; vertice obtuso, latiusculo; hypostomate lato, convexiusculo, punctis duobus supra clypeum profundissime impressis. Color capitis niger; punctura subtilissima; pubescentia parca albida. *Mandibulae* angustae, apice bifidae, piceae; *palpi* albidi, maxillares longissimi, secundo articulo compresso-dilatato. *Antennae* thorace vix longiores, filiformes, nigro-fuscae, articulis omnibus brevibus, pubescentibus, primo crassiore secundoque rufis. *Thorax* ovatus, gibbosus, vix punctulatus, pubescentia albida decumbente vestitus, niger, dorso antico lobi medii parum piceo; lobo antico humili, angusto, rufo. *Metathorax* brevis, postice declivis, convexus, grosse punctulato-rugosus, niger, pubescens. *Abdomen* ovatum, convexiusculum, nigrum; primo segmento basin versus parum angustato, planiusculo, ruguloso-punctato; reliquis levissimis, nitidis, glabris, margine ciliatis. Venter pallidus. *Terebra* recurva, abdominis longitudine, nigro-picea. *Pedes* validiusculi lutei toti, exceptis tibiis posticis, quae fuscae, eaedemque validiores. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis, areolis cubitalibus prima et secunda subaequalibus, quadratis.

Observatio:

A praecedente differt: Statura minore; colore obscuriore; corpore magis pubescente; terebra breviore, tibiis posticis obscurioribus. — *Thorax* in femina semper, excepto primo lobo, niger.

Mas. Feminae similis; differt: Statura paulo graciliore; clypeo piceo-rufo; antennis longitudine corporis, gracilioribus, articulis primo et secundo subtus praecipue rufis, supra fuscis; thoracis lobo medio antico superne obscure rufo; abdomine magis angustato, segmentis secundo

et tertio rufo-piceis, in nonnullis pallidis; pedibus pallidioribus, tibiis posticis vix paulo saturatioris rubedinis.

*Feminae mares*que Sickershusae ex Boleto igniario, larvas Dorcatomae Dresdensis fovente, mense Majo prodierunt.

18. Bracon *analis.*

B. ater, pubescens, antennis fuscis, mandibulis, ano pedibusque rufis; coxis nigris; terebra longitudine abdominis; alis obscuris, nervis stigmateque fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2. *Caput* latitudine thoracis, transversum, occipite lato, at brevi, hypostomate convexo, nigrum, albido-pubescens. Clypeus brevissimus apice et mandibulae rufa; *palpi* fusci, antici longissimi. *Antennae* filiformes, validiusculi, longitudine dimidii corporis, fuscae, primo ar- articulo subtus pallido. *Thorax* ovatus, brevis, niger, pubescens. *Metathorax* brevis, rugosus. *Abdomen* ovatum, longitudine capitis thoracisque; primo segmento definite conico, secundoque rimulosis, nigris lateribus indeterminate piceo-rubris; tertio laevi, basi nigro, apice arcuatim piceo-rufo; reliquis omnibus laevibus, piceo-rufis. Terebra nigra, recta. Venter basi fuscus, apice rufus. *Pedes* rufi; coxis nigris; trochanteribus fuscis. *Alae* fuscescentes, litura pallida sub stigmate; nervo recurrente interstitiali.

Mas. Differt a femina: *Antennis* longitudine corporis, tenuioribus, nigris, primis tribus articulis rufis. *Abdominis* secundo segmento laevi, margine postico et reliquis segmentis rufis, colorum terminis recta linea discretis. *Pedibus* totis rufis.

Habitant in *Germania. Feminam* in collectione cl. Gravenhorst vidi; *marem*, captum in *Magno-Ducatu* Badensi, a cl. *Menzinger* accepi.

19. Bracon *dispar.*

B. ater, nitidus, ore, antennarum basi, pedibusque totis luteis; alis hyalinis, stigmate nigro; terebra longitudine corporis.

Synon. *Bracon dispar N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 12. *n.* 13.

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Antennae* apicem versus fuscae. *Hypostoma* punctis duobus supra mandibulas impressum. *Abdomen* oblongum, laeve; segmento primo late sessili, planiusculo, rugosissimo. *Areola* prima et secunda *cubitalis* cubicae, subaequales, quadratae; tertia his multo major; prima areola nervum recurrentem excipit.

Mas. Long. lin. 1½ — 1¼. *Antennis* totis nigris, ceterum feminae quoad staturam omnino similis.

Prodiit femina cum *Bracone ephippio* mare ex Boleto fomentario, quo nutritae erant larvae Dorcatomae Dresdensis, mense Majo 1809. *Marem* cepi cum femina in Athamanta Oreoselino locis sylvaticis prope Sickershausen.

V a r i e t a t e s:

β. Long. lin. 1. Feminae quidem simillimus, cum eademque captus; sed antennis tenuioribus, quam in reliquis maribus subtusque rufis discrepat. *Mas.*

Cepi prope *Sickershausen.*

γ. Long. lin. 1½. Antennis ut in femina, paulo gracilioribus tribus anterioribus articulis rufis; abdominis segmento tertio obscure piceo. *Mas.*

In frutice prope *Pepelwitz* (villa ditionis *Vratislaviensis*) a cl. *Gravenhorst* Julio mense captus.

Adnot. Affinis *Alysiis*, ad quas, uti etiam ad species sectionis III, mediante *Bracone atro* n. 14. transit.

20. Bracon *filator.*

B. ater, pubescens, ore pedibusque totis luteis; alis hyalinis stigmate fusco; terebra corpore dimidio longiore. *Fem.*

Long. lin. 1½. Praecedenti arcta affinitate conjunctus. *Capitis thoracis*que structura eadem. *Antennae* filiformes, corpore breviores, nigrae, pedicello piceo. *Metathorax* ovatus, subtruncatus, rugosus. *Abdomen* ovale, capite et thorace non brevius at angustius, depressum; primo segmento cuneiformi, plano, rimuloso; reliquis laevibus, ciliatis. Terebra gracilis, fusca, corporis longitudine cum dimidio. *Pedes* graciles, pallide testacei. *Alae* hyalinae; areolis ut in praecedente, stigmate pallide fusco; nervis testaceis.

E Sudetis a cl. Manger individua duo ad me missa sunt. Mas ignotus.

21. Bracon *Capito.*

B. ater, nitidus, mandibulis et palpis piceis; antennarum secundo articulo rufo; pedibus rufis, femorum medio tibiisque posticis apice fuscis; terebra corpore breviore. *Fem.*

Long. lin. 1. Praecedenti similis quidem, sed differt: Statura minore, antennis basi vix rufescentibus, secundo arti-

articulo (pedicello) solo rufo; *metathorace* magis laevi; terebra longitudine abdominis et metathoracis.

Coxae posteriores, femora eadem in medio, tibiae posticae apice obscuriora.

Captus prope Gottingam a cl. Gravenhorst, et prope *Sickershausen* a me ipso. Mas ignotus.

22. Bracon *ephippium*.

B. niger, nitidus, antennarum primo et secundo articulo, thoracis lobo antico toto, medii dorso pedibusque totis rufis; terebra recurva, longitudine corporis; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Niger, nitens, *palpi* albi. Clypeus *antennarum*que primus articulus subtus rufi. *Thorax* lobo antico toto, medio utrinque late rubris; pectore antice itidem rubro. *Metathorax* truncatus, dorso punctatus, superficie postica striolata carinaque obsoleta subduplicata divisa. Abdomen sessile, oblongum, segmento primo ruguloso, reliquis levibus nitidissimis; secundo et tertio obscure rufescentibus. *Pedes* pallide-lutei; tibiis posticis rufis paulo obscurioribus. *Alae* hyalinae, stigmate nigro, puncto albo.

Mas, antennis concoloribus, pedibus pallidioribus, solummodo differt.

E larvis Dorcatomae Dresdensis, Boleto igniario nutritis, *Sickershusi*, mense Maio *mares* et *feminae* exclusi sunt.

Variatur rubedine secundi segmenti plus minus distincta.

23. Bracon *dissimilis*.

B. ater, palpis pedibusque rufis, coxis omnibus, tibiis posticis (basi excepta) tarsisque iisdem piceo-fuscis; abdominis oblongo-ovati, primo segmento breviusculo, bicarinato secundoque basi rugulosis; terebra abdomine longiore, alis hyalinis, nervis stigmateque fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 3. Statura ad praecedentes accedit. *Caput* transverse cubicum, vertice plano, hypostomate lato, inter antennas carinulato ruguloso-punctatum uti reliquum corpus nigrum, pubescens. *Mandibulae* retractae, piceae; palpi testacei. Clypeus brevis, transversus, rotundatus, convexiusculus, basi utrinque puncto obsoleto impresso, notatus. *Antennae* (in nostro mutilae) nigro-fuscae, subtus pallidiores. *Thorax* gibbus, lobo antico humili, medio dorso in tubera tria compressa, declivia, Helconum more,

elevato. *Metathorax* valde rugosus, carinatus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, ovato-oblongum, dorso planum, ventre carinato, postice a latere compressum; primo segmento basin versus parum angustato, ultra medium bicarinato, rugoso, carinis subdivergentibus; secundo basi subtilius ruguloso, sub apicem, ut reliquis, laevibus. Venter basi piceus, colore hoc ad latera secundi segmenti ascendente, superne conspicuo. Terebra rectiuscula, longitudine abdominis metathoracisque. Pedes rufi, ad testaceum inclinantes colorem. Coxae omnes piceo-fuscae, ejusdemque coloris tibiae quoque posticae cum tarsis suis; illae basi rufae. *Alae* praecedentis, paulo obscuriores; areola prima nervum recurrentem excipiente, secunda minore, extrorsum angustiore.

Mas. Long. lin. $2^1/_4$. *Abdomine* lanceolato. *Pedibus* totis rufis. Feminam unam, in *Germania* captam, cl. *Gravenhorst* ad me transmisit. Marem in collectione Bonelliana *Taurinensis* vidi, cui alae aquoso-hyalinae, nitentes. Similem e *Sudetis* a cl. Mangero, metathoracis areae mediae pentagonae vestigiis praeditum accepi. An species diversa?

24. Bracon *flavicornis.*

B. ater, nitidus, palpis, antennis pedibusque totis luteis, tibiis posticis tarsisque iisdem fuscis; abdominis oblongi primo segmento conico-angustato, ruguloso, marginibus pallidis; alis hyalinis, nervis stigmateque fuscis. *Mas.*

Long. lin. $3^1/_4$. Statura fere praecedentis. *Caput* thorace latius, transverse cubicum; hypostomate transverso, lato, punctulato; clypeo depresso, antice in angulum obtusum producto, punctis duobus excavatis notato; vertice lato, nitente. Capitis color, uti reliqui trunci, ater; mandibulae retractae, rufae, apice piceae; palpi pallide lutei, maxillarium secundo articulo subinaequali, crassiori. Antennae filiformes, longitudine fere corporis, totae luteae. *Thorax* ovatus, subtilius punctulatus; lobo antico humili, compresso. Scutellum ovatum, fovea profunda, rugosa, discretum. *Metathorax* brevis, convexus, rugulosus, sub scutello plicis transversis, interjectis striolis, inaequalis; area media ovata, rugulosa, paulo infera. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, primo segmento e basi latiuscula postice recta dilatato, lateribus ante medium tuberculo parvo interruptis, ex quo linea tenuis, elevata, recta, margines ipsos dirimit depressiores angustos ventrisque pallido colore suffusos; superficies hujus segmenti ipsa planius-

cula, et rugis subtilissimis striolata; reliqua segmenta cuncta laevissima, nitida, decrescentia. Venter basi parum acrinatus, pallidus carina fusca. Apex ejus angustato-carinatus. *Pedes* mediocres, toti lutei; tibiis et tarsis posticis fuscis, illis basi pallidioribus. *Alae* praecedentis, sed hyalinae. Stigma puncto parvo antico albido.

Habitat *Norimbergae*, e Collectione cl. *Sturm* mihi communicatus. *Feminam* non vidi.

25. Bracon *gagates*.

B. aterrimus, nitidus, abdominis laevissimi, apice subcompressi, primo segmento conico-angustato, ruguloso, bicarinato; alis obscure hyalinis, nervis stigmateque fuscis. *Mas.*

Long. lin. $2^3/_4$. Statura ad praecedentem accedit, nihilo minus tamen alieni quid a typo reliquorum, quos vidi omnium, prae se fert. *Caput* thoracis latitudine, transverse cubicum; fronte convexa; clypeo brevi, linea impressa, arcuata, discreto; mandibulis retractis, ob menti foveam profundissimam, in qua oris partes latent. *Thorax* ovatus et caput leviter pubescentia, laevia. *Metathorax* rugosus, supra petiolum utrinque in dentem planum emarginatum productus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, dorso convexum; primo segmento e basi angusta, lateribus linea recta divergentibus, postice conico-dilatato, convexiusculo, ruguloso, lineis duabus remotis elevatis subcarinato; reliquis omnibus segmentis laevissimis, secundo tertioque valde contiguis, ut vix discernantur. Venter carinatus, apice subcompresso. *Pedes* mediocres, nigri, uti pectus minus nitidi, pubescentes. *Alae* latiusculae, texturae solidioris, *areola radiali* ovato-conica; *cubitali* secunda minore, trapeziformi, extrorsum angustiori; nervo recurrente interstitiali.

Habitat Viennae, a cl. Dahl missus. Feminam non vidi.

Observatio.

Genitalia mascula, ut apicula cylindrica obtusa, paulum prominent.

26. Bracon *ebeninus*.

B. ater, laevis, nitidus; capite transverso, abdominis lanceolati primo segmento lineari-elongato, basi bidentato, secundo basi utrinque marginato, tibiis basi piceis, alis hyalinis. *Mas.*

Long. lin. $2\frac{1}{3}$. Pulchra species a reliquarum hujus tribus typo parumper recedens. Statura gracilis, color ater, laevitate nitens. *Caput* latitudine thoracis, verticale; vertice, quam in reliquis angustiori; hypostomate subquadrato, a clypeo foveolis duabus obliquis discreto. *Mandibulae* tenues, inermes, laete rufae, apice fuscae; palpi fusci, congenerum elongati. *Antennae* setaceae, longitudine corporis, graciles, plerisque articulis cylindricis, pedicello piceo. *Thorax* compressus, lobo medio gibbo, tricolli. *Scutellum* acutum, compresso-gibbum. *Metathorax* productus, ovatus, rotundatus, aequalis, subtilissime concentrice rugulosus. *Abdomen* capite thoraceque longius, lanceolatum, planiusculum; primo segmento praelongo, lineari-conico, convexiusculo, subrimuloso, ante basin, ubi repente contrahitur, utrinque dente obtuso aucto; secundo breviori, basi rimuloso et sulculo dimidiato ex utroque latere marginato, apice ut reliquis, laevissimo; his aequalibus. *Pedes* graciles, atri, trochanteribus inferis et tibiis basi piceis. *Alae* amplae hyalinae, nitentes, stigmate et nervis fuscis, illo puncto albo. Areola cubitalis secunda prima minor, antrorsum obliqua.

Cepi mense Julio *Sickershusi* ad fenestras cubiculi. *Feminam* non vidi.

Tribus 2. Microcephali.

Capite thorace angustiore; *abdomine* saepe striolato, opaco, colore nigro, flavo-rufove vario.

27. Bracon *delusor Spin.*

B. ater, nitidus; abdomine pedibusque totis rufis; terebra longitudine fere corporis; alis hyalinis, basi obscurioribus. *Fem.*

Synon. *Bracon delusor Spin. Ins. Lig. II. F. III. p.* 115. *n.* 10. *N. ab E. Berl. Mag.* V. *p.* 7. *n.* 7.

Long. lin, 2 — $2\frac{1}{2}$. Corpus laevissimum, nitidum, albido-pubescens. *Caput* transversum, latitudine fere thoracis, nigrum; hypostomate rufo, maculis duabus obsoletis nigris, genis mandibulisque itidem rufis, his apice nigris, orbita postica rufa. *Antennae* tenues, nigrae, longitudine corporis. *Thorax* brevis, ovatus, laevis, *Metathorax*que convexus, laevissimus atri. *Abdomen* oblongum, rufum, laeve, pubescens; primo segmento conico paulisper angustato, lateribus postice latius depressis, area media quadrata, margine et basi depressa, rugulosa, parte postica

obovato-elevata, laevissima, nitida; reliquis segmentis aequalibus. Venter compresso-carinatus. Terebra nigra, longitudine abdominis thoracisque. *Pedes* toti rufi, unguibus nigris. *Alae* fusco-hyalinae, basi ultra medium obscuriores, nervis et stigmate fuscis, fasciaeque anticae in parte obscurata vestigiis.

Cepi *feminam* mensibus Junio, Julio et Augusto in Athamanta Oreoselino, prope *Sickershausen*.

V a r i e t a t e s.

α. Maculis hypostomatis in fasciam connatis, primo segmento abdominis nigro, solo margine rufo. *Fem.*

Cepi Junio mense prope *Sickershausen*.

β. Hypostomatis solo margine orisque partibus rufis, abdomine ut in varietate *α.* Fem.

Ex *Magno-Ducatu Badensi* cl. Menzinger transmisit.

28. Bracon *mediator*.

B. niger, ore, pedibus totis abdomineque antico rufis, primi segmenti fascia nigra; terebra longitudine corporis; alis cinerascenti-hyalinis. *Fem.*

Synon. *Bracon delusor Var. β N. ab. E. Berl. Mag. V. p. 7. n. 7.*

Long. lin. 2. Similis praecedenti, at distincta species. *Mandibulae* solae testaceae, *labrum* et *palpi maxillares* pallida.

Abdominis segmenta tria anteriora rufa, secundo ruguloso; primum fascia, tertium margine postico et reliqua tota nigra. *Alae* fusco-hyalinae. *Antennae* quam in praecedente validiores.

Legi locis apricis prope *Sickershausen* mense Julio. Mas mihi ignotus.

29. Bracon *albipennis*.

B. niger, pubescens, pedibus rufis; abdomine laevissimo, rufo, vitta dorsali lata nigra fusca; terebra longitudine corporis; alis albo-lutescentibus, nervis pallidis, stigmateque luteo. *Fem.*

Long. lin. 2. Statura omnino praecedentis. Corpus laeve, subnitidum, nigrum, ad fuscum vergens. Os pallidum. Orbita sordide piceo-rufa. Antennae corpore breviores, validiusculae, nigrae. *Thorax* et *Metathorax* structurae praecedentis, laeves, nigri; pectus totum sordide piceum. *Abdomen* forma praecedentis aut vix aliquanto latius,

laeve, dorso fuscum, lateribus ventreque toto aquose luteis. Terebra longitudine corporis, valvulis ferrugineis.

Pedes aquose lutei, coxis et trochanteribus superis piceis, femoribus posterioribus basi, tibiis iisdem apice pallide piceis; tarsis pallidis. *Alae* angustae, sordide albae, cum tinctura lutei coloris; nervis pallidis, stigmate luteo, nervo fusco cincto.

Habitat in Magno-Ducatu *Badensi*, unde cl. *Menzinger* mihi benigne communicavit.

30. Bracon *minutator Fabr.*

B. niger, abdomine punctulato; rufo, linea dorsali nigra, tibiis anticis totis, posterioribus basi testaceis; terebra longitudine corporis; alis nigris, fascia albida. *Fem. Mas.*

Synon. *Bracon minutator Fabr. S. Piez. p.* 110. *n.* 35. *Gravenh. in Gœtt. Gel Anz.* 1809. *p.* 485. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 7. *n.* 8.

Ichneumon minutator Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 224. *n.* 111.

Statura omnino, magnitudo, sculptura capitis thoracisque ut in *Bracone delusore*, a quo imprimis differt: colore nitido, atro; abdomine punctulato, opaco, segmento secundo praecipue distincte striato; pedibus constanter nigris; alis nigris, fascia albo-hyalina sub stigmate. — Oris partes perpetuo nigra, at labrum, mandibulae et orbita, antica vel tota, semper plus minus rufescunt. *Antennae* setaceae, corpore breviores. *Abdomen* ovato-oblongum, subtus totum rufum, dorso vitta, modo abbreviata modo interrupta, plus minusve dilatata, interdum apicem versus totum dorsum occupante, nigra, lateribus rufis. In minoribus, ubi vitta dilatata, *abdomen* minus striolato-rugosum, adeoque subnitidum. Terebra nigra, corporis longitudine. *Pedes* nigri; trochanteribus femoralibus piceo-rufis; femoribus anticis apice rufis; tibiis iisdem in majoribus totis, in minoribus basi apiceque, posterioribus basi distincte rufis. *Alae* nigro-fuscae, apice dilutius coloratae, fascia fracta albo-hyalina sub stigmate nigro. Conf. Gœtt. Gel. Anz. 1809. p. 485.

Varietates:

a) Major.

α) Os et orbita rufa. *Fem.*

Cepi mense Augusto prope *Sickershausen*. cl. *Gravenhorst* eandem mense Julio in umbellatis prope *Helmstadium* legit; e *Sudetis* cl. *Manger* transmisit.

β) Vitta dorsali in quarto segmento abdominis desinente, nec plane continua, sed e maculis, in singulo segmento subdiscretis, constante. *Fem.*

Mas. Trochanteres omnes testacei, femora antica apice late testacea; tibiae eaedem apicem versus late fuscescentes; posteriores basi testaceae, caeterum nigrae.

Cepi *feminam*, aestate a. 1806. prope *Sickershausen* (Conf. *Gravenh.* in Gœtt. gel. Anz. l. c.); mares plures mensibus Junio et Septembre in Anetho horti prope *Sickershausen* legi; prope *Taurinum* captum cl. *Bonelli* nomine *Braconis minutatoris* tradidit.

b) Minor; abdominis segmento secundo basi rimuloso reliquis laevibus. *Fem.*

Cepi prope *Sickershausen*, Junio et Julio mensibus.

31. Bracon *intercessor.*

B. niger, pubescens, capite rufo, macula hypostomatis verticisque, oculis et antennis nigris; abdomine ovato, punctulato, rufo, vitta dorsali postice dilatata nigra; pedibus totis rufis; alis subobscuris, litura, sub stigmate albida; terebra longitudine abdominis.

Long. lin. 2. Medius quasi hic est inter speciem antecedentem et *Braconem immutatorem* n. 38, differt tamen ab hoc praesertim: *capite* latiore, subtransverso, abdomineque punctulato, opaco, cum laeve et nitens in isto sit. Iisdemque notis *Braconi minutatori* propior, differt: terebra breviori, pedibusque totis rufis, solis tibiis posticis tarsorumque posticorum articulis apice fuscis.

Caput nigrum quoque describi possit, orbita oreque late rufis. *Thorax* litura obsoleta rufa ante alas. *Abdomen* dense et inordinate punctatum. *Alae* obscnre hyalinae, sub stigmate obscuriores, ubi litura ordinaria conspicitur. Nervi et stigma pallide fusca.

Mas. Feminae simillimus; coxis, trochanteribus, femoribus posterioribus medio, tibiis iisdem apice fuscis.

Feminam prope *Sickershausen* cepi. *Mas* ex *Italia* a cl. *Bonelli* missus est, nomine *Braconis Guttatoris* adscripto. E *Sudetis* etiam a cl. *Manger* ad me pervenit exemplum sexus masculini, paulo majori corpore, capite nigro, ore solo rufo, pedibus posterioribus multo dilutioribus, antennis gracilioribus.

Varietates:

β) *Caput* rufum, solis mandibularum apicibus, palparum maxillarium articulo secundo, macula vertices oculis antennisque, quae corporis longitudine, nigris. *Thorax* antice rufus, lobo antico subtus maculaque supra alas nigris. Scutellum nigrum. *Metathorax* niger, nitidus, laevis. Pleurae late rufae. Pectus nigrum. Abdominis primum segmentum nigrum, latere rufum, depressum, secundum rufum, macula baseos nigra, reliqua nigra, lateribus late rufis. Venter rufus. *Pedes* antici rufi, trochanteribus superis tarsisque nigris, posteriores rufi, coxis trochanteribus superis; femoribus tibiis apice et tarsi nigro-fuscis. Terebra longitudine abdominis. *Alae* fusco-hyalinae. *Fem.*

Mas feminae hujus Varietatis omnino congruus, differt: scutello rufo, pleuris latius rufis, femoribus posterioribus vel totis rufis, vel basi nigris.

Feminam et *marem* prope *Augustam Taurinorum* cepit cl. *Bonelli*, *marem* ipse prope *Sickershausen* mense Julio in Athamanta Oreoselino deprehendi.

32. Bracon *flavipes.*

B. niger, ore, abdominis rugulosi opaci segmenti petiolaris marginibus lateralibus, ventre pedibusque totis luteis, litura rufa ante alas, terebra longitudine fere abdominis, alis subhyalinis nervis fuscis. *Fem.*

Synon. *Bracon variator*, *Var. i. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 9.

Long. lin. 1¾. Statura praecedentium. *Antennae* filiformes. *Abdomen* ovatum, planiusculum, rimulosum, ut in *Bracone minutatore*, segmenti primi lateribus, ventre pedibus totis, oreque flavescentibus. *Alae* fere hyalinae latiusculae.

Cepi mense Augusto prope *Sickershausen*. *Marem* congruum non novi.

33. Bracon *ochropus.*

B. niger, pubescens, laeviusculus; ore, ventre pedibusque totis luteis; terebra abdomine oblongo subruguloso longiore; alis obscure hyalinis.

Synon. *Bracon osculator Nota. Nro.* 4. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 12.

Long. lin. $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$. A praecedente differt: Statura magis oblonga; antennis gracilioribus; pedibus luteis. Punctura eadem, abdominisque segmentum secundum basin versus subrugulosum. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate testaceo-fuscis. Corpus totum magis pubescit.

? *Mas*. Long. lin. 1. Niger, nitidus, hypostomate rufo-flavescente, macula transversa; dilatata, nigra, ut rubedo non nisi sub antennis et supra mandibulas rufas eluceat, orbita postica rufescens. *Abdomen* maculis solitis primi segmenti magnis, segmento secundo, tertio et quarto fascia lata media testaceo-subpellucida (seu potius testacea, margine postico, secundo etiam basi, nigris); ventre flavescente. *Pedes* rufi toti, femoribus tibiisque posticis apice fuscis. *Alae* fusco-hyalinae.

Cepi *feminam* et *marem* mense Julio locis sylvaticis prope *Sickershausen*.

Varietates:

β) Ore orbitaque antica rufis; hypostomate sub antennis fusco-nigro; thorace nigro, plaga ante alas laterali rufa; abdominis dorso nigro, ano, sextique segmenti margine laterali rufescentibus.

A praecedente, cui prorsus colorum distributione accedit, differt: statura minore, abdomineque nitidissimo, quod in ista subrugosum, et magis opacum. *Fem.*

Mas feminae isti persimilis, paulo minor. Hypostoma totum rufum. *Antennae* subtus rufae. Orbita postica supera rufa. *Abdominis* latera basin versus rufa, secundo segmento distincte striolato, rufo, in medio fusco. *Alae* ut in praecedente.

Cepi varietatem *femineam* mense Septembre in Pastinaccae floribus, varietatem maris vero mense Augusto in Scirpo palustri, prope *Sickershausen*.

Observatio.

Ad hanc varietatem proxime accedit exemplum quoddam *masculini* sexus a cl. *Gravenhorstio* exeunte Augusto mense in fruticibus prope *Gottingam* captum. Conveniunt statura, mensura, et color pedum. *Antennae* subtus piceo-fuscae, primus autem articulus ex eodem latere rufus est. *Abdominis* segmentum primum nigrum, lateribus luteis rufisve; secundum et tertium tota rufa; quintum in media basi rufescens. *Alae* obscure hyalinae.

34. Bracon *xanthogaster.*

B. ater, nitidissimus, laevissimus, ventre flavo, ore pedibusque rufis, coxis posterioribus nigris, terebra corpore dimidio longiore; alis fuscescentibus apice dilutioribus. *Fem.*

Long. lin. 1¾. Statura praecedentium, paulo coactior, abdomine praesertim breviori, obovato, convexo, laevissimo. *Caput* latitudine thoracis, vertice angusto.

Antennae graciles, nigrae, pedicello rufo. *Mandibulae* flavae; *palpi* rufi. *Thorax* laevissimus, immaculatus. *Abdominis* primum segmentum margine laterali triangulari reliqua eodem tenuissimo flavo. Venter basi flavus. Pedes laete rufi, coxis posterioribus totis, trochanteribus superis iisdem basi, tibiis posticis extremo apice nigris, tarsis posticis fuscis. *Alae* obscurae, liturae solitae vestigiis obsoletis.

Differt a *Bracone flavipede:* colore pedum, capite latiore, abdomine laevissimo, terebra longiore;

a *Bracone fulvipede* itidem terebra longiore, coxis posterioribus nigris, abdomine laevi;

a *Bracone luteipede* abdomine latiore, magis nitido, terebra parumper longiore, pedibus laete rufis.

Habitat in *Italia*, a cl. *Bonelli* mecum communicatus. *Marem* non vidi.

35. Bracon *fulvipes.*

B. ater, nitidus, ore, orbita, (hypostomate) ventre lateribusque abdominis ovati subrugulosi, pedibusque totis laete rufis; terebra longitudine ⅓ abdominis; alis obscure hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon variator Var. h. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 9.

Long. lin. 1—1⅓. A praecedente, quocum plurimis congruit, terebrae brevitate facile distinguitur.

In exemplo, aestate anni 1812 prope *Sickershausen* capto, orbita antica obscure rufa, et pleurae anticae rufescunt, sed nullo modo dorsum anticum, quod nigrum. *Pedes* toti laete rufi, coxis posticis basi parum obscurioribus.

In alio exemplo, e *Sudetis* transmisso, hypostoma totum et pleurae anticae rufae, reliquis congruis.

Mas. Feminae simillimus, hypostomate nigro.

Feminam prope *Sickershausen* cepi; *Mas* a cl. *Manger* e *Sudetis* missus est.

36. Bracon *abbreviator.*

B. niger, laeviusculus, ore rufo, ventre, pedibusque totis rufis, abdominis ovati segmento secundo basi striolato, femorumque medio piceo-rufis, terebra longitudine dimidii abdominis, alis hyalinis, nervis et stigmate fuscis, *Fem.*

Long. lin. 1. Statura praecedentis at minor. *Caput* angustius, et *abdominis* segmenta posteriora laevissima, nec qualia in illo subtilissime transversim rimulosa. A sequente distat terebrae brevitate abdomineque latiore.

Cl. *Manger* e Sudetis transmisit. Marem non vidi.

37. Bracon *abscissor.*

B. ater, ore pedibusque rufis; abdomine ovato, laevi, rufo, vitta dorsali, interdum abbreviata, nigra; terebra longitudine $1/4$ abdominis; alis fuscescentibus; fascia albohyalina. *Fem.*

Long. lin. $2^3/_4$. Corpus atrum, nitidum, laeve, subtilissime cinereo-pubescens. *Caput* transversum, thoracis latitudine, vertice obtuso. *Mandibulae* et oris instrumenta rufa palpis basi fuscis. *Antennae* filiformes, longitudine fere corporis, nigrae, pedicello piceo. *Thorax* ovatus; *Metathorax* laevis, apice leniter descendens, depressiusculus et carinulis tribus, antrorsum abbreviatis, instructus. *Abdomen* ovatum, apice rotundatum, laeve, pubescens, rufum; primo segmento brevi conico, basi depresso, apicem versus marginato, nigro, margine laterali postico rufo; reliquis segmentis vel omnibus rufis macula media nigra, quae in vittam linearem conlinuantur, notata vel immaculata, solo secundo segmento maculam triangularem ad basin gerente. *Terebra* recta, nigra, longitudine trium segmentorum posticorum. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, apice rufo; tibiis posticis apice nigris; tarsis omnibus nigris; articulis extremo apice rufis. *Alae* fuscocinereae, apice expallidae, fascia solita obsoleta hyalina.

Varietates:

α. Vitta integra.

β. Vitta in secundo segmento desinente.

Individuum Varietatis *α.* e *Sudetis* a cl. *Manger*, illud Varietatis *β.* a cl. Menzinger ex *Magno-Ducatu Badensi* accepi. Femina ignoratur.

38. Bracon *immutator.*

B. ater, laevis, nitidissimus, ore toto, pedibusque rufis; abdomine ovato, fulvo, dorso nigro-variabili; secundo segmento abdominis basi punctulato-ruguloso; terebra longitudine abdominis, aut eo paulo longiore; alis obscuris, subhyalinis.

Synon. *Bracon immutator Variet.* 1. *Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 116. *pro parte. Bracon variator, Variet. g. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 9.

Long. lin. $1^1/_2$. Statura plurimisque notis cum praecedente congruit, distinguendus tamen notis supra allegatis. Color ater, nitidus. *Antennae* paulo graciliores; os totum cum palpis laete rufum. *Abdomen* structura praecedentis, sed secundum segmentum, quod in illis itidem laevissimum, huic evidenter, neque tamen profunde, rimulosum. Color abdominis laete rufus, dorso vel maximam partem nigro, lateribus baseos plus minus rufis, vel vitta integra nigra, lateribus uno tractu anoque rufis, vel denique basi tota rufa, macula magna nigra a tertio segmento dorsum posticum obtegente. Venter semper rufus. Terebra longitudine abdomen paulo excedit. *Pedes* rufi; coxis anticis concoloribus, posterioribus, cum trochanteribus superis suis, ut plurimum nigris, aut fuscis; tarsis semper apice nigris; tibiis posticis in nonnullis apice, in paucis femoribus iisdem prope basin, vel in medio fuscis. *Alae* magis hyalinae, quam in specie praecedente, fuscedine superfusae, nervis et stigmate fuscis; fascia solita hyalina obsoletissima.

Mas. Long. lin. $1^1/_2$. *Palpi* lutei, abdominis structura ut in femina, primo segmento nigro, marginibus lateralibus fulvis, secundo et tertio totis, quarto basi fulvis, secundo et tertio saepe nigro-maculatis, reliquis nigris. Coxae et trochanteres nigri, hi apice rufi; femora anteriora rufa, basi late, at obsolete, picea; postica tota rufa; tibiae anticae rufae, medio obsolete piceae; mediae fuscae, basi rufae; posticae rufae, apice et tarsi omnes fusca. *Alae* subfuscae, magis saturatae.

Cepi *feminam* mensibus Majo et Julio, prope *Sickershausen. Mas* ibidem captus mense Julio in Aegopodis Podagraria horti; missus etiam est a cl. *Sturmio*, Norimbergae lectus.

Varietates:

β. Femoribus posterioribus in medio fuscis. *Fem.*

E *Sudetis* a cl. *Manger* accepi.

γ. Segmentis secundo et tertio macula nigra. *Mas.* E *Sudetis* cl. *Manger* tradidit.

δ. Abdomen magis oblongum quam in maribus reliquis; segmento primo et secundo margine laterali rufo. Genae rufae. Orbita rufa. Antennae elongatae, corpus aequantes. Alae fere hyalinae. *Mas.*

Cepi mense Septembre prope *Sickershausen.*

39. Bracon *caudiger.*

B. ater, laevissimus, nitidus; abdomine ovali, rufo; terebra longitudine corporis; alis nigris, fascia obsoleta albo-hyalina. *Fem.*

Long. lin. 1¾. *Caput* thorace angustius, transverse rotundatum, laeve; hypostomate punctis duobus supra os impresso. Mandibulae piceo-rufae; palpi nigri. *Antennae* filiformes, rectae, corpore paulo breviores. Thorax ovatus, convexus, uti caput ater, laevissimus, nitens, albido-subpubescens. *Metathorax* brevis, rotundatus, laevissimus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, ovale, apicem versus parumper angustatum, laeve, rufum, primo segmento sulcis duobus antrorsum convergentibus notato, disco nigricante, ano flavicante, ut et ventre. Valvula ventralis prominens, obtusa, flavescens. Terebra valida, longitudine corporis aequans, subdecurva, nigra, pubescens. *Pedes*, tibiis validis, atri; trochanteribus omnibus apice, tibiisque posticis basi obscure piceis. *Alae* saturate nigrae, litura solita angusta angulata sub stigmate.

Habitat in *Silesiae* quercu. Captus die 4° Julii 1812 prope *Skarsin.* Cl. Gravenhorst. Marem non vidi.

O b s e r v a t i o.

In unico individuo, quod benevolentiae cl. *Gravenhorst* debemus, abdominis segmenta posteriora maculae dorsalis nigrae vestigia obsoleta gerunt.

40. Bracon *variator.*

B. niger, abdomine ovato, laevissimo, nitidulo, rufo-nigrove variabili; terebra longitudine abdominis vel paulo longiore; pedibus colore variabili; capite transverso, vertice angusto, palpis nigris fuscisve; alis obscuris, fascia obsoleta hyalina. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon variator N. ab E. Variett. b. c. d. e. Berl. Mag. V. p.* 8. *n.* 9. *Braçon mi-*

nutator Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 116. (*Var. nostra c ζ.*) *Bracon guttator, Panz. Krit. Revis. p.* 78. *Ichneumon guttator, Panz. F. Germ. XCII.* 8.

Statura praecedentis, vel paulo minor. In reliquis illi persimilis. Sufficiat differentiam indicasse. Corpus magis coactum. *Antennae* in utroque sexu validiores, setaceae, quae fere filiformes in illo. *Abdomen* brevius, exacte ovatum, primo segmento plerumque ascendente, reliquis horizontalibus, omnibus omnino laevissimis, primo apice utroque depresso, lineisque duabus, antrorsum conniventibus, excavato.

Caeterum mandibulae in hoc piceae vel rufae, contra palpi constanter nigri, rarissime fuscescentes, aut rufescentes, haecce et specimina transitum evidentiorem faciunt ad speciem sequentem, quae forte rectius subspecies appellanda.

Pedes plus minus nigro rufoque varii. *Terebra* abdomine brevior (in Variet. b.) ejusdem longitudinis (in Variet. a.) longior (in Variet. c.).

V a r i e t a t e s:

a. Long. lin. 2. Niger, nitens, unicolor. *Abdomine* fulvo, linea dorsali e maculis quatuor, primi, secundi, tertii et quarti segmenti, nigris; terebra longitudine abdominis, pedibus nigris, tibiis posticis vix apice pallidioribus. *Fem.*

Cepi prope *Sickershausen* mense Junio.

β. Maculis posterioribus obsoletis, inde quasi medius inter Var. a et b. *Fem.*

Cl. *Gravenhorst* cepit prope *Vratislaviam* in horto, loco graminoso, aprico mense Junio a. 1811.

b. Long. lin. 2. Niger, mandibulis abdomineque fulvis, hoc macula orbiculata, primi segmenti nigra; ano in quibusdam nigricante; terebra abdomine breviore; pedibus nigris, trochanteribus omnibus apice, tibiisque basi, posticis late, testaceis; alis obscuris. *Fem.*

Cepi mense Julio prope *Sickershausen.*

α. Abdominis primo segmento margine tenui, secundo toto, tertio basi lateribusque posticis, quarto basi utrinque rufis. *Fem.*

Cepi mense Julio in Anetho horti prope *Sickershausen.*

β. Abdomine toto rufo. *Fem.*

Mas. Long. lin. 1¼. Niger, nitidus, abdominis primo

segmento rufo, macula nigra; secundo toto; tertio basi lateribusque rufis; reliquis nigris. *Pedibus* nigris, tibiis posticis basi parum rufescentibus.

Cepi *marem* et *feminam* mense Augusto prope *Sickershausen.*

Observatio.

Variat abdominis primo segmento nigro, basi angulisque posticis rufis, secundo rufo, macula magna baseos nigra, tertio basi rufo.

c. Long. lin. 1½. Ater, nitidus; abdomine fulvo, fascia dorsali, vel dorso toto nigris lateribus semper fulvis; pedibus maximam partem nigris; terebra abdomine longiore. *Fem.*

Mas, vix Lin. long. Abdominis primum segmentum rufum medio nigrum; reliqua segmenta dorso fere toto nigro, ventre pallido tibiis posticis vix basi rufescentibus, reliquis concoloribus. Alis minus saturatis.

Cepi individua utriusque sexus Julio et Augusto mensibus prope *Sickershausen.*

α. Long. lin. 1½. Mandibulae nigrae (aut piceae), abdominis dorso toto atro, nitidissimo, primi segmenti lateribus latius, reliquorum latere vix dorso conspicue, ventre vero toto fulvis. Pedes toti nigri; tibiis posticis basi parum piceis; trochanteribus quoque inferis subpiceis. *Fem.*

Mas. Abdominis primo segmento rufo, medio nigro, reliquorum dorso fere toto nigro, alis paulo dilutioribus, pedibus ut in femina.

Exempla plura utriusque sexus vidi, prope *Sickershausen*, *Gottingam*, *Brunsvicum*, in *Sudetis* cet., capta inter frutices et in floribus, praesertim umbellatarum.

α. 1. Long. lin. 1¼. Paulo minor, alis dilutioribus, tibiis posticis basi pallidioribus. Fem.

Mas abdominis segmento secundo saepe piceo, lateribus rufis.

Marem et *Feminam* prope Sickershausen cepi; e *Sudetis* marem cl. *Manger* misit.

α. 2. Mandibulae piceo-rufae, reliqua ut in priore. Terebra longitudine capitis et thoracis hirsuta. *Fem.*

Ex Italia, prope *Taurinum* captam, a cl. *Bonelli* accepi.

β. Long. lin. 1½. Mandibulae piceae. Abdomen fulvum, vitta dorsali lata nigra, ano fulvo. Trochanteres

inferi tibiaeque anteriores basi picea; tibiae posticae basi distincte testaceae. *Fem.*

Mas. Feminae omnino simillimus.

Cepi *feminam* et *marem* mensibus Junio, Julio et Augusto prope *Sickershausen.*

β. 2. Abdominis lateribus basi latius rufis.

Mas vitta dorsali angustiori, postice dilatata, antice subinterrupta. Cepi *feminam* et *marem* in Pastinacca horti mense Augusto prope *Sickershausen.* Mares etiam aliquot vidi, a cl. *Gravenhorst* mense Augusto prope Helmstadium in Umbellatis, et a *Mangero* in *Sudetis* captos.

γ. Media quasi Varietas inter *α* et *δ.* — Os, pedes, alae prioris, abdominis vitta antice interrupta. *Fem.*

Mas fascia dorsali abdominis angustiori, antice in maculas orbiculatas soluta.

Augusto mense in horti Pastinacca cepi *marem* et *feminam*, prope *Sickershausen.*

δ. Long. lin. 1¼. Media inter *β* et *ε.* Abdomen fere ut in Varietate *α*, dorso nigro, lateribus basin versus rufis; os rufum. Pedes omnino ut in Varietate *ε.* Terebra longitudine capitis et thoracis. *Fem.*

An species distincta? Comparetur Varietas *α* 2., quae habitu similis.

Mas. Long. lin. 1., mandibulis rufis; abdominis dorso nigro, lateribus baseos rufo-piceis.

Marem, prope *Parmam* captum, vir praestantissimus *de Sanvitali* misit. *Feminam* prope *Sickershausen* cepi.

ε. Long. lin. 1⅓. Mandibulis piceis, palpis fuscis; abdominis vitta lata, in medio obsoleta; femoribus anticis apice, tibiisque omnibus basi testaceis; alis pallide fuscis, subhyalinis.

Mas mandibulis testaceis, abdominis dorso toto fusco in medio expallescente; pedum colore feminae simillimus.

Promiscue cum praecedentibus in Pastinacca horti, mense Augusto prope *Sickershausen* cepi *feminam;* etiam a *Bonellio*, Professore *Taurinensi*, exempla tria conformia mihi tradita sunt. *Marem* in Pruno Pado, mense Maio prope *Sickershausen* cepi. Alterum cl. *Sturmius* mihi misit eiusdem maris exemplum eodem numero cum femina inscriptum, quo sequi videtur, utrumque a viro acutissimo vel in copula captum, vel e larvis iisdem prodiens observatum esse.

ζ. Ater,

ζ. Ater, mandibulis, pedibus anticis excepta basi, tibiis posterioribus basi, abdomineque rufis, hoc vitta dorsali, postica versus dilatata, nigra; terebra abdomine longiore.

Synon. *Bracon minutator Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III.* p. 116. *Var. 2, fide exempli, ab ipso cl. auctore missi.* (*Mas.*) *Bracon guttator Pz. l. c.*

Long. lin. 2¼. Colorum vigore a praecedentibus differt. *Mas. Fem.*

Cepi *feminam* die 18° mensis Augusti anno 1808 prope *Sickershausen*. *Marem* cl. *Spinola* ex *Italia* transmisit.

41. Bracon *triangularis.*

B. ater, vertice lato; abdomine fulvo, macula triangulari baseos atra; pedibus subunicoloribus; alis nigris, fascia albido-hyalina; terebra longitudine abdominis. *Fem.*

Synon. *Bracon variator Var. a. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 8.

Long. lin. 2⅛—2¼. Orbita piceo-rufa. *Mandibulae* rufo-piceae. *Palpi* nigri. *Abdominis* ovati primum segmentum nigrum, rugulosum, marginibus lateralibus depressione longitudinali elevatis, apicem versus rufis; reliquis segmentis totis rufis, minus nitidis, secundo media basi subruguloso, macula trigona baseos atra, et in ejus basi punctulato-ruguloso. Terebra recta, nigra, vix unquam abdomine longior. *Pedes* nigri, trochanteribus inferis apice rufis.

Cepi prope *Sickershausen*. Tum e Sudetis a D. Manger mihi missus est. Marem non vidi.

Varietas:

β. Tibiis basi brevi spatio rufis. *Fem.*
Cepi mense Julio prope *Sickershausen*.

Nota:

Ad *Braconem delusorem* Br. accedit, medius quasi inter hunc et illum.

42. Bracon *anthracinus.*

B. niger, nitidus, laevissimus; capitis vertice angusto; abdomine puncto utrinque laterali apicis primi segmenti luteo, terebra longitudine fere corporis; alis basi obscuris, apice subhyalinis. *Fem.*

Synon. *Bracon variator Var. k. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 10.

Long. lin. 1. Forte mera *Braconis variatoris* Varietas, cui quoad staturam puncturamque simillimus. Color totius corporis ater, excepto primi segmenti abdominis puncto laterum apicali. *Antennae* filiformes. *Terebra* fere corporis longitudine; *alae* basi nigrae, apice abrupte albo-hyalinae.

Varietas:

β. Alarum albedine apicis minus determinata.

Cepi *feminam* mense Julio prope *Sickershausen.* Marem non vidi.

43. Bracon *atrator.*

B. ater, nitidus, mandibulis piceis; terebra corpore longiore; abdomine oblongo, laevi nitidissimo, puncto obsoleto in margine utroque segmenti petiolaris et ventre basi luteis; alis obscure hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon variator Var. l. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 10.

Long. lin. 1. Species satis distincta, licet praecedenti haud absimilis. Corpus laevissimum et fere glabrum. *Abdomen* depressum oblongum, magis nitidum. *Terebra* corpore in omnibus longior. Pedes fusci, trochanteribus femoralibus piceis.

Mas. Feminae similis. *Antennae* validiores setaceae, longitudine corporis. *Abdominis* segmentum primum et secundum latere, tertium margine postico sordide picea. *Alae* saturatius nigricantes.

Cepi *feminam* mense Julio prope Sickershausen; prope *Augustam Taurinorum* captam cl. *Bonellius* tradidit; *Viennae* cl. Dahl legit; *marem* mense Aprile in Ribe rubro horti prope *Sickershausen* cepi; ex *Italia* a cl. Bonellio, simillimum ejus accepi.

Varietates:

β. Long. lin. 1½. Ventre toto fere rufo; tibiis posticis basi rufis; alis obscuris. *Fem. Mas.*

Cepi mense Julio in Anetho horti prope *Sickershausen.*

γ. Abdominis lateribus baseos latius rufis. Trochanteres inferi in Var. *α* et *β* apice rufi. *Fem.*

Cepi Julio mense in horto, prope *Sickershausen.*

Observatio II.

Varietatem memorabilem (*γ*) vix ultra $1/2$ lineae longitudine e *Sudetis* habui, caeteris omnibus notis congruam. *Antennae*, ut in reliquis, fuscae, breves, paulo graciliores videbantur; *alae* minus infuscatae. *Fem.*

44. Bracon *obscurator*.

B. niger, obscurus, laevis, pubescens; abdomine ovato pedibusque fuscis, tibiis posticis pallidioribus; alis obscuris, apice dilutioribus; terebra longitudine abdominis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1/2$. Statura *Braconis variatoris*, quo duplo fere minor. *Caput* transversum. *Antennae* filiformes, corpore breviores, articulis distinctis. *Mandibulae* rufescentes; *palpi* fusco-testacei. *Abdomen* ovatum, thorace paulo longius, laevissimum quidem, sed pube sparsa obscuratum. Color totius corporis niger, tibiis posticis basi plus minusve, obsoletissime interdum, rufescentibus; latera primi segmenti plus minusve rufo-picei, colore obsoleto. *Alae* nigricantes.

Mas. Long. $1/3$ lin. totus niger, pubescens, pedibus, saepe totis nigro-fuscis; alis obscure hyalinis, nervis nigris, stigmate fusco-testaceo.

Cepi feminam mense Julio in quercu; marem mense Junio inter frutices, prope *Sickershausen.* — A cl. *Bonellio* individuum maris, *Augustae Taurinorum* captum, mihi communi catum est. E *Sudetis* et ex *Italia* plura exempla maxime congrua, tam maris quam feminae, allata sunt.

Varietates:

α. Paulo major, antennis validioribus. *Mas.*

α. 2. Trochanteres inferi apice, femora antica subtus, tibiae eaedem totae, posticae basi, tarsique antici rufi. Reliqua ut in *α.* *Mas.*

β. Minor. *Mas.*

Cepi individuum Varietatis *α.* mense Augusto in Pastinacca horti prope Sickershausen. Varietatis *α.* 2. exempla ex *Italia* a cl. Bonellio missa sunt. — Varietatis *β.* individuum, mense Julio captum in Anetho graveolente, alterum mense Septembre in Peucedano Silao pratorum prope *Sickershausen.*

45. Bracon *exhilarator*.

B. ater, nitidus, mandibulis, ventre baseosque abdominis lateribus tibiisque basi luteis; terebra abdomine oblongo-ovato duplo breviore. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2¼. Differt a cognatis: *Mandibulis* laete rufis; abdomine magis elongato; terebra breviore. Color ater et nitens.

Caput parvum, vertice latiusculo. *Pedes* nigri, trochanteres inferi, femora anteriora apice, tibiae omnes, luteo-rufa, hae apice fuscae; tarsi anteriores basi rufi. *Alae* obscurae, cinereo-nigricantes. *Abdomen* laeve.

Mas. Cum femina, cui congruus, captus est. *Pedes* antici toti rufi, solis coxis nigris; posteriores vel

a) ut in femina, vel

b) femoribus apice late rufis. *Abdomen* sub-concolor, solo primo segmento ad latera rufo.

Cepi marem et feminam mense Majo in horto, prope Sickershausen.

Observatio.

Bracon quidam, paulo minor, captus prope *Sickershausen* die 9. Junii, abdomine toto fusco pedibusque rufis, hujus varietas videtur.

Hujus loci: Bracon osculator (?) *Nota* 3. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 11.

46. Bracon *osculator.*

B. niger, nitidus, pubescens; mandibulis, palpis abdominisque primo segmento utroque margine flavis; pedibus plus minus rufescentibus; terebra longitudine dimidii abdominis oblongo-ovati; alis obscuris. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon osculator N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 10.

Braconi variatori similis, constanter tamen differre mihi visus est. *Caput* minus transversum, thorace angustius; mandibulis semper flavis; orbita (in aliis fasciis hypostomatis), nonnunquam flavis.

Antennae graciles, filiformes, longitudine corporis, illove paulo longiores. *Thorax* immaculatus. *Abdomen* brevius, ovatum, planiusculum, laeve, nitidum, segmento secundo medio longitudinaliter obsolete carinato, basi punctis duobus subimpresso; primo utroque latere flavo, dorso planiusculo; reliquis post mortem nigris, dum animal vivit, basi flavis apice nigris, hinc abdomen flavo nigroque fasciatum. *Terebra* semper longitudine vix dimidii abdominis, gracilis, pubescens. *Alae* fere hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Pedes colore in aliis alii:

a. nigri, geniculis solis (anticis magis distincte) rufescentibus, tunc fasciae flavae, abdominis obsoletiores. *Fem.*

Cepi mense Octobre prope *Sickershausen.* Cl. *Gravenhorst* simillimum die 3. Junii prope *Barterode*, vicum *Gottingae* vicinum, legit.

Mas.

Feminae omnino congruus. Long lin. $1^1/_8$.

Cepi prope *Sickershausen* aestate 1814.

a. *β.* Paulo minor (long. lin. 1). Pedes antici rufi, coxis et trochanteribus superis obscurioribus; posteriores nigri, trochanteribus inferis tibiisque basi latius rufis. Tarsi fusci. *Alae* fere hyalinae, nervis pallide fuscis, stigmate fusco. *Mas.*

Cepi mense Julio in Anetho horti prope *Sickershausen.*

b. Pedes anteriores rufo-testacei, coxis trochanteribusque mediis nigris; postici nigri, tibiis basi rufo-testaceis. *Fem.*

Long, lin. $1^1/_2$. Niger, nitidus; abdomine ovato, segmento primo macula magna baseos, secundo interdum margine laterali, reliquis fascia luteis; pedibus anticis, basi excepta, tibiisque posterioribus basi rufis; alis obscure hyalinis. *Fem.*

Mas feminae isti simillimus, hypostomate flavo, fascia angulata nigra; pedibus nigris.

Cepi *feminam* mense Octobre, *marem* Majo mense locis apricis prope *Sickershausen.*

b. *β.* Long. lin. 2. Abdominis segmento secundo substriolato, opaco; orbita interrupta, rufa. *Fem.*

Mas long. lin. $1^1/_4$, a femina vix nisi orbita immaculata, abdomine angustiore, secundo segmento basi striolato, pedumque colore distinguendus, qui rufi, coxis omnibus, trochanteribus superis, femoribus mediis interdum basi, interdum latius ad medium, posticis in medio, tibiis posterioribus apice, tarsisque iisdem fuscis.

Variatur segmentis posterioribus itidem substriolatis.

Marem et *feminam* eodem tempore in horto prope *Sickershausen* cepi.

Observ. An distincta species? *Terebra* fere longitudine abdominis. Statura corporis etiam procerior.

γ. Long. lin. $1^1/_8$. Hypostomate concolore; clypeo, ore pedibusque totis rufo-testaceis; orbita juxta antennas rufescente; abdomine fasciato. *Mas.*

Cepi Mense Majo prope *Sickershausen.*

δ. Pedes ut in varietate *α.* Mandibulae solae et latera primi segmenti lutea. *Mas.*

Captus cum praecedente.

47. BRACON *rimulator.*

B. niger, ore cum clypeo, pedibus abdominisque oblongo-lanceolati basi striolati segmento primo margine, secundo toto obscure rufis; terebra abdomine longiore. *Mas. Fem.*

SYNON. *Bracon variator Var. f. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 9.

Long. lin. 1⅛. Similis *Braconi variegatori* n. 49, satis tamen distinctus.

Caput transversum, vertice lato, laeve, nigrum, nitens, ore cum clypeo orbitaque obscure piceo-rubris. *Antennae* nigrae, validae. *Thorax* ovatus, compressus, laevis, pubescens, niger, nitidus, lobo antico, pleuris pectore metathoraceque toto (laevissimo), fusco-piceis. *Abdomen* oblongo-lanceolatum; primo segmento late conico, plano, basi depresso, secundoque obscure piceo-rufis, his subtilissime rimulosis, medio fuscidulis; reliquis laevibus, fusco-nigris, tertio basi piceo. *Terebra* longitudine abdominis et metathoracis, nigra. *Pedes* saturate picei toti, femoribus apicem versus obscurioribus. *Alae* cinerascentes.

Mas. Niger, capite rufo, nigro-maculato; pleuris, pedibus, abdominisque lanceolati, striolati, obscuri, primo segmento margine, secundo toto rufis, hoc macula nigra. Alis obscure hyalinis.

Long. lin. 1⅛. *Caput* thorace fere latius, transversum, vertice lato, laeve, rufum, nitidum, mandibulis apice, oculis, macula magna verticis, occipiteque nigris, palpis albidis. *Antennae* subsetaceae, longitudine corporis, nigro-fuscae. *Thorax* ovatus, laevissimus, ater, nitidus, uti reliquum corpus albido-subpubescens, plaga laterum ante alas triangulari rufa. *Metathorax* convexo-declivis, nitidissimus, laevissimus. *Abdomen* oblongo-lanceolatum, longitudine capitis et thoracis, rimulosum, opacum, planiusculum; primo segmento conico-angustato, marginibus postice depressis, disco plano, ruguloso, basi depresso, marginibus lateralibus acutis, nigro; segmento secundo a basi sensim ampliato, plano, rufo, in medio disco nigro-fusco; reliquis segmentis leniter sensim latitudine decrescentibus, nigris, ter-

tio lateribus baseos rufis, ultimis laeviusculis. Venter concavus, basi rufus, apice fuscus. *Pedes* anteriores toti rufi seu rufo-testacei, mediis coxis macula postica fusca; postici rufi, coxis, trochanteribus superis, tibiis apice et tarsis fuscis, seu nigro-fuscis. *Alae* cuneiformes, fusco-hyalinae, nervis pallidis, stigmate pallide fusco.

Cepi *feminam* unam die 13. Octobris 1809, *marem* mense Julio in Athamanta Oreoselino, locis sylvaticis prope *Sickershausen.*

48. Bracon *punctulator.*

B. niger, opacus, mandibulis, abdominis primo segmento margine utroque ventreque flavis, tibiis posticis basi rufis, abdomine ovato, dense confertim punctulato, primo secundoque segmento subcarinatis; terebra abdomine breviore; alis obscuris. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{8}$. *Caput* thorace angustius, transversum, occipite concavo, hypostomate convexo, et sub antennis carinula brevi aucto, nigrum, pubescens, orbita supera in omnibus saltem rufa, in nonnullis pictura flava ornatum. *Mandibulae* rufae; *palpi* nigri. *Antennae* filiformes, breves (thorace vix longiores), articulis distinctis, nigrae. *Thorax* cum *metathorace* simul sumto subglobosus, dense subtilissime punctulatus, pubescens, niger, utplurimum concolor. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, thorace latius, obovatum planiusculum, punctulatum, nigrum, pubescens; primo segmento brevissimo, fere semicirculari, lineis duabus abbreviatis, a margine postico antrorsum (versus basin abdominis) conniventibus, impressis notato, lateribus acutis, planis, flavicantibus; secundo et tertio, quae paulo densius quam sequentia, punctulata sunt, linea obsoleta elevata media subcarinatis. Apex abdominis rotundatus, ultimis segmentis retractis. Terebra in plurimis (vide infra), longitudine segmentorum ultimorum abdominis (a quinto), subdecurva, apice compressa. Venter compresso-carinatus, carina, basi latiori spatio rufescente. *Pedes* coxis trochanteribus femoribusque nigris, tibiis basi vel totis, tarsis semper, rufis. *Alae* fusco-hyalinae, nervis et stigmate fuscis, fasciaeque albido-hyalinae vestigiis.

V a r i e t a t e s:

a. minor. *Caput* immaculatum, sola orbita supera rufescente. *Pedes* nigri, tibiis anterioribus basi apiceque, brevissimo spatio, posticis basi late, rufis. *Fem.*

Mas feminae simillimus; orbita minus rufescente; antennis gracilioribus longioribus, pedibus anterioribus fere totis nigris, tibiis posticis basi breviori spatio rufis.

Synon. *Bracon osculator Nota* 1. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 11.

Cepi *feminam* et *marem* Majo, Julio et Augusto mensibus in hortis et sylvis prope *Sickershausen*, praesertim in floribus umbellatarum.

β. Individuum quoddam e collectione *Desmarestiana* mihi suppeditatum, habitu et sculptura omnino congruit, major tamen est, (long. lin. $1^1/_2$), orbita supera brevissimo tractu rufescente; abdominis tertio segmento vix carinulato; alis obscurioribus, et, quod maximi momenti videatur, terebra, longitudine abdominis insigne. (An species distincta?) Venter huic flavus, serie duplici macularum nigrarum.

Mas ejusdem structurae, abdomine magis oblongo, tibiis posticis breviori spatio rufis, tarsis fuscescentibus.

Captus *Sickershusae* cum praecedentibus.

b. Orbita, genae et puncta duo sub antennis flava. Tibiae totae, et femora antica apice rufa. *Abdomen* minus carinatum.

Synon. *Bracon osculator N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 11 *et Nota l. c. n.* 2. *p.* 11.

Conferatur quoque Bracon guttator Pz. F. G. 92. 8. *Icon, nec descriptio, qua terebra abdomine longior exhibetur.*

Mas. Os rufum; orbita nigra. Pedes ut in femina. Antennae graciliores.

Synon. *Bracon variator Var. ε mas. Berl. Mag. V. p.* 9.

Feminam mense Octobre, *marem* Junio mense prope *Sickershausen* cepi.

β. Long. lin. 1. et paulo ultra; statura, antennae, terebra, alae ut in reliquis, sed *punctura abdominis* multo subtilior, hinc istius nitor magis conspicuus, nec segmenta anteriora distincte carinata. *Caput* rufum, macula obtuse trigona hypostomatis, stemmatum area, occipiteque nigris. Femora apice rufa; tibiae anticae totae, posteriores basi (mediae latius) tarsorumque articuli apice rufi.

Mas. Caput ut in femina. Puncta flava sub antennis

cum orbita flava continuantur, ut fere hypostoma flavum appareat, fascia lata, superne angulata, nigra mandibulis insidente; orbita flava in vertice dilatatur; litura hamata ante alas flava conspicua in omnibus. (*Scutellum*, quod rarum in hac familia, flavum in uno exemplo apice fusco, in altero lituris duabus flavis prope apicem notatum.) *Tibiae* ut in femina varietatis α, rubedine laetiore, at minus extensa. Tarsi subfusci.

Feminam cepi mense Julio in Anetho graveolente horti prope *Sickershausen*; *marem*, scutello nigro, ibidem mense Majo in quercu locis apricis; exempla autem scutello flavo vel flavo-liturato Majo et Junio mensibus in horto cepi inter arbusta et flores Anethi.

An species distincta?

γ. Caput nigrum, orbita, genis punctisque duobus obsoletis sub antennis rufis; vertice obscure piceo. Haec exempla feminae varietatis β praeter puncturam omnino accedunt; sed tibiae anticae iis basi tantum pallidae. *Fem.*

Cepi mense Junio prope *Sickershausen.*

49. Bracon *variegator. Spin.*

B. nigro flavoque varius, terebra longitudine $1/3$ abdominis obovati, punctati; alis fuscis, apice subhyalinis. Antennis validiusculis, longitudine dimidii corporis.

Synon. *Bracon variegator Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 118. *n.* 12. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 12.

Statura omnino praecedentis. *Caput* luteum; mandibulae apice nigrae. *Antennae* breves, nigrae, articulis distinctis. Occiput nigrum. *Stemmata* maculae nigrae innata. *Hypostoma* interdum macula magna triangulari nigra. *Thorax* niger, lineis duabus a margine antico ortis, in fasciam ante scutellum confluentibus, luteis. Scutellum *luteum*, macula semicirculari baseos nigra. *Abdomen* dorso planiusculo, undique confertim subtilissime punctulato; secundo tertioque segmentis subcarinatis, nigrum, limbo tenui, basi dilatato, ano, ventreque rufis. *Pedes* rufi, seu flavescentes. *Alae* obscure hyalinae, stigmate fusco puncto albido.

Mas. Eadem statura. Antennae longiores.

Cepi feminam et marem mensibus Octobre et Augusto in floribus Umbellatarum prope *Sickershausen.*

V a r i e t a t e s.

Mares. α scutellum luteum. Abdomine basi luteo; femoribus basi fuscis.

Alterum specimen, medium quasi est inter α et β. Scutellum apice flavum, ut in illo; pedes hujus; hypostoma linea verticali nigra. Pleurae macula flava.

β. Pictura eadem. Scutellum nigrum. *Abdomen* basi testaceo-subpellucidum, macula obsoleta nigra; postice nigrum, segmentis basi flavescentibus, ano nigro. Femora nigro-fusca, apice rufa. *Antennae* longitudine corporis.

γ. *Caput* ut in α. *Thorax* rufo-testaceus, maculis tribus nigris, media antica, lateralibusque supra alas. *Metathorax* dorso late niger. *Abdomen* ut in α; macula baseos nigra deest, et apex est nigro-fuscus, dorso medio lutescente. *Pedes* toti luteo-testacei. Caetera eadem.

Cepi varietatis α individuum in Athamanta Oreoselino locis sylvaticis, mense Julio; individuum var. β. mense Augusto in Pastinacca horti, prope Sickershausen.

Eundem ex *Italia* tribuit collectio *Bonelliana.* — Varietatem γ cepi mense Septembre prope *Sickershausen.*

50. Bracon *fasciator Spin.*

B. nigro rubroque rarius; alis fuscis, fascia lata flavicante. *Mas.*

Long. lin. 2½. *Caput* flavicans; collo toto, macula media verticis cum stemmatibus, oculis, mandibularum apice, palpis nigris. *Antennae* nigrae, corporis longitudine. *Thorax* supra niger, lobo intermedio macula magna ferruginea in medio notato; pleuris antice ferrugineis. *Abdomen* segmentis quatuor anterioribus saturate ferrugineis; reliquis nigris. *Pedes* nigri; antici tibiis tarsisque pallidis; posteriores genubus tantum pallescentibus. *Alae* fuscae; superiores flavo-transverse fasciatae, fascia lata a basi stigmatis prodeunte, marginem posticum versus attenuata.

Mas descriptus. Femina mihi huc usque invisa.

Habitat in *Liguria* rarior; in agro Arquatensi semel captus. *Spinola* l. c.

A d n o t a t i o.

Hanc speciem, a nobis non visam, sola auctoritate cl. *Spinolae* et ad ejusdem verba huc retulimus.

51. Bracon *pumilio.*

B. ater, nitidus, ore, antennarum basi, pedibusque totis luteis; abdominis obovati segmentis in medio subcon-

strictis, antice rimulosis, postice laevibus; terebra ultimo segmento vix longiore. Alis hyalinis, stigmate fusco. *Mas. Fem.*

Long. lin. ³/₄. *Caput* latitudine thoracis, transversum, vertice latiusculo, planiusculo, hypostomate brevi, convexo, reclinato, oculis parvis, nigrum, subtilissime punctulatum, nitidum, pubescens. Mandibulae parvae et palpi rufa. *Antennae* graciles, filiformes, longitudine corporis, nigrae, articulis tribus anterioribus, citra radiculam, luteis, omnibus filiformi-cylindricis. *Thorax* brevis, tumidus, ater, nitidus, subpubescens, laeviusculus. *Metathorax* brevissimus, convexus, laevissimus, aequalis. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, obovatum, convexum; segmento primo late conico, planiusculo, rectilatero, marginibus acutis, his interdum et apice rufescentibus, dorso rimuloso; secundo et tertio propius a basi linea transversa bipartitis, a basi ad lineam istam rimulosis, reliqua parte tumidula laevi nitida, marginibus autem posticis ciliatis; reliquis segmentis laevibus, seu potius ad sulculum usque retractis; quarto majore, sexto piceo. Terebra in speciem apiculae prominet, fusca. Venter fornicatus basi membranaceo-carinatus, rufescens. *Pedes* toti lutei, validiusculi. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis; areola radialis oblongo-lanceolata; areola cubitalis secunda extrorsum angustior, prima paulo minor, et sub eandem in angulum extensa.

? *Mas.* Feminae perquam similis, abdomine paulo angustiore, segmentis margine postico minus intumescente, et, quod dubiis ansam praebuit, areola radiali ab apice alae magis remota.

Cepi *marem* et *feminam* mensibus Augusto et Septembre in quercu, prope Sickershausen.

52. Bracon *orbitator.*

B. niger, ore, orbita, pedibusque totis testaceis, femoribus posterioribus apice fuscis; abdominis ovali-oblongi tribus anterioribus segmentis rimulosis; terebra longitudine abdominis; alis hyalinis, nervis et stigmate testaceo-fuscis. *Fem.*

Long. lin. 2. *Caput* latitudine thoracis, transversum, nigrum, orbita, postica praesertim, rufa; hypostomate perpendiculari, in medio subgibbo, supra clypeum biimpresso; *mandibulae* rufae, apice fuscae, *palpi* et os rufa. *Antennae* nigrae, setaceae, corpus aequantes. *Thorax* ovatus, convexus; lobo antico humili, indistincto; medio obtuso, non

producto. *Metathorax* brevis, rotundatus, reticulato-rugulosus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, ovali-oblongum, a basi ultra medium leniter ampliatum, planiusculum, nigrum; primo segmento ad apicem recto tractu dilatatum, cuneiforme, nec basi dentatum, aequale linea media elevata, antrorsum furcata, obsoletiore carinatum et tota superficie, ut et secundum et tertium segmentum, dense rimuloso-striatum, reliqua segmenta laevissima, brevia. Venter compresso-carinatus, ante apicem gibbus, rufescens, fulcro anum non supereminente. *Terebra* longitudine abdominis, recta, gracilis. *Pedes* testacei, coxis posticis, femoribusque posterioribus apice fuscis. *Tibiae* posticae apice et tarsi iidem toti obscuriores. *Alae* hyalinae; areola cubitali secunda longitudine primae.

Habitat in *Italia*. Bina individua, e cl. *Bonnellii*, Taurinensis, collectione transmissa, vidi. Marem non novi.

53. Bracon *lanceolator*.

B. niger, pubescens; ore, antennarum articulis duobus anterioribus pedibusque totis testaceis; abdomine oblongo-lanceolato, laevi, medio piceo, primo segmento rimuloso; alis hyalinis, nervis et stigmate fusco-testaceis; terebra longitudine ⅓ abdominis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1½. Affinitas quaedam huic cum *Bracone obliteratore*.

Caput thoracis latitudine, transverse cubicum; hypostomate plano, verticali, supra clypeum punctis duobus obsoletis impresso; vertice transverso, parum convexo, supra antennas brevi spatio subretuso-nigrum, laeve, subpubescens. *Mandibulae* et *palpi* testacea, illae apice fuscae. *Antennae* longitudine corporis, filiformes, graciles; primis duobus articulis crassioribus, testaceis, reliquis nigro-fuscis, subtus dilutioribus. *Thorax* ovatus, niger, pubescens, subpunctatus. *Metathorax* parum productus, dorso plano-convexus, antice dense punctulatus, linea media elevata, marginibusque linea elevata cinctis, postice descendens, fossulis binis parvis laevibus supra petiolum. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, lanceolatum; primo segmento conico-angustato, planiusculo, tenuissime rimuloso, basi subgibbo, nigro; reliquis laevibus, secundo, medio margine postico excepto, toto fere rufo-piceo, reliquis fuscis. Venter fornicatus, nigricans. *Terebra* longitudine ⅓ abdominis, fusca. *Pedes* graciles, toti pallide lutei, unguibus fuscis. *Alae* cuneiformes, hyalinae; nervis subtili-

bus, fuscescentibus; stigmate magis testaceo. Areolae cubitales prima et secunda aequales, amplae, subquadratae. Nervus recurrens interstitialis.

Mas. Differt a femina: *capite* magis cubico, supra antennas valde retuso, punctis duobus ad clypei basin impressis profundioribus; in *metathorace* postice fossulis tribus parvis laevibus insculpto, quarum laterales ovatae in parte superiori linea transversali elevata sejunguntur, interjecta tertia lineari basi porcata; *abdominis* secundo et tertio segmento sordide piceis, ano rufo; pedibus rufo-testaceis.

Cepi *feminam* et *marem* mense Augusto locis sylvaticis in umbellatis prope *Sickershausen.*

O b s e r v a t i o.

Unicum individuum, masculinum, e *Sudetis* allatum vidi, quod statura quidem conveniebat cum isto nostro, sed metathoracis foveolae non discernendae, abdominis segmentum petiolare basin versus minus angustatum, media ejus segmenta, ut et pedes obscuriora, dubia movent, an huic pertineat.

V a r i e t a s:

? *β.* *Mas.* Long. lin. $1\frac{1}{8}$. Pedibus piceis, geniculis pallidioribus.

Captus prope Sickershausen.

T r i b u s 3. S p h a e r o c e p h a l i.

Capite subgloboso; *prothorace* magis elongato; *corpore* brevi, atro nitido, *capite abdomine*que saepius rubris; *alis* obscuris.

54. Bracon *impostor.* *)

B. ater, pubescens, abdomine ovato, coccineo, tere-

---

*) Hoc loco illustrandus est:

Bracon *laminator* Fabr.

B. rufo-ferrugineus, antennis, capitis vertice (thoracis maculis) nigris; alis fuscis, stigmate fulvo, utrinque puncto nigro terminato; abdomine inaequali. *Mas.*

Synon. *Bracon laminator Fabr. S. Piez. p.* 103. *n.* 5. *Ichneumon laminator Fabr. Ent. Syst. Suppl. p.* 223. *n.* 92*.

Statura et sculptura proximus *Braconi demigratori* Fabr. seu *Braconi impostori Scop. Caput* subglobosum, thorace angustius, luteum, macula genarum infra mandibulas, harum apicibus, antennis, quae corpore (in mare) longiores, vertice et nucha nigris, orbita tamen supera rufa, postice in-

bra apice incurva, abdomine breviore; alis nigris lituris duabus albo-hyalinis.

SYNON. *Ichneumon impostor Scop. Carn. p.* 287. *No.* 758. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 186. *n.* 159. *Schrenk En. p.* 365. *n.* 736.

Bracon denigrator Fabr. S. Piez. p. 109. *n.* 33. (*excl. syn. Linneano, alii speciei, postea de-*

---

trorsum denticulum emittente. *Thorax* cum *metathorace* laevissimus, nitidissimus, uti reliquum corpus saturate et laete ferrugineo-rufus, seu fulvus; lobo collari humili, subtus toto nigro, maculisque duabus oblongis, obliquis marginis superi notato; lobo antico lineari, angusto, margine supero in medio nigro; lobo medio modice elevato, nec valde tuberoso, macula media rectangula nigra, e basi scutelli protracta, inde antrorsum in dua crura linearia discedente, interjecta linea media tenuissima, punctoque extrorsum apici cujusque cruris apposito, retrorsum lineam vix conspicuam emittente. *Scutellum*, *metathorax* et *pectus* omnino immaculata. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, thorace duplo fere latius, late ovatum, planiusculum, immaculatum; primo segmento conico-angustato, marginibus lateralibus late depressis, linea elevata acuta discretis, spatio interjecto ovato-gibbo, laevissimo; reliquis segmentis, ad quintum usque, subtilissime, nec dense, punctulatis, singulis sulco transversali prope basin profundo, antrorsum arcuato, et in fundo transversim striolato, ita excavatis, ut pars posterior in cingulum intumescat; segmenta ulteriora, valde retracta, oculos fugiunt. Venter concavus, concolor. *Pedes*, anteriores praesertim, reliquo corpore paulo dilutiores, immaculati, unguibus nigris, tarsisque posticis fuscis, femoribus iisdem crassiusculis. *Alae* angustae, cuneiformes, fuscae, basi pallescentes; costa ad stigma usque fulvo-ferruginea, idque ipsum ejusdem coloris, antice posticeque puncto nigro terminatum; sub stigmate litura expallescens, cui altera sublunata, mere hyalina, innata est.

Individuum, a quo descriptio haec derivata est, longitudine lin. $5^{1}/_{4}$, a celeb. *Riche* ex itinere, ad redinveniendum la Peyrousium classe navali suscepto, relatum, proxime accedit descriptioni *Braconis laminatoris* Fabr., in Suppl. Ent. Syst. p. 223. n. 92 — 93 impressae.

β. Individuum alterum, et idem masculini sexus, ab eodem nobis benigne collatum, sola statura minore (long. lin. $3^{1}/_{4}$) thoracis lobi medii macula dorsali ampliata, effusa scilicet nigredine super spatium, cruribus ejus interjectum, puncto quoque, iisdem extrorsum in altero specimine apposito, aucta latitudine ipsis non solum contiguo, sed etiam retrorsum, hamuli ad instar, excurrente. Punctum insuper oblongum, nigrum sub alis conspicitur. Reliqua ad amussim huic cum altero conveniunt.

Habitat in *India orientali*. De Femina nihil constat.

scribendae, n. 58., *tribuendo). Panz. Krit. Rev. p.* 77. *Gravenh. in Gœtt. gel. Anz.* 1809. *p.* 484 *et* 485. *N. ab* E. *Berl. Mag. V. p.* 7. *n.* 5. *Spin. Ins. hig. II. Fasc. III. p.* 109. *)

Ichneumon denigrator Fabr. Ent. syst. II. p. 161. *n.* 112. *Panz. F. Germ. XLV.* 14. *Rossi Faun. Etr. ed. Ill. II. p.* 46. *n.* 771.

Ichneumon à ventre couleur de cérise. Geoffr. Paris II. p. 352. *n.* 69.

Ichneumon n. VII. Schaeff. i. t. 20 *f.* 4, 5, *(fem.)? n. XXIV. t.* 52. *f.* 4 *(Mas.). (Terebra nimis tenuis et recta in icone feminae, l. c. exhibetur.)*

Memorabilia observo in his, quae ante oculos habeo individuis, discrimina, cum ad formam terebrae respicio; quae, nescio an sufficiant, ad characteres specificos ex his derivandos.

Sed quoniam utraque reliqui corporis fabrica omnino inter se congruunt, et magnitudo mediante uno alterove individuo compensatur, seorsim edere dubitavi, judicium peritioribus relicturus.

a. Exempla germanica, long. lin. 2½ — 3½ terebra gaudent longitudine dimidii abdominis, subincurva, vix apicem versus incrassato, apiceque ipso recto.

Synon. *Bracon demigrator Pz. F. Germ. XLV. p.* 14.

Mas feminae omnino similis, longitudine lin. 3 — 3½ differt: *antennis* gracilioribus, alis pallidioribus.

b. Exempla italica et alterum, ex coll. Brongniardiana Parisiensi comparatum, long. lin. 4½ — 5, terebram habent longitudine ¾ abdominis, validiorem, primo rectam, apicem versus decurvam, ipso denique apice compresso-clavato, decurvo et subfalcato.

In reliquis, uti jam dictum est, nullum discrimen invenimus. *Mandibulae* in varietate a. plerumque rufo-piceae; in var. b. nigricantes. *Thorax* utrisque pubescens, concolor. *Metathorax* laevissimus. *Abdomen* breve, ovatum, laete coccineum; primo segmento conico-planiusculo, lateribus sulculo discretis; secundo sulcis duobus convergentibus notatum; reliquis omnibus basi striga striolata, margine postico linea transversa, impressa, discreto. *Pe-*

---

*) Ad quem locum conferas: *Gœtt. gel.* Anz. supra cit.

des nigri. *Alae* nigrae, cuneiformes, abdomine longiores, lituris duabus solitis satis distinctis, posteriore minore.

Mas feminae simillimus; long. lin. 2½ — 4½.

Cepi Var. a. mares et feminas mense Julio in Athamanta Oreoselino horti, prope Sickershausen.

Var. b. *Feminam* vidi in collectione Brongniardiana Parisiensi, tum mares et feminas plures e collectione *Bonelliana* et *Sanvitaliana* comparavi, a long. lin. 2½ — 4½ discrepantes, caeteris autem notis cunctis congruos. Feminae cum iisdem nobis transmissae, e majoribus omnes erant, terebraque longa, clavata, praeditae.

E regno Mexicano feminam varietatis b cl. *Erbreich* misit, praeter Metathoracis apicem, obsolete rufescentem et alas lituris fere destitutas subunicolores nigras nullis omnino notis distinguendam. Conf. ad haec *Fabr. s. Piez. l. c.*

β. Varietatem maxime memorabilem, ex *Italia* transmisit cl. *Bonelli.*

Long. lin, 1½ *Mandibulae* et *orbita* supera rufae; *Abdominis* sordide rubri sculptura, qualis in reliquis; secundo segmento utrinque juxta basin carinula parva aucto, primo disco fusco; extremis obscuris. *Pedes* fusci, coxis et trochanteribus nigris, tibiis basi expallidis. Alae pallide fuscae.

Caput paulo latius visum, quam in reliquis. Cetera vix pro discrimine sumenda.

55. Bracon *extricator.*

B. ater, abdomine ovato rufo, segmento secundo basi impresso-trilobo, terebra longitudine ¼ abdominis; metathorace convexo, aequali, laevissimo; alis fuscis, fascia albo-hyalina sub stigmate. *Fem.*

Synon. *Ichneumon incertus Christ Hymen. p.* 39. *f.* 9? (*ob terebram brevem, sed icon duplo major.*)

Long. lin. 2½. Statura ad *Braconem demigratorem* Fabr. propius accedit, interque illum et sequentem fluctuat. Species tamen est revera distinctissima.

Caput thorace angustius, transversum, et thorax nigra, laeviuscula, nigro-pubescentia, nitida. *Mandibulae* piceae; *palpi* fusci. Orbita antica in nonnullis angustissimo spatio rufescit. *Antennae* totae nigrae, setaceae, longitudine

tudine fere corporis. *Thorax* ovatus, antice rotundatus, dorso subaequali. *Metathorax* brevis, convexus, aequalis, laevissimus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, laete rufum, laeve, circumscriptione ovata, minus tamen dilatata, quam in *Bracone denigratore* F. — Primum segmentum conico-angustatum, marginibus lateralibus mediodepressiusculis, lineisque tribus longitudinalibus impressum; media basi profundissima, postice bifurca, lateralibus marginibus adjacentibus, ut itaque tubera quinque inaequalia, laevia, extollantur, unum scilicet utrinque posticum, triangulum; antice angustato-desinens prope marginem, dein alterum, a basi retrorsum angustatum, fere lineare, angustissimum; medium denique, sulci medii cruribus circumscriptum, majus ovatum, laevissimum. (Sculptura haec in pluribus, neque vero in omnibus tam evidens invenitur.) Secundum segmentum planiusculum, linea subcrenulata, ter arcuata, prope basin impressum, quo lobuli tres obtusi, retrorsum spectantes, elevantur; reliqua segmenta omnia convexiuscula, linea prope basin impressa. Terebra nigra, longitudine trium ultimorum segmentorum. Venter subcarinatus, rufus. *Pedes* graciles. Colorem supra indicavimus. *Alae* angustae, fusco-nigrae, nervis et stigmate nigro-fuscis; litura sub stigmate distincta; postica obsoletissima. Areola cubitalis secunda elongata, anteriore longior.

Varietates:

a) Minor, long. lin. $2\frac{1}{2}$. Variat quoad Pedum colorem:

α) Pedibus anterioribus nigris, posticis fusco-piceis, femoribus dilutioribus.

β) Pedibus anterioribus ut in Var. α; posticis coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis; tibiis et tarsis fusco-nigris, illis basi rufis.

b) Major, long. lin. 3. *Pedibus* totis nigris.

Synon. *Bracon obscurator, Musei Sanvitaliani.*

Observ. I. Var. β. Differt praeter staturam majorem, capite ad speciem crassiore, antennis validioribus, et sculptura secundi segmenti abdominis minus expressa.

Habitat varietas α in *Germania* (mus. cl. Gravenhorst.), var. β. in *Italia*. (Vidi exempla plura in coll. cl. *Sanvitali*.) *Mas* mihi ignotus.

Obs. II. Sculptura segmenti secundi abdominalis, in antecedentibus descripta, huic Braconum Tribui solemnis,

multiplici ratione variat. In aliis v. g. *Br. leucogastri* Ziegler, fere deleta; in aliis, e. g. *Br. flavatore, denigratore, laminatore,* — lineis duabus antice convergentibus dissecta, lobum medium amittit; — aliis, ut *Braconi initiatori*, lobi omnes elongati, acutissimi. Forte ex his characteres haud respuendi derivari possent.

56. Bracon *flavator Fabr.*

B. ater, abdomine luteo; terebra abdomine longiore; metathorace convexo, aequali, laevissimo; alis saturate nigris; fascia hyalina. *Mas.* Idem; alis paulo dilutioribus.

β. Ano nigro. *Mas.*

Synon. *Ichneumon flavator Fabr. Ent. Syst. II. p.* 161. *n.* 113. *Coq. ill. ic. Dec. II. t.* 11. *f.* 9. *Latr. hist. nat. des Ins. I.* 3. *p.* 180. *n.* 6.

Bracon flavator, Fabr. S. Piez. p. 110. *n.* 36.

Long. lin. 3—4½.

Descriptionem comparativam hujus speciei quaeras sub specie sequente.

57. Bracon *leucogaster Ziegler.*

B. ater, abdomine rufo, metathorace producto, areato; terebra abdomine longiore; alis nigris, fasciis duabus hyalinis obsoletis. *Mas. Fem.*

Mas. Idem. Long. lin. 3. *Antennae corpore longiores. Metathoracis* area mediae infera superne inter duas superas spatio lineari protrusa.

Synon. *Bracon flavator. Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 110 (*quoad descr. excl. Synon.*) *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 7. *n.* 6. (*Var. α.*)

Bracones flavatorem Fabr. et *leucogasterem* Ziegl. species, ab ipso viro clarissimo *Spinola*, in monographia sua (l. c.), ut e speciminibus patet, promiscue habitas, nunc e plurium exemplorum, attenta comparatione, juxta positis utriusque speciei notis diagnosticis, clarius exponemus:

Bracon flavator.	Bracon leucogaster.
Color corporis, excepto abdomine, ater, nitidissimus.	Color idem, nitore minus vivo.
Pubescentia nigra, densa, erecta, ut corpus subhirsutum appareat.	Pubescentia obscure cinerascens, sparsa, subdecumbens.

Antennae longitudine corporis, validae.

Caput transversum, latitudine thoracis; hypostomate os versus retrorsum declivi, fronte retusa, vertice longitudine multo latiore.

Thorax ovatus, dorso antico tumidulo, nec collum versus conspicue attenuatus.

Scutellum laeve.

Metathorax longitudine dimidia lobi medii thoracis cum scutello, convexus, aequalis, nitidissimus.

Abdomen thorace latius, ovatum; primo segmento conico-angustato, postice duplo latiori, campo medio longitudinali convexo, laevi, depressione longitudinali utriusque lateris elevato, lateribus planiusculis, subrugulosis; secundo lineis duabus antrorsum oblique convergentibus impresso, et reliquis laevissimis.

Color abdominis luteus.

Terebra crassiuscula, longitudine abdominis et thoracis; valvulis hirtis.

Venter basi acute carinatus, apice planus.

Antennae tenues, gracillimae.

Caput thorace angustius, subcubicum, hypostomate subperpendiculari, fronte brevius retusa, vertice plano, subquadrato.

Thorax oblongus, antice conico-angustatus, lobi medii tubere antico non elevato.

Scutellum laeve.

Metathorax longitudine lobi medii thoracis, demto scutello, supra planiusculus, areis duabus scutiformibus, ad ambitum regulariter striolatis, disco laevissimis, hinc declivis, areis tribus lateralibus subquadratis, in margine exteriori tuberculo obtuso auctis, media triangulari-lanceolata, omnibus rugoso-striatis.

Abdomen latitudine thoracis, oblongum, postice latius; primo segmento fere quadrato, ruguloso, campo medio vix elevato, basi brevi spatio bicarinato, reliquis omnibus laevibus, aequalibus.

Color abdominis rufo-ferrugineus.

Terebra tenuis, longitudine ut plurimum abdominis et metathoracis; valvulis pubescentibus; in var. β. longitudine abdominis et thoracis.

Venter obtuse carinatus, lateribus planis.

Pedes nigri, validiusculi.

Alae latiores, saturate nigrae; litura antica lunata distincta, postica nulla.

Pedes nigri validiusculi.

Alae angustiores, nigrofuscae, lituris duabus, sed obsoletissimis.

Feminam et *marem* prope *Sickershausen* in horto cepi, Junio et Julio mensibus, minus tamen frequentem. Vidi porro exempla feminae, a cl. *Dahl* prope *Viennam*, a cl. *Manger* in *Sudetis*, a cl. Rau Wirceburgi capta, tum alia e collectionibus Gravenhorstiana et Sturmiana comparavi. *Mares* aliquot Dahlius *Vienna* et praecl. *de Sanvitali Parma* transmisit.

Variationes.

β. *Terebra* longitudine abdominis et thoracis. *Fem.*

Cepi prope Sickershausen Junio mense in horto; aliud exemplum e *Magno-Ducatu Badensi* cl. *Menzinger* exhibuit.

γ. Individuum masculini sexus, coloribus totius corporis alisque etiam pallidioribus, quod immaturum existimo, in collectione *Bonelliana* vidi.

Observatio I. Individua duo mascula *Braconis* leucogastris Ziegl. misit Dn. Prof. *Gravenhorst*, long. lin. 2½, sed omnino ejusdem structurae, sculpturae atque coloris, *Braconi extricatori* fem. Variet. a, tanquam mares ejus, adscripta, a quo satis differunt: capite majore, subcubico; thorace antice magis angustato: metathorace omnino ut in femina juxta descripta, areato, (qua nota etiam recedunt ab individuo masculo majore, Vienna delato) abdomine basi rimuloso, aequali; alarum areola cubitali secunda prima breviore, nec longiore.

Observatio II. Ad *Braconem leucogasterem Ziegleri* pertinere videtur Bracon alter, cujus Linneus in descriptione *Braconis denigratoris* mentionem fecit. Nam alae huic fere omnino obfuscatae et longitudo terebrae congruunt.

Observatio III. Bracon quidam, a cl. *Gravenhorst*, nomine *Braconis denigratoris* Lin. missus (conf. Gött. gel. Anz. 1809. p. 485. adnot. cl. Gravenh.), omnino his simillimus, vix specie differt. A specie sequente differt: metathorace areato; terebra breviore; alis lunula indistincta. — Antennae desunt.

Icon *Schaefferi* ad sequentem speciem spectare puto, eumque ob antennas breviores, alarum lunulas distinctissimas, citatam denique Schaefferianam figuram, *Bra-*

conis denigratoris Lin. nomine rectius appellari, mihi persuasum est.

58. Bracon *denigrator.*

B. ater, abdomine rufo; metathorace brevi, convexo, laevissimo; terebra corpore longiore; alis nigris, fasciis duabus albo-hyalinis, anteriore distincta, posteriore obsoletissima. *Mas. Fem.*

Synon.. *Ichneumon denigrator, Lin. S. N. n.* 28. *Faun. Suec. n.* 1604. *Schrank En. p.* 366. *n.* 737. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 165. *n.* 94.

Ichneumon nonagesimus Schaeff. ic. tab. 235. *f.* 4. 5.

Bracon flavator Variet. β. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 7.

Long. lin. 3½—4½. Statura praecedentium, idem color, at antennae corpore breviores, validae, articulis duobus baseos crassioribus. *Caput* crassius, subquadratum. *Abdomen* angustius, lanceolatum; primo segmento longiori, a secundo abrupte angustiori, basin versus minus attenuato et fere lineari; profunde marginato, area media convexa, obovato-oblonga; secundi segmenti areis distinctissimis triangulari-acuminatis. *Terebra* corpore paulo longior. *Alae* saturate nigrae, striga antica distincta, postica obsoletissima.

Mas. Feminae omnino congruit. Long. lin. 3½. Statura, antennae graciliores.

Feminam cepi mense Julio locis apricis prope Sickershausen. E Sudetis quoque a cl. *Manger* exemplum ejus missum est. *Marem* ex *Magno-Ducatu Badensi* cl. *Menzinger* transmisit.

59. Bracon *initiator Fabr.*

B. ater, nitidus, capite abdomineque rufis; terebra corpore sublongiore. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon initiator Fabr. S. Piez. p.* 110. *n.* 37. *Fabr. Ent. Syst. II. p.* 161. 114. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 6. *n.* 3.

Long. lin. 4¾—5½ *Caput* transverse-cubicum, uti totum corpus laeve, nitidum; mandibularum apice et palpis nigris; vertice lato, in plurimis supra antennas toto nigro, ingredine ad occiput rotundata, unde regio pone oculos rufa apparet; occiput rufum, linea media nigra;

Antennae nigrae, longitudine fere corporis. *Thorax* totus ater, immaculatus, nigro-pubescens; *metathorax* laevissimus, convexus. *Abdomen* oblongum, capite thoraceque paulo longius; basin versus angustius; primo segmento rectilatero, subconico, marginibus sulco-carinaque discretis; secundo breviore, sulculo ex utroque latere antice cum opposito connivente, interjecto triangulo e lineis duabus impressis, postice junctis, formato. *Terebra* longitudinem totius corporis $1/8$ circiter excedit. *Pedes* atri; trochanteribus femoralibus piceis; tarsis anticis fuscis. *Alae* nigrae, litura ante stigma transversa albo-hyalina.

Mas. Idem. Antennae graciliores, longiores.

Marem et *Feminam* in collectionibus *Gravenhorstiana* et *Sturmiana* vidi. Exempla hujus prope Vratislaviam capta sunt. Inter rariores esse videtur.

Varietas:

β. Nigredine verticis in maculam parvam contracta. *Fem.*

Cl. *Sturm dedit.*

γ. Exemplum alterum e collectione *Brongniardiana*, Parisiensi mihi communicatum, *magnitudine* diversa (long. lin. 3.); *terebra* corpore, quantum caput extenditur, breviore; *hypostomate* macula quadrata fusca notato, cum idem in exemplis *Braconis initiatoris* genuinis omnibus, quae vidi, immaculatum est; abdomine basin versus minus angustato, solo primo segmento evidenter contracto, secundo vero ratione praecedentis habita brevissimo; alis denique dilutioribus, litura minus distincta inscriptis, satis quidem discedere videtur; ut propriam speciem existimare possit. Sed quoniam mutilum antennis, metathoraceque aliquantum exeso videbatur, judicium potius suspendendum putavi, donec plura specimina ad manus venirent. Pleurae lituris obsoletis rufescentibus (ante alas praecipue) divisae in nostris speciminibus conspiciuntur. *Fem.*

Habitat *Parisiis.*

δ. *Capite* nigro, *hypostomate* infero, *ore* et *genis* rufis. — Caetera ut in mare communi. *Mas.*

ε. In collectione Gravenhorstiana.

60. BRACON *caudiger.*

B. ater, laevissimus, nitidus, abdomine ovali, rufo, laevissimo; terebra longitudine corporis; alis nigris, fascia obsoleta albo-hyalina. *Fem.*

Long. lin $1^3/_4$ *Caput* thorace angustius, e transverso rotundatum, laeve; hypostomate punctis duobus supra os impresso. Mandibulae piceo-rufae; palpi nigri. *Antennae* filiformes, rectae, corpore paulo breviores. *Thorax* ovatus, convexus, uti caput ater, laevissimus, nitens, albido-subpubescens. *Metathorax* brevis, rotundatus, laevissimus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, ovale apicem versus parumper angustatum, laeve, rufum; primo segmento sulcis duobus antrorsum convergentibus notato, disco nigricante, ano flavicante, ut et ventre. Valvula ventralis prominens, obtusa, flavescens. Terebra valida, longitudine corpus aequans, subdecurva, nigra, pubescens. Pedes, tibiis validis, atri; trochanteribus omnibus apice, tibiis posticis basi obscure piceis. *Alae* saturate nigrae, litura communi angusta, angulata sub stigmate.

Habitat in *Silesiae* quercu. Captus a cl. *Gravenhorst* die 3. Julii 1812 prope Skarsin.

Observatio:

In uno individuo, quod benevolentiae cl. *Gravenhorst* debemus, abdominis segmenta posteriora maculae dorsalis nigrae vestigia obsoleta monstrant.

Mas ignotus est.

61. BRACON *atro-rufus.*

B. aterrimus, laevissimus, capite transverse cubico, vertice lato, abdominis oblongi segmento secundo et tertio rufis, medio nigris; pedibus anticis et geniculis posterioribus rufis; alis fuscis, fascia albo-hyalina. *Mas.*

Long. lin. 2. Species memorabilis, medium typum *Braconis variatoris*, in praecedentibus descripti, et *Braconis initiatoris* prae se ferens; colores enim illius, caput fere hujus.

Caput tharace vix angustius, transverse-cubicum, hypostomate declivi, brevi, vertice subquadrato, convexo, atrum, nitidum, laeve, uti totum corpus pilis sparsis albidis pubescens. *Mandibulae* et *palpi* apice piceae. *Antennae* setaceae, graciles, longitudine corporis, recurvae, nigrae; primo articulo longiori, crassiori, cylindrico

Thorax ater, laevissimus, subovalis; lobo antico humili, angustato, collum mentiente. *Metathorax* convexus, postice declivis, carinula abbreviata auctus, apice excavatus, paulo magis pubescens. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, oblongum, parum convexum, laeve, pubescens, minus nitens; segmento primo nigro, breviusculo, basin versus modice angustato, planiusculo, basi depresso, depressione postice bifurca, subrugulosa, marginibus posticis depressis; rufis; segmento secundo et tertio rufis, dorso medio indeterminate nigro-fusco; quarto basi utrinque rufo, uti reliquis omnibus nigris, laevibus, pubescentibus. Venter concavus, rufus, apice fuscus. *Pedes* antici rufi, coxis, trochanteribus, femoribusque basi, nigris; posteriores nigri, trochanteribus inferis, femoribusque extremo apice (tibiis quoque basi, sed obscurius —) piceo-rufis; tarsis omnibus nigris, articulis apice parumper piceo-rufis. *Alae* fuscae, subhyalinae, nervis et stigmate fuscis, fasciaque solita.

Observatio:

Cum sequentis (*Braconis obliterati*) mare summam quidem affinitatem monstrat, accuratius tamen inspectus, satis distat: metathoracis praesertim structura, abdominisque hujus aliena conformatione.

Cepi unicum individuum masculum in Syringa horti prope Sickershausen die 5° Maji 1811.

62. Bracon *obliteratus*.

B. nigro-piceoque varius, ore pedibusque totis rufis, tibiis fuscis, basi albidis, abdominis obovati segmento primo et secundo rugulosis, rufo-piceis; terebra longitudine abdominis; alis hyalinis, nervis stigmateque fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 3. Statura accedit ad *Braconem initiatorem*, sed abdomen in nostro latius.

Caput thorace angustius, globoso-cubicum, vertice lato, laevi, glabro, hypostomate albo-pubescente, nigrum, nitidum, clypeo, labro, palpis mandibulisque testaceo-rufis, his apice nigro-fuscis. *Antennae* in nostro desunt. *Thorax* compressus; lobo antico latiusculo, humili, planiusculo, lobum medium limbi ad instar amplectente, e sanguineo obscure piceo, ruguloso; medio dorsali elevato, tuberibus tribus distinctis, antico majori, subcordato, laevi, nitido, nigro; scutello concolore. *Metathorax*

productus, dorso planiusculus, lateribus posticeque declivis, sub scutello sulculo transverso discretus, tum spatio angusto laeviusculo, parte reliqua rugosa, areis quinque sat distinctis, binis utriusque lateris subquadratis, anteriore majore, media angusta lanceolato-subhastata: color metathoracis e piceo et fusco sanguineus; ejusdem coloris, et pleurae et pectus, hoc vero macula indeterminata utriusque lateris, et facie infera lobi antici tota dilutius rufescentibus. — *Abdomen* e basi latiuscula ultra medium recta — dilatatum, hinc rotundatum, convexiusculum; primo segmento planiusculo, basin versus vix parum angustato, lateribus proxime ad basin abrupte incurvis, ubi ex utroque latere, juxta marginem, foveola parva rotunda in facie supina observatur, spatio interjecto parumper elevato, plano, mox desinente. Superficies hujus segmenti striolato-subrugosa, coloris saturate rubro-picei. Segmentum secundum continuo tractu dilatatum, priori longius, subtilius rimulosum, ejusdemque coloris, apice vero nigrum et laeve; reliqua segmenta omnino nigra, laevia, brevissima, transversa. Terebra longitudine abdominis, recta, nigra. Venter basi gibbus, sordide rufus. *Pedes* toti piceo-rufi; tibiis piceo-fuscis, basi albidis; tarsis anterioribus rufis, posticis fuscis, articulis apice rufis. *Alae* oblongae, hyalinae, nervis et stigmate fuscis; areolis omnino ut in cofamiliaribus.

Mas. Niger, nitidus, ore pedibusque piceis, trochanteribus inferis tibiisque posticis basi pallidioribus; abdomine oblongo, basi rimuloso; alis hyalinis, nervis stigmateque fuscis.

Long. lin. 2½. Statura refert *Braconem initiatorem* ad modum parvum. Corpus atrum, laeve, nitidum, laeviter pubescens.

Caput latitudine thoracis, subcubicum, vertice lato convexo. *Mandibulae* tenues, hiantes, rufae, apice nigrae; palpi picei. *Antennae* graciles, corpore paulo longiores. *Thorax* antice conico-productus, immaculatus, lobo antico humili, medio trilobo. *Metathorax* satis productus, dorso planiusculus, subtruncatus, dorso rugosus, supra petiolum foveolis tribus parvis subrotundis areatus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, oblongum, basin versus paulo angustius, primo segmento conico secundoque basi tenuissime rimulosis, reliquis laevibus, tertio in medio dorso piceo-micante. *Pedes* graciles, picei trochanteribus inferis omnibus tibiisque posticis basi apice-

que brevi spatio e piceo testaceis. *Alae* angustae, hyalinae, nervis stigmateque fuscis.

Observatio:

Pictura thoracis in femina maxime indeterminata, coloribus mirifica dilutione et inspissatione mutuo commixtis, ut nullibi limites appareant.

Habitat in *Germania*. Vidi duo exempla *feminea*, quorum unum a *Mangero* in *Sudetis* captum. *Marem* nunc in collectione Gravenhorstiana servatum, cl. *Sturm Norimberga* transmisit.

Varietates:

β. Long. lin. 2. Segmento secundo abdominis toto rufo. Caeteris notis quam maxime congruus, differt: colore fusco corporis magis expallido, unde termini rubedinis metathoracis segmentorumque abdominis magis confunduntur. Alae pallidiores, mere hyalinae; nervis et stigmate dilutioris coloris. *Fem.*

63. Bracon *fuscatus.*

B. nigro-fuscus, nitidulus, capite pedibusque totis piceo-rufis, tibiis basi palpisque albidis; terebra longitudine ⅓ abdominis; alis albo-hyalinis, nervis stigmateque luteis. *Fem.*

Long. lin. 2½. Statura praecedentis, cui proxime affinis. *Caput* parvum, laeve, nitidum, mandibulis apice, macula pro insertione stemmatum oculisque fuscis. *Antennae* dimidio corpore longiores, fusco-piceae, apice obscuriores. *Thoracis* lobus anticus conicus, subtus rufescens. *Metathorax* obsolete reticulatus, foveolis duabus longitudinalibus supra petiolum. *Abdomen* obovatum; segmento primo angustiori, obconico, rimuloso, obtuse bicarinato; secundo magno, ultra medium rimuloso, postice, ut reliquis, laevissimo, nitido. *Terebra* fusca. *Pedes* femoribus validiusculis, toti piceo-rufi; tibiis basi albicantibus. *Alae* angustae, parum flavicantes.

Observatio:

Abdominis segmentum primum et secundum utrinque obscure rufescunt, qui color forte, dum animal vivit, magis elucet.

In *Magno-Ducatu Badensi* cl. *Menzinger* cepit. *Marem* non vidi.

Varietates hujus individuum unicum vidi, e *Sudetis* a cl. *Manger* transmissum.

64. Bracon *striatellus*.

B. niger, nitidulus, ore, antennarum basi pedibusque totis rufis, tibiis basi albis; abdomine ovato, primo secundoque segmento striolato-rugulosis; terebra longitudine abdominis; alis hyalinis, nervis et stigmate fuscis. *Fem.*

Long. lin. 2. Statura duorum praecedentium. *Caput* subcubicum; hypostomate brevi, reclinato, convexiusculo, uti reliquum corpus albido-pubescente, laevi; vertice lato, subquadrato, convexo. *Mandibulae* hiantes, piceo-rufae; *palpi* pallidi. *Antennae* filiformes, graciles, longitudine corporis, aut paulo longiores, nigrae, basin versus plus minus rufescentes. *Thorax* structurae omnino ejusdem, quae in *Bracone obliterato* descripta est, niger, immaculatus. *Metathorax* productus, subscutello sulculo discretus, quinqueareatus; areis binis lateralibus superis scutiformibus, striolatis; inferis subquadratis, rugulosis; media antrorsum lineari, postica versus angulata, indeterminata. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, obovato-oblongum, obtusum, planiusculum, nigrum; primo segmento e basi contracta, ubi denticulus utrinque eminet, postica versus modice expanso, et latitudine postica parum longiori, aequali, immarginato, rimuloso-striato, lineisque duabus eminentibus, prope basin divergentibus, carinato; secundo striolato, extremo apice et reliquis laevibus. Venter niger, obtuse compresso-carinatus, fulcro terebrae abdominis apice breviore. *Terebra* longitudine ⅔ abdominis, recta, nigra. *Pedes* toti laete rufi, trochanteribus inferis, tibiis basi tarsisque anticis albidis. *Alae* cuneiformes, hyalinae, nervis et stigmate fuscis; areola secunda cubitali prima longiore.

Varietates:

α. Antennarum tribus anterioribus articulis solis, subtus praesertim, piceo-rufis, litura genuina picea infra antennas; abdomine immaculato. *Fem.*

β. Antennis basin versus longiori tractu piceo-rufis, nigro-annulatis; *hypostomate* supero et *orbita* postica nigro-piceo micantibus; *abdominis* segmento secundo fascia apicis interrupta piceo-rufa. *Fem.*

Habitat in *Italia*, prope *Augustam Taurinorum*, cum varietatibus. Coll. cl. *Bonellii.* Mas non notus.

65. Bracon *dimidiatus.*

B. ater, capite subgloboso, angusto, ore pedibusque totis luteis; abdominis ovati dimidio postico rufo; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum, nigra; alis hyalinis.

Long. lin. 2. *Caput* subhemisphaericum, thorace vix angustius, atrum nitidum, laeve subpubescens; hypostomate plano, reclinato; vertice lato, convexo; postice excavato; stemmatibus valde protuberantibus. *Mandibulae* et *palpi* rufa. *Antennae* gracillimae, longitudine corporis, basin versus rufo fuscoque annulatae. *Thorax* ater, laevis nitidus, pubescens; lobo antico angusto, humili, planiusculo; medio convexo, tumido, trilobo. *Metathorax* subovatus, convexitate modica descendens, rugulosus, lineaque media obsoleta carinatus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, ovatum, ad basin paulo magis angustatum, convexiusculum; primo segmento conico-angustato; lateribus rectis, aequali, subimmarginato et obsolete bicarinato, tota superficie, secundo segmento autem fere ad apicem usque rimuloso-striatis et nigris, istius margine postico cum reliquis segmentis laevi et saturate rufo. Venter luteus, membranaceo-carinatus. *Terebra* ut brevis apicula prominet, atra. *Pedes* toti luteo-testacei. *Alae* hyalinae flavo micantes, nervis et stigmate pallide fuscis; areola cubitali secunda prima longiore antrorsum attenuata.

Habitat in *Italia.* Unum *feminei* sexus exemplum in collectione *Bonelliana* vidi. *Mas* adhuc latet.

Tribus 4. Picti.

Rufo nigrove varii, vel toti lutei, vel nigri thoracis dorso et abdomine rubris; *capite* lato, transverso vel subgloboso, vertice rotundato; *abdomine* oblongo, laevi vel rimuloso; terebra elongata.

Stirps 1. Brevilingues.

Oris partibus brevibus non porrigendis.

66. Bracon *appellator.*

B. rufus, capite thoraceque nigro-maculatis; metathorace laevissimo; terebra corpore longiore, alis fuscis, fasciis duabus albidis. *Fem.*

Synon: *Bracon nominator N. ab E. Berl. Mag. V. p. 6. n. 2.*

Bracon nominator. Var. abdomine toto luteo. Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 100.

Long. lin. 4½ — 5. *Caput* rufum macula verticis parva, ovata, nigra. *Oculi*, *antennae* et *mandibularum* apices nigra; *palpi* pallidi. *Thoracis* lobus anticus immaculatus; medius maculis tribus nigris. *Metathorax* laevissimus, omnino immaculatus, rufus vel dorso niger. Pectus posticum nigrum. *Abdomen* totum rufum, immaculatum. *Pedes* toti rufi, solis tibiis posticis tarsisque omnibus apice nigris, illis basi rufis. *Alae* saturate fuscae, strigis duabus distinctis albidis, posteriori abbreviata.

Habitat in *Germania*. Cepi aliquot exempla sexus *feminei* mensibus Julio et Augusto in Pinetis prope Sickershausen. Alia metathoracis dorso nigro ex *Italia* transmisit cl. *Bonelli*. *Marem* non vidi.

O b s e r v a t i o :

Hunc Rossius (Mant. I. n. 266) commiscuisse videtur cum *Ichneumone terrefactore Vill.* (Ent. Lin. III. p. 195. n. 194), a quo capitis magnitudine multo inferiore primo jam intuitu distinguitur.

67. Bracon *nominator Fabr.*

B. rufus, capite thoraceque nigro-maculatis; metathorace punctato; terebra corpore longiore; abdomine basi macula, apice fasciis nigris; alis fuscis, fasciis subduplis albidis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon nominator Fabr. S. Piez. p.* 104. *n.* 8. *Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 59. *n.* 2. *Panz. Krit. Rev. p.* 76.

Ichneumon nominator Fabr. Ent. Syst. II. p. 155. *n.* 93. *Coqueb. illustr. ic. I. tab.* 4. *fig.* 2. *Panz. F. Germ.* LXXIX. 10. (*fem.*).

Long. lin. 4½ — 5. *Vertex* macula angulata nigra; mandibulae apice, oculique et antennae nigra. *Thorax* lobo antico utrinque macula, lobo medio maculis tribus, metathorace pectoreque postico nigris. *Abdominis* primum segmentum basi nigrum, apice rufum; secundum macula media nigra; quartum fascia ante marginem nigra, in medio interrupta; quintum, sextum, septimum, fascia lata media nigra, integra, quae retractis segmentis saepe evanescunt. *Pedes* rufi, coxae mediae extus, posticae totae, tibiae eaedem et tarsi nigra. *Alae* obscurae, stigmate fusco, fascia liturave albida sub stigmate; striga postica obsoleta.

Mas. Long. lin. 3 — 3½. *Antennis* gracilioribus; hypostomate pallidiore; macula secundi segmenti abdominis lanceolata; quinto segmento et reliquis totis nigris, vel extremo tantum margine rufescentibus.

Habitat in *Germania Australi*, in *Italia*, *Gallia*. *Mas* et *femina* a cl. *Bonelli*, et a *Sanvitalio*, viro dilectissimo, ad me missa sunt.

Varietas:

β. Long. lin. 5½. *Caput* ut in Var. *α*. *Thoracis* lobus anticus subtus niger, supra immaculatus; reliqua pars thoracis, et *metathorax* ut in *α*, hic sulculo distinctiori radiatim striolato. *Abdominis* segmentum primum basi rufum, apice macula magna nigra; secundum linea media obscuriore; reliqua immaculata. *Terebra* paulo longior, quam in Var. *α*. *Coxae* et *trochanteres* omnes basi nigra, apice rufa. *Pedes* anteriores rufi, postici nigri; femoribus apice late, tibiisque basi rufis; *tarsi* omnes nigri. *Alae* ut in Var. *α*. *Femina.*

Hujus loci *Bracon nominator* Panz. l. c.

Habitat in *Italia*. *Taurino* cl. *Bonelli*, nomine *Braconis nominatoris* et *urinatoris* misit; prope *Parmam* perill. *de Sanvitali* cepit.

Observatio:

Metathorax in binis, quas modo exposuimus, speciebus brevis, ovatus, sulculo transverso sub scutello discretus. Abdominis primum segmentum utrinque depresso-marginatum, campo medio elevato, rimuloso; segmentum secundum basi utrinque oblique impressum, impressione crenulata, convexitate interjecta rimuloso-subradiata; tertium segmentum basi striolatum, lineae obliquae impressae vestigiis, tum, uti reliqua, laeve. Terebra corpore ¼ longior.

68. Bracon *inscriptor*.

B. rufus, capite thoraceque nigro-maculatis; scutello nigro; metathorace laevissimo; abdominis secundo et tertio segmento lineolis obliquis impressis, primo macula nigra; pedibus totis rufis, geniculis posticis nigris; alis fuscescentibus, fasciis duabus punctoque stigmatis albis; terebra longitudine corporis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2½. Statura omnino precedentium, quibus summopere affinis est. *Caput* globoso-cubicum, laeve, rufum; mandibularum apice, oculis, macula angulata verti-

cis, antennisque nigris, his dimidio corpore vix longioribus. *Thorax* laevis, albido-pubescens; lobo antico toto rufo; medio rufo, maculis tribus oblongis atris. Scutellum atrum. *Metathorax* rotundatus, laevis, ater, litura laterali apiceque rufis. Pectus postice atrum, lituris, maculaque in pleuris rufis. *Abdomen* lanceolatum, planiusculum, dense punctulato-rugulosum, rufum; primo segmento late cuneiformi, marginato, macula media, postice saepe emarginata, nigra; secundo et tertio utrinque lineola, oblique antrorsum inclinata, strigaque ante marginem posticum impressis, undique aequo modo punctulatum; ut et reliquis. *Terebra* corpus aequans, picea, valvulis nigris. *Pedes* rufi toti, coxis posticis macula dorsali, femoribus iisdem, tibiis et tarsorum articulis extremo apice nigris. *Alae* fuscescentes, fasciis duabus latis albidis, at obsoletis; stigmate fusco, macula magna flavicante notato.

Mas. Long. lin. 2. A *femina* differt: *hypostomate* flavicante; *maculis pleurarum*, *coxis* anterioribus, *trochanteribusque* anticis flavis; *femoribus* posticis apice latius fuscis, *abdomine* apice obscuriore.

Habitat in *Italia*; prope *Taurinum* a cl. *Bonelli* captus. *Mas* et *Fem.*

Observatio:

A *Bracone luteatore* Spin., cui, corporis fabricam si spectes, proximus, differt: mandibulis brevioribus, neque in rostrum productis; palpis, coxis et trochanteribus rufis, nec nigris.

69. Bracon *tentator.*

B. rufus, capite thoraceque nigro-maculatis, scutello rufo; abdomine macula baseos, pedibusque posterioribus nigris, his rufo-geniculatis; alis fuscis, fasciis duabus albo-hyalinis, stigmateque puncto albido, terebra longitudine abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Ichneumon tentator Rossi F. Etrur. et Ill. T. II. n.* 783 (*mas.*).

Ichneumon cuniculator, Rossi, Mant. I. p. 120. *n.* 265 (*cum Bracone castratore Fabr. hoc loco confusus*).

Long. lin. 2½—3. Magna affinitas cum praecedente, sed distinctio non minus apparens. *Caput* latius, transversum. Oris partes fuscae, nec rufae, tamen palpi apice rufi. *Scutellum* rufum. *Metathorax* punctulatus, carinula

media notatus. Punctum ante coxas anticas ex utroque latere; pectus ut in illo postice nigrum, et pleurae immaculatae. *Abdomen* postice magis dilatatum, minus distincte punctulato-rugulosum, nec tertio segmento lineis conspicuis impresso. *Terebra* vix abdomen aequans. *Pedes* in femina coxis et trochanteribus omnibus nigris, apice rufis; postici antem nigri, femoribus basi et apice, tibiisque basi rufis; anteriores in aliis alii. Tarsi postici fusci. *Alae* praecedentis paulo obscuriores, punctoque pallido stigmatis in femina minore.

Mas. Long. lin. 3. Differt a femina Varietatis *α*: *femoribus* posticis rufis; macula exteriori oblonga ante apicem nigra; tibiis posticis basi latiori spatio rufo-piceis.

Habitat in *Italia*. Dns. de Bonelli cepit prope Taurinum *mares* et *feminas*.

Varietates:

α. *Pedibus anterioribus* rufis. *Fem.*

β. *Pedibus anticis* rufis, femoribus basi late nigris, mediis posticisque concoloribus. *Fem.*

70. Bracon *deplanator.* *)

B. rufus, thorace nigro-submaculato; abdomine oblongo, plano nigro-vario; terebra corporis fere longitudine, femo-

*) Cum hac specie, alia quaedam exotica convenit, quam hic addimus:

Bracon *mundator.*

B. luteus, nitidus; antennis puncto verticis, terebraque, corpore longiore, nigris; alis fuscis, basi fasciaque luteis. *Fem.*

Long. lin. 5 — terebrae $7^1/_8$. Statura praecedentis. *Caput* subglobosum, latitudine thoracis, vertice lato supra antennas retuso, laeve, subpubescens, totum luteum, reliquo corpore pallidius; oris partes concolores. Oculi fusci, punctum seu macula nigra, triangula, pro stemmatum insertione. *Antennae* in exemplo nostro mutilae; quod reliquum est, nigri coloris. *Thorax* subcompressus, antice angustior, lobi medii tubere antico elevato, laevis, nitidus subpubescens, uti reliquum corpus saturate luteus, ad ferrugineum vergens. — Scutellum laevissimum. *Metathorax* laevissimus, aequalis, convexus, ovatus, postice truncatus. *Abdomen* capite thoraceque $^1/_4$ longius, lineari-oblongum, convexiusculum; segmento primo subrectangulo, vix basin versus angustato, marginibus lateralibus sulco discretis, campo medio convexo, aequali, laevissimo; secundo segmento antice angustiore, planiusculo, triangulo, acuto, apice postico impresso, interjecto spatio laevi, glabro,

femoribusque posticis nigris; alis fusco-hyalinis, stigmate obscure ferrugineo, litura obsoleta hyalina sub stigmate. *Fem.*

Long. lin. 2¼. Statura praecedentium. Corpus laeve, albo-pubescens. *Caput* latitudine thoracis, rufum; mandibulis apice, stemmatibus, oculis, in nonnullis macula occipitis nigris. *Antennae* nigrae, corpore breviores; articulo primo et tertio rufis.

Palpi pallidi. *Thorax* rufus; macula triangulari antica, singulisque oblongis supra alas obsoletis nigris. Scutellum rufum. *Metathorax* satis productus, antice laevis, postice leniter declivis, transversim rugulosus, niger. *Abdomen* capite thoraceque longius, oblongum, planum; primo segmento parum attenuato, breviusculo, crasse punctulato, nigro, margine laterali rufo; secundo rufo, macula magna triangulari nigra, in medio rugis undulatis, transversalibus, inaequali; reliquis segmentis laevissimis, nitidis; tertio basi rufo, apice, lateribus exceptis, nigro, quarto nigro, margine postico rufo; quinto nigro, striga media rufa; ano rufo. *Terebra* longitudine abdominis et thoracis, valvulis nigris. Venter carinatus, rufus. *Pedes* toti rufi, antici solis tarsis apice fuscis; mediis coxis basi macula nigra, femoribus apice subtus nigris, tarsis obsolete nigro-rufoque annulatis; posticis coxis macula magna annulari nigra, femoribus subclavatis nigris apice rufis, tibiis rufis, apice nigris, tarsis ut in mediis. *Alae* fuscescentes, nervis fuscis, stigmate fusco-ferrugineo, litura solita obsoleta.

Habitat Viennae; a cl. Dahl missus. Marem non vidi.

Cl. *Bonellius* Taurino simillimum istius exemplum, coxis posticis, basi totis nigris, transmisit.

V a r i e t a s:

β. *Thorace* antice cum occipite immaculato; *pedibus* totis rufis, coxis posticis fuscis, femoribus iisdem in me-

reliquo pubescente; tertio et quarto segmento prope basin sulculo transverso, in medio antrorsum arcuato et ibidem interrupto, impressis; reliquis aequalibus; cunctis pubescentibus. Venter carinatus, pallidus. *Terebrae* valvulae nigrae, pubescentes. *Pedes* colore thoracis; tarsis posticis nigris. *Alae* basi ad ⅓ longitudinis luteae, dein fuscae, fascia lata, cum parte anteriore stigmatis connata, lutea; posterior pars hujus fusca. Nervus recurrens interstitialis. Vidi *feminam* in collectione cl. *Riche* Paris., ab expeditione navali, ad inquirendum La Peyrousium instituta, captam. *Mas* adhuc latet. *Habitat?*

dio paulo obscurioribus. *Abdominis* maculis pallidioribus. *Fem.*

Habitat *Augustae Taurinorum.* *Bonelli.*

71. Bracon *castrator Fabr.*

B. rufo-ferrugineus, punctulatus, pubescens; capite thoraceque nigro notatis; terebra longitudine abdominis; alis fuscis, stigmate flavo, utrinque puncto nigro terminato, fasciisque duabus, albo-hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon castrator Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 103. *n.* 4. (*Excl. Syn. Rossi. Faun. Etr., nam in Mant. duae species confundi videntur.*) *Fabr. S. Piez. p.* 103. *n.* 4. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 6. *n.* 1.

Ichneumon castrator Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 223. *n.* 92—3.

Ichneumon cuniculator Rossi Mant. I. p. 120. *n.* 265. (*cum Bracone tentatore commixtus.*)

Long. lin. $3^1/_4$. *Caput* transversum, latitudine thoracis, fronte convexiuscula, subtilissime punctulatum, uti totum corpus albido-pubescens, rufum, mandibularum apice, oculis et macula orbiculari verticis nigris. *Antennae* validae, corpore breviores, nigrae. *Thoracis* lobus anticus humilis, laeviusculus, rufo-ferrugineus, macula utrinque supra coxas anticas nigra; lobus medius rufus, punctulatus, maculis tribus latis nigris, saepe confluentibus, media anteriori. Scutellum, rufo-ferrugineum, punctulatum, puncto baseos nigro. *Metathorax* breviusculus, dorso planiusculo, postice truncatus, punctulatus, supra rufo-ferrugineus. Pectus rufo-ferrugineum, puncto sub alis nigro; postice nigrum. *Abdomen* ovato-oblongum, longitudine capitis thoracisque, opacum, rufo-ferrugineum, immaculatum; segmento primo latiusculo, basin versus parum conico-attenuato, planiusculo, margine laterali late depresso, aequali, carina elevata (ut in *Bracone contractore* n. 79) at obtuso, discreto, campo medio planiusculo; secundo tertioque lineis duabus remotis, basin versus conniventibus, postice abbreviatis, strigaque ante marginem, impressis; reliquis aequalibus. Venter pallidior, acute carinatus. *Terebra* longitudine abdominis, subdecurva, validiuscula, nigra, valvulis pubescentibus. *Pedes* validiusculi, femoribus, posticis praesertim; subclavatis, cum coxis et

trochanteribus rufo-ferruginei; femoribus, tibiis articulisque tarsorum omnibus in posterioribus apice nigris.

Alae fuscae, opacae, puncto stigmatis flavo, utrinque punctulo nigro terminato, fasciisque duabus albo-hyalinis, anteriori sub stigmate, posteriori abbreviata.

Mas. Long. lin. 3. *Caput* et *thorax* e rufo-ferrugineo flavoque varia, pictura solita nigra. *Pleurae* macula nigra, palmato-trifida. *Coxae* anteriores flavae. *Alae* obscure hyalinae, macula ante stigma et puncto hoc terminante, denique limbo postico fuscis.

Habitat in *Italia.* Vidi complura exempla utriusque sexus in collectionibus cl. *Spinolae, de Sanvitali, Bonellii* et *Gravenhorstii.*

Varietas:

Variat macula magna metathoracis nigra, postice emarginata.

72. Bracon *umbraculator.*

B. rufo-ferrugineus, vertice (antennis), thoracis maculis anticis cum scutello et metathorace pedibusque posterioribus nigris, his rufo-geniculatis; terebra longitudine dimidii abdominis; alis fuscis, fasciis duabus obsoletis, punctoque stigmatis albis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $2\frac{1}{4}$. *Caput* subglobosum, thorace angustius, laeviusculum, rufo-ferrugineum; ore fusco; vertice inter oculos toto nigro. *Antennae* graciles, nigrae, longitudine corporis. *Thorax* laevis, pallide pubescens, antice rufo-ferrugineus, macula supra coxas anticas, tribusque dorsalibus nigris. *Scutellum* et *Metathorax* atra, hic satis productus, rotundatus, laevissimus, lituris infra scutellum apiceque rufis. Pectus posticum atrum. *Abdomen* ovato-oblongum, longitudine capitis thoracisque, rufo-ferrugineum, immaculatum; segmento primo ejusdem structurae, ut praecedente, marginato; secundo et tertio eodem modo impressis. *Terebra* longitudine dimidii abdominis, validiuscula, subdecurva, valvulis fuscis. *Pedes* antici rufi, coxis et trochanteribus nigris, apice rufis; posteriores nigri, coxis trochanteribus femoribusque apice, tibiis tarsorumque articulis basi rufis. *Alae* ut in praecedente. — Differt:

a *Bracone inscripto*, cui quoad capitis formam accedit: vertice latius nigro, terebra breviore, pedibus aliter pictis;

a *Bracone tentatore:* capite minore, subgloboso; vertice latiori spatio et scutello nigris; metathorace laevissimo; abdomine immaculato; terebra aliquanto breviore;

a *Bracone castratore:* itidem capite minore magis rotundato, vertice lato nigro; corporis statura graciliore; metathorace magis producto; pedibusque maximam partem nigris.

Mas feminae ad amussim similis. Long. lin. 2. Abdomen basi parumper angustius, statura gracilior.

Habitat in Italia. Vidi exemplum *femineum*, e collectione Bonelliana adscripto nomine *Braconis castratoris* transmissum. *Mas* cum *femina* prope *Taurinum* a cl. *Bonellio* captus est.

Varietas:

β. Long. lin. $1^{1}/_{2}$. Punctum nullum supra coxas anticas; pectus medium tantum nigrum. *Coxae* et *trochanteres* omnes rufo-picea; *femora* posteriora in medio fusca. *Alae* expallidae. *Mas.*

Habitat cum praecedentibus.

73. Bracon *nigripedator.*

B. luteus vel niger, capitis thoracisque colore variabili; abdomine punctulato, rufo, concolore, vel dorso maculato; terebra corpore longiore pedibusque maximam partem nigris; alis fuscis, fascia albo-hyalina. *Fem.*

Insectum, maxime varians, sequentibus occurrit varietatibus, quae omnes *terebrae* longitudine, *colorum* singulari distributione, *metathorace* laevissimo, *abdomine* lato, punctulato congruunt, a proxime affinibus iisdem notis separandae. Plura vide in descriptione varietatis *α*.

Varietates:

α. Long. lin. $2^{1}/_{4}$. luteus, antennis, mandibularum apice, palpis metathorace, pectore, pedibus maximam partem, terebraque corpore longiore nigris, alis fuscis, stigmate luteo, fasciaque sub stigmate albo-hyalina. *Mas. Fem.*

Observatio:

Statura omnino Braconis denigratoris. *Caput* et *thorax*, ratione abdominis, angusta; *abdomen* late ovatum, longitudine capitis thoracisque. *Terebra* corpore parum longior. Color pallide luteo-ferrugineus; pubescentia albida. Stemmata et oculi nigra. *Thorax* macula utrinque oblonga nigra supra alas, lobo antico omnino concolore. *Metathorax* brevis, aequalis, laevis, niger, litura rufescente sub scutello. *Abdominis* segmentum primum breve, lateribus acute depressis, plano medio elevato, in hoc fas-

cia sinuata nigra; reliqua subtilissime punctulata, opaca, margine postico contracto, secundo in medio transversim impresso, impressione lata, modice arcuata. Coxae rufae, posteriores macula, seu annulo interrupto, lato, nigro; trochanteres superi nigri, femorales rufi; femora nigra, antica intus rufa; tibiae anticae rufae, apice obscuriores, mediae nigrae, basi rufae, posticae rufae, apice determinate nigrae; tarsi nigri. — *Alae* ut in definitione.

Synon. *Bracon luteator Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 106. *n.* 5.

Observatio:

Oris partes minime prominent, ut in Vipionibus.

Ichneumon vittatus Vill. Ent. Lin. III. p. 190. *n.* 175?

β. Plurima ut in *α*. Occiput nigrum cum macula verticis nigra confluit. *Thoracis* lobus medius maculae anticae nigrae vestigiis. *Abdominis* primum segmentum nigrum, lateribus, ubi postice deprimuntur, rufis; secundum macula triangulari dorsi nigra; tertium litura obsoleta baseos nigra. *Pedes* ut in praecedente; stigma fuscum.

γ. *Caput* nigrum, labro orbitaque late rufis, hac pone oculos non omnino clausa. *Palpi* nigri. *Antennae* nigrae, longitudine corporis. *Thorax* niger, lobo medio supra et ad latera ante alas rufo, maculis tribus dorsalibus, media antica, lateralibus supra alas, nigris. Scutellum nigrum. *Metathorax* laevis, nitidus. *Abdominis* structura omnino praecedentis; primo segmento nigro, lateribus posticis et macula marginis postici medii rufis; secundo rufo, macula dorsali triangulari nigra; tertio et quarto rufis, macula media nigra, linea dorsali rufa partita; reliquis rufis, immaculatis. *Terebra* corpore paulo longior, valvulis nigris. *Pedes* nigri, trochanteribus inferis tibiisque posticis basi, rufis. *Alae* omnino *Braconis minutatoris.*

Mas. Feminae simillimus. Orbitae anticae rubedine angustiore. *Thoracis* dorso antico nigro, linearum duarum rufarum vestigiis. *Abdominis* segmentis posterioribus itidem macula dorsali bipartita; tibiis posticis nigris.

δ. Niger, *mandibulae* rufae, apice fuscae; *palpi* nigri. Orbita rufa, antice tenuis, supra oculos et infra in maculam dilatata. *Thorax* immaculatus. *Abdomen* omnino rufum, fasciae nigrae primi segmenti vestigio. *Terebra* paulo brevior visa est, quam in *Bracone nigripedatore* communi eadem deprehenditur, nigra. Coxae et trochan-

teres nigra. *Pedes* anteriores nigri, femoribus apice, tibiis basi (anticis subtus fere totis), rufis; posticis rufis, tibiis apice et tarsis nigris. *Alae* saturate nigro-fuscae; stigmate obscuriore, fascia anteriore obsoleta postica nulla.

Mas feminae omnino simillimus. *Primum* et secundum segmentum abdominis in nostro vitta media nigra, tertium punctis duobus parvis nigris transversim positis, reliqua immaculata. *Anus* puncto nigro. *Femora* postica basi nigra. *Fem.*

Synon. *Bracon rostrator Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 115. *n.* 9. (*Fide Collectionis Sanvitalianae.*)

♂*. Abdominis primo et secundo segmento macula nigra notatis. *Fem.*

Habitat cum omnibus varietatibus *Viennae* (Dahl.); in *Italia* prope *Taurinum* (*Bonelli*), prope *Parmam* (*de Sanvitali*, Braconis rostratoris Spin. nomine adscripto).

Adnotatio I.

Vipionibus adscribitur haec species a cl. *Spinola*. Sed exemplo collectionis Sanvitalianae edoctus sum, oris partes non magis, ac v. c. in *Bracone nominatore*, prominere; hinc merito huic primae Tribui pertinet.

Adnotatio II.

Bracon rubricator Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 108. n. 6: luteus, alis fuscescentibus, stigmate flavo, quem equidem non vidi, alia videtur hujus speciei varietas, pedibus luteis thoraceque penitus immaculato insignis. Id solum obstat, quod terebra vix corpus aequare perhibetur, et metathorax sulcis esse insculptus.

74. Bracon *urinator Fabr.*

B. ater nitidus, villosus, thoracis dorso, pleuris, abdomineque ovato rufis, hoc linea dorsali interrupta nigra; terebra longitudine fere corporis; alis nigris, striga albido-hyalina. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon urinator Fabr. S. Piez. p.* 109. *n.* 34. *Panz. Krit. Rev. p.* 78. *Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 109 (*Observ. ad Braconem rubricatorem*). *N. ab E. Berl. Mag. V. n.* 4.

Ichneumon urinator Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 224. *n.* 111. *Panz. Faun. Germ. LXXVI.* 12 (*femina*).

Ichneumon cuspidator Ross. Faun. Etr. Mant. I. p. 121. n. 267.
Vipio urinator Latr.

Long. lin. 3. Corporis statura singularis, coacta.

Caput latitudine thoracis, transversum, atrum, laeve, nitidum, uti totum corpus villis erectis, mollibus obsitum; *hypostomatis* margine antico semicirculari, exciso. Oris partes nigrae. *Mandibulae* breves, piceae. *Antennae* corpore breviores, validae. *Thorax* gibbus, subglobosus, laevis, villosus, dorso gibbo; lobo antico et medio (demtis scapulis) scutelloque laete rufis. *Metathorax* abrupte devexus, brevis, niger. Pectus postice nigrum, antice rufum. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, ovatum, laeve, minus villosum, rufum, linea dorsali interrupta, ad basin distinctiore nigra. *Terebra* longitudine abdominis thoracisque. *Pedes* breves, validiusculi femoribus subclavatis, atri, nitidi, villosi, tibiis posterioribus basi, trochanteribusque omnibus apice, obscure piceis. *Alae* latiusculae, firmae, nigro-fuscae, fascia sub stigmate lunata, abbreviata, albo-hyalina. *Mas* feminae Varietatis β congruit. *Scutellum* nigrum; *abdomen* depressum, linea dorsali abdominis basi dilatata, apiceque abbreviata.

Cepi feminam mense Junio locis apricis, prope *Sickershausen.* Mas captus a cl. *Bonellio*, prope *Taurinum.*

V a r i e t a t e s:

β. Orbita antica et postica, clypei margine antico, pedibusque anticis rufis, his coxis, trochanteribus, femorum basi et apice, tibiis apice et tarsis nigris, tibiis mediis basi rufis; linea dorsali abdominis lata. *Fem.*

Habitat in Italia, prope *Parmam* a viro perill. *de Sanvitali* capta.

? γ. Long. lin. 2½. Thorace immaculato, nigro, abdomine toto rufo, ad basin utrinque macula flavicante; terebra (ad speciem) breviore, longitudine vix capitis thoracisque, pedibus nigris, tibiis omnibus basi piceis. Long. lin. 2½.

O b s e r v a t i o:

Exemplum unicum vidi, e collectione *Bonelliana, Taurinensi*, missum. Capitis colores ut in variet. β; in margine antico thoracis limbi rufescentis vestigia. Corporis statura omnino *Braconis urinatoris.* An speciei diversae?

75. Bracon *pallidator*.

B. luteo-ferrugineus, oculis et metathorace fuscis, stemmatibus terebraque longitudine dimidii abdominis nigris; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. $1^{3}/_{4}$. *Abdominis* oblongi segmentum primum subrectangulum, in medio gibboso-carinatum, rugulosum, gibbere bicarinato. *Alae* parum flavescentes, nervis et stigmate testaceis.

Individuum meum, mutilum quidem, apud *Sickershausen* cepi. *Marem* non vidi.

76. Bracon *sinuatus*.

B. rufus, antennis, metathorace, abdominisque primo secundoque segmento nigris, hoc sinu profundo; reliquo abdomine toto, pedibus stigmateque flavis; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum, nigra; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. $1^{3}/_{4}$. Corpus laeve, albido-subpubescens. *Caput* latitudine thoracis, hypostomate brevi, convexo; vertice latiusculo, itidem convexo; oculis magnis; rufum. *Mandibulae* apice fuscae. *Palpi* elongati, pallidi; macula verticalis, ubi stemmata inseruntur, oculi et antennae nigra, hae filiformes, corporis longitudine, primo articulo subtus rufo. *Thorax* ovatus, convexiusculus, nec gibbus, rufus, immaculatus, puncto tegularum nigro. *Metathorax* ovatus, leniter declivis, dorso convexiusculo, punctulato, nigro, linea ex utroque latere et alia media parum elevatis; subtus rufus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, ovatum, laeve, flavum; primo segmento conico, planiusculo, basi brevi spatio carinato, marginibus acutis, subelevatis, nigro; secundo macula magna nigra ferri equini formam referente, basi imposita, seu nigro, margine postico sinu profundo medio intrante laete flavo; reliquis flavis, paulo obscurioribus, margine ciliatis. *Terebra* longitudine duorum ultimorum segmentorum abdominis, crassiuscula, nigra, pubescens. Venter totus flavus, carinatus. *Pedes* flavi toti ungue fusco. *Alae* cinerascenti-hyalinae, nervis plerisque fuscis; stigmate flavo; nervo recurrente proxime limitibus primae et secundae areolae cubitalis inserto.

Larva quaedam sedecimpoda, capite nigro, corpore flavescente, nigro punctato, in pagina inferiore folii quercini, tela densa araneosa alba parum contracta, canalem, tela ista obtectum, ita sibi exstruxerat, ut, folio ipso in-

tacto, sub ista textura lateret. Ubi, alio angustiorique domunculo, firmioris texturae, ad metamorphosin nexo, subito larva Braconis e ventre erucae prodiit, relictis inanibus ejus exuviis ad alterum obtecti canalis finem tendens, ubi paulo post folliculum densum, sericeum oblongum album, basi folio arcte adglutinatum nexit, ediditque dierum quindecim spatio, die 20 Julii 1812, sexus feminei imaginem. Marem non vidi.

O b s e r v a t i o:

A praecedente differt: antennis nigris, thorace minus tumido; abdominis latioris secundo segmento maculato; terebra duplo breviore.

77. Bracon *protuberans*.

B. ferrugineus, tuberibus duobus frontalibus, pedibus totis, abdominisque lanceolati segmentis posterioribus luteis; his margine postico sinuato; alis cinerascenti-hyalinis, nervo recurrente interstitiali. *Fem.*

Corpus subtilissime punctulatum, glabriusculum. *Caput* latitudine thoracis, cubicum, vertice lato, fronte supra antennas in medio ita excavata, ut supra oculos singula tubera rotundata, luteo colore magis conspicua extollantur; hypostoma breve, planum, pubescens. *Mandibulae* breves, basi hiantes, simplices, apice fuscae. Os latet. *Antennae* graciles, filiformes, corpus aequantes, basi rufae, apice fuscae. Color capitis ferrugineus. Oculi fusci, immersi. *Thorax* ovatus, compressus, ferrugineus; lobo antico humili, lineari; medio convexo, producto, tricolli. *Metathorax* rotundatus, punctulatus, concolor. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, lanceolatum, convexiusculum, apice attenuatum, decurvum; primo segmento conico-angustato, lateribus rectis, ruguloso, ferrugineo; secundo longiore, laevi, basi depresso fovea lata, semicirculari, striolata, margine postico medio sinu rotundato exciso; tertio breviori, itidem emarginato; reliquis decrescentibus, margine rectiusculo; hisce omnibus a secundo luteis, margine postico infuscato; extremo toto pallido. Venter concavus. *Pedes* toti lutei, femoribus, posticis praesertim, validioribus. *Alae* cuneiformes, angustae, firmae, hyalinae, apice cinerascentes, stigmate ovato, nervisque plerisque fuscis, his crassiusculis; areola cubitali secunda elongata, junctura postica hyalina terminata; nervus recurrens firmus, junctura pellucida, interstitialis.

Habitat in *Italia*. Vidi unum individuum, prope Taurinum captum, in Museo *Bonelliano*. Mas latet.

Stirps 2. Rostrati.

(Vipio Latr.)

Oris partibus elongatis rostri-formibus. *)

78. Bracon *terrefactor*.

B. rufus, nitidus, capite thoraceque nigro-notatis; pedibus totis rufis, tibiis et tarsis posticis nigris; terebra

---

*) Species duae exoticae hoc loco illustrandae sunt:

Bracon *plumator Ill.*

B. rufus, antennis, abdomine rugosissimo, pedibusque posticis nigris, ventre flavo, serie duplici lineolarum nigrarum; alis fuscis, basi pallidioribus, terebra corpore longiore. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon pennator Ill. Magazin Bd.* 1 *p.* 198. *n.* 28. *Fabr. S. Piez. p.* 102. *n.* 1.

Ichneumon rugosus Deg. III. 1. *p.* 587. *Tab.* 30. *fig.* 18. Long. lin. 5. Descriptio a viro clarissimo Illiger l. c. data, maxime convenit. *Caput*, *thorax* et *pedes* anteriores tota rufa sunt, laevia, pubescentia tenui adspersa. Labium modice elongatum. *Mandibulae* apice nigrae. *Antennarum* solus primus articulus rufus. *Metathorax* laevissimus, dorso nigricans. *Abdomen* a basi ad apicem sensim dilatatum, convexum, dense rimuloso-rugosum; primo segmento subconico, lateribus sulco lato nitido discretis, campo medio plano rugoso; segmento secundo reticulato-rugoso, lateribus bisinuatis, sinu anteriori minori, plaga dorsali media baseos ovata, retrorsum longe cuspidata, laevi, carinisque duabus, una ex utriusque lateris angulo antico, retrorsum conniventibus, nec conjunctis; tertio et quarto impressionis transversalis solitae vestigiis inaequalibus, ut reliquis punctis, in longitudinem extensis, ruguloso-rimosis; anus rotundatus; venter fornicatus, flavus, segmentis secundo et quarto utrinque lineola nigra notatis; quinto in medio, reliquis totis, nigris. *Pedes* posteriores obscuriores; postici aliquantum elongati. *Alae* fuscae, basi albidae; stigmate antice ferrugineo, in fasciam abbreviatam albidam descendente, postice fusco. Nervus recurrens interstitialis.

Varietates:

α. Long. lin. 8 (terebra lin. 7) pedibus quatuor posterioribus totis piceo-nigris.

β. Long. lin. 6 — $6^{1}/_{2}$ femoribus mediis apice vel totis rufis, coxis, trochanteribus tibiis tarsisque iisdem nigropiceis.

γ. Long. lin. $5^{1}/_{2}$ pedibus mediis rufis, coxis et trochanteribus fuscis.

δ. Long. lin. 4 pedibus posticis piceis, anterioribus totis rufis, ventre immaculato, alis pallidioribus. Mas.

corpore plus duplo longiore; alis nigris, striolis duabus albo-hyalinis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Ichneumon terrefactor Vill. Ent. Lin. T. III. p.* 195, 194. *Tab.* 8. *Fig.* 6. *Rossi F. Etrur. Mant. I. p.* 266. *n.* 121.

Ichneumon desertor Christ. Hymen. tab. 39. *fig.* 8?

Long. lin. 4 — $5\frac{1}{2}$. *Caput* latitudine thoracis, rufum, nitidum, laeve, pubescentia nigricante adspersum. *Palpi* et oris partes testacea. *Mandibulae* apice, macula stemmatum, et oculi nigra. *Antennae* corpore breviores, nigrae. *Thorax* laevis, nitidus, pubescentia nigricante adspersus; lobo antico toto rufo, lineolae obliquae fuscae lateralis vestigio; medio rufo, lineolis tribus latis nigris, media antica partita, lateralibus antice abbreviatis; scutellum obscure rufum, apice nigricans. *Metathorax* convexus, laevissimus, niger, rugis subscutellaribus rufescentibus, supra abdomen retusus; subtus totus niger. Pleurae anticae late rufae, posticae, uti pectus post pedes anticos, nigrae. *Ab-*

Mas, nisi terebra deficiente, non differt.

Omnes varietates, supra memoratas, e *Java* Insula allatas vidi. Varietas ♂ a clar. *Riche* in expeditione navali, ad inquirendum la Peyrousium suscepta, capta est.

BRACON *bimaculator.*

B. rufus, vertice atro; antennis, alarum fascia, maculas apiceque fuscis. *Fem.?*

Long. lin. $5\frac{1}{2}$. Corpus totum albido-pubescens. *Caput* crassum, transversum, latitudine fere thoracis, rufum; vertice lato atro nitido. *Mandibulae* apice piceae. *Antennae* setaceae, longitudine corporis, fuscae; radicula rufescente; secundo articulo crasso atro. *Thorax* et *metathorax* laevia, ferruginea, immaculata; metathorax convexus. *Abdomen* ferrugineum, lanceolatum, sessile; primum segmentum basi parum angustius marginatum sulculoque gemino medio notatum; secundum basi utrinque foveola obliqua impressum, postice striolatum; tertium basi brevi spatio striolatum, postice laeve; reliqua segmenta in nostro exemplo desiderantur. *Pedes* toti ferruginei, tarsis apice fuscis. *Alae* basi lutescentes, postica versus pallidiores; anticae stigmate lineari fulvo; macula magna transversali, margines fere attingente fasciamque potius constituente ad ortum stigmatis, alteraque ovata juxta costam ad apicem stigmatis saturate fuscis; apex alae late fuscus, dilutior; alae posticae pallidiores, macula versus marginem interiorem apiceque fuscescentibus. Femina videtur, sed ob apicem abdominis deficientem judicium suspendimus.

Habitat in *Java* Insula. Unum vidi exemplum.

domen oblongum, convexum, rufum; primo segmento subrectangulo, marginibus sulculo lato ruguloso a campo medio laeviusculo discretis; secundo utrinque late depresso, foveola subtriangulari radiato-rimosa, interjecto vallo angustiori, ad basin triangulari, laevissimo; reliqua segmenta laeviuscula sunt. Venter in carinam compressus, valvula anali vomeriformi, ultra anum porrecta, obtusa. *Terebra* rufa, valvulis nigris, corpore plus duplo longioribus. *Pedes* cum coxis et trochanteribus rufi; tibiis et tarsis mediis fuscis, posticis nigris. *Alae* saturate nigrae, puncto antico stigmatis flavo, a quo litura anterior albo-hyalina angulata descendit; anastomosis areolae cubitalis secundae et tertiae nimbo albo-hyalino conspicua. Tegulae rufae.

Mas feminae simillimus. *Caput* crassius, hypostomate, orbita supra antennas, genisque flavis, his macula, occipite toto nigris, quae feminae rufa. *Antennae* basi subtus rufae. *Thoracis* lobus anticus utrinque macula nigra supra coxas anticas. *Abdomen* dilutius. Tibiae mediae rufae.

A cl. *Dahl Vienna* missus. (Fem.) Praecl. *de Sanvitali* Parmae cepit. *Bonellius* Vipionis desertoris nomine *mares* et *feminas* tradidit.

O b s e r v a t i o.

Bracon desertor Spin. Differt ab isto: colorum diversa distributione, palpis nigris et metathorace rugoso.

79. Bracon *contractor.*

B. rufus, nitidus, capite, thorace abdomineque nigromaculatis; pedibus rufis, coxis trochanteribus omnibus tibiis tarsisque posticis nigris; terebra longitudine corporis; alis nigris, striolis duabus albo-hyalinis, stigmate concolore. *Fem.*

Long. lin. $3\frac{1}{4}$. A praecedente, cui primo intuitu similis, abunde differt: palpis nigris; occipite, excepta orbita postica, itidem nigro; thoracis lobo antico subtus nigro, medii linea anteriori non partita; metathorace ruguloso; abdomine breviore, latiore, segmento primo brevi, basin versus magis angustato, margine laterali acuto, depresso, postice latiore, carina acuta recta discreto, campo medio elevato, rugoso; secundo segmento simili quidem modo depresso, sed vallo interjecto brevi obtrigono acuto, uti foveolis ipsis inordinate ruguloso; his singulis maculis orbiculatis nigris notatis; terebrae brevitate; coxis et trochanteribus nigris; stigmate non puncto flavo notato. Ab-

dominis dorsum multo magis arcuatum; venter a basi ad apicem aequo modo late carinatus, fulcro anali brevi, non ultra anum producto. Malae fuscae. Reliqua praecedentis.

Habitat *Viennae* (*Dahl.*) *Mas* incognitus.

A d n o t a t i o.

Circa Synonyma eadem dubia, quae in praecedente, versantur. Forte a cl. Spinola hic inter Varietates *Braconis nominatoris* refertur.

80. Bracon *desertor Fabr.*

B. saturate rufus, capite thoraceque nigro maculatis metathorace rufo; abdominis primo segmento marginato, secundo tertioque triangulo impressis; pedibus anterioribus tibiisque posticis constanter rufis; alis fuscis, puncto stigmatis luteo, fasciisque duabus albo-hyalinis; terebra corpore longiore. *Fem.*

Synon. *Bracon desertor Fabr. S. Piez. p.* 103. *n.* 7. (*excl. Synon. Lin.*) *Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 97.

Ichneumon desertor Fabr. Ent. Syst. II. p. 155. *n.* 92. (*exl. Synon. Lin.*).

Ichneumon sextus Schaeff. ic. I. tab. 20. *fig.* 2, 3. (*Var. γ*).

Vipio nominator Latr. Hist. nat. des ins. XIII. p. 176. *n.* 1. *Gen. Crust. et Ins. IV. p.* 10.

Long. lin. 6. *Antennae* nigrae, corporis longitudine. *Caput* rufo-testaceum: macula triangulari verticali, oculis, stemmatibus tribus, mandibularum margine apicali, palpisque nigris. *Thorax* rufus, maculis tribus nigris oblongis antice notatus: tegulae rufae medio nigrae. *Metathorax* punctulato-subrugosus, lineola impressa nulla. Pectus totum nigrum. *Abdomen* capite et thorace plus dimidio longius, punctulato-rugulosum, opacum, immaculatum; primo segmento conico, lateribus sulculo profundo discretis; secundo et tertio lineis duabus, antice convergentibus impressis. Coxae et trochanteres nigra. *Pedes* rufi vel

α. toti immaculati, solis tarsis apice fuscis, vel

β. femoribus mediis concoloribus, posticis, piceis, vel

γ. femoribus mediis basi, posticis totis nigris, tibiis iisdem apice tarsisque fuscescentibus.

Alae uti supra descriptae sunt.

Femina computata terebra duodecim lineas et amplius longa, terebra munita corpore duplo longiore; oviductu piceo; valvulis vaginantibus nigris fere glabris. *Mas* dubius.

Habitat in *Italia*, unde cl. viri *Bonellius* et *Sanvitali* miserunt, et in *Gallia australi*. Vidi exemplum ab ipso *Villersio* ad b. *Esperum* missum (var. *β.*) var. *γ*, prope *Pisam* captum cl. *Brongniart* benevole exhibuit.

GENUS IX.

AGATHIS Latr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. IV. p. 9. *N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 190. *V. tab.* 4. *f.* 2. *a — e. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p.* 304. *n. VIII. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 53. *Bracon Fabr. Spin. Ichneumon Jur.*

ἀγαϑὶς, glomus?

Caput transversum, vertice angusto, facie triangulari; Oris partes rostriformes, elongatae. *Abdomen* thorace longius, convexum; primo segmento conico, planiusculo. *Areolae cubitales* tres, prima effusa, media minuta. (Terebra exserta.)

Palpi filiformes, inaequales; anteriores quinque-articulati; posteriores quadri-articulati. *Oris partes* in rostri formam productae; labio bifido. *Mandibulae* incurvae, interne unidentatae.

Character naturalis generis.

Labrum suborbiculatum, sub clypeo tumido, utrinque impresso, deflexum, conspicuum. *Mandibulae* breviusculae, basi rectae, tum abrupte incurvae, apice acutiusculo, dente in curvatura interiore minore, obtusiusculo, depresso. *Maxillae* productae, longitudine labii et cum illo in formam rostri conniventes; stipite brevi, oblique subquadrato, in aliis fere ovato; mala stipite longiore (eundem in speciebus nigris dimidia ejus longitudine superante, in illis speciebus vero, quae colore pallido insignes sunt, minus elongata stipitemque ad summum $1/4$ longitudine excedente), oblongo-lanceolata, obtusiuscula, recta, cum stipite parte membranacea juncta, ceteroquin ipsa non minus, quam ille, quoad substantiam in aliis (nigris) magis coriacea, obscura, in aliis (luteis) submembranacea, pellucida,

his ipsis etiam densius ciliata. *Palpi maxillares* ad malae originem stipiti inserti, illo longiores, filiformes, articulis subaequalibus; primo paulo breviore, basi subattenuato; secundo validiore, et reliquis longiore (quod quidem in speciebus luteis facilius distinguitur); tertio, quarto, quinto paulo tenuioribus pilosis, filiformibus, subaequalibus; ultimo acutiusculo. *Labium* maxillis paulo brevius; mento lineari, subcoriaceo, in linguam membranaceam parum dilatatam, breviorem, abeunte; hac ipsa apice emarginata, ciliata, lateribus deflexis. *Palpi labiales* infra originem linguae insertae, hac dimidio vix longiores, quadri-articulati, hirti; articulis subaequalibus, primo breviore, secundoque et tertio subclavatis, quarto oblongo. *Antennae* subsetaceae, revolutae, articulis numerosis, secundo crassiore.

Habitus corporis sola *capitis* structura definiendus; id enim perpendiculare, triangulare, seu infra antennas in rostrum fere coangustatum, hypostomate medio secundum longitudinem tumido, convexo, ad latera devexo, supra labium utrinque fossula profunda in carinam obtusam elevato, nec omnino a clypeo sectione disjuncto. Frons inter antennas tuberculata. Oculi globosi prominent. Gula profunde excavata. Fulcra labii brevia. *Thoracis* lobus anticus modice productus. *Abdominis* segmenta tria anteriora majora; primum basin versus magis minusve angustatum; secundum basi utrinque fovea profunda impressum, medio impressione transversa satis distincta, nec margines attingente, curvata, arcu postico, partitum; tertium paulo brevius, itidem sulco transverso, sed recto, divisum; reliqua minuta. Terebra elongata, satis valida, fulcro quarti segmenti ventralis valde producto et fere lanceolato incumbens. *Pedes* validiusculi; postici firmiores et longiores, femoribus subclavatis, parum compressis. *Alae* in plurimis obscurae, litura hyalina per aream cubitalem primam extra aream mediam descendente, istius margini postico contigua, in fasciam saepe dilatata.

SECTIO I.

Areola cubitali secunda triangulari (in una specie quadrangulari).

Observatio.

Area cubitalis secunda anastomosi paulo magis dilatata

cum ramo radiali conjungitur, hinc sessilis est, tametsi a stigmate sit remota *)

Oris partes magis fere, quam in speciebus Familiae sequentis, elongatae, palpis gracilioribus insignes. Color niger non variegatus. Alae non pictae.

1. Agathis *nigra.*

Ag. nigra, nitida, femoribus apice late tibiisque rufis, ore concolore; alis fuscis; area secunda cubitali subpetiolata; terebra corpore longiore. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2 — $2\frac{1}{2}$. *Abdomen* laeve, nitidum; primo segmento basi angustiore, subruguloso, obsolete bicarinato, postice laevi. Foveae basales secundi distinctae, impressiones transversales hujus et tertii, ut in reliquis, obsoletiores, sed ratione sequentium habita, satis distincte exaratae. *Coxae* et *trochanteres* nigra. *Femora* basi parum nigra, apice late et tibiae omnes testaceo-rufa, tibiae posticae apice et tarsi fusca, hi basi testacei. *Os* valde productum, nigrum. *Alae* obscurae, litura solita.

Mas feminae similis; differt: femoribus basi latius nigris, interdum solis apicibus rufis.

Marem et *feminam* cepi copiosa in floribus Pyrethri corymbosi et Pimpinellae Saxifragae prope *Sickershausen* mense Junio. Prope *Helmstadium*, mense Julio in Campanula Trachelio cepit cl. *Gravenhorst.*

Varietates:

β. Abdominis segmento primo apice, secundo basi obscure rufescentibus; area cubitali secunda plus minus petiolata, in nonnullis (late) sessili. *Fem.*

Mas. Abdomine ut in varietate feminae; femoribus posticis solis apicibus rufis.

Cepi mense Julio in dumetis prope Muggendorf cum femina in copula.

2. Agathis *glaucoptera.*

Ag. ferruginea, antennis, metathorace toto et pectore postico nigris; alis glaucis (fusco-flavescenti-hyalinis) litura pallida. *Fem.?*

Synon. *Ichneumon pteromelas Villers. Ent. lin. III. p.* 196. *n.* 188? *et*

Ichneumon apicarius idem p. 189. *n.* 170?

Long.

*) Hac artificali nota huc etiam locanda esset: *Agathis Syngenesiae*, quam omnis fabrica corporis *secundae Sectioni* adscribendam esse probat. Vide infra n. 5.

Long. lin. $3\frac{1}{2}$. Statura *Ag. deflagratoris.* *Caput* transversum, thoracis latitudine, latius quam in cofamiliaribus. Oris partes fuscae, palpis pallidis. *Thorax* medius rotundatus, bisulcus. *Metathorax* brevis, rotundatus, subrugulosus, rugulis duabus mediis irregularibus aream simulantibus. *Abdomen* in nostro exemplo mutilum, tribus anterioribus segmentis solis residuis; hae luteae, primo aequali convexiusculo conico-angustato, ante basin tuberculo parvo laterali. *Pedes* et *Alae* congenerum; hac area cubitali media triangulari, petiolata. Color totius corporis ferrugineo-rufus, abdomine (sc. quod reliquum) et pedibus luteis; *nigrae* sunt *antennae*, scapo excepto, *metathorax* totus, tum *pectus* et *pleurae* a pedum anticorum origine; denique *tibiarum* posticarum apices. *Tarsi* fusci, basi pallidiores. *Alae* glauco-fuscae, nervis et stigmate fuscis, litura solita hyalina, a stigmate descendente, obsoletiori.

Habitat in *Italia.* Individuum unum mutilum cl. *Bonelli* transmisit.

3. Agathis *rufipalpis.*

Ag. atra, nitida, palpis maxillaribus (basi excepta), pedibusque ad partem rufis; alis fuscis, area secunda cubitali subsessili; primo segmento abdominis striolato; terebra corpore longiore. *Mas. Fem.*

Synon. *Agathis rufipalpis N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 192. *n.* 2.

Long. lin. 2. *Palpi maxillares* testacei, primo articulo toto, secundo basi nigris; *labiales* fusco-nigri. *Abdomen* basi subrugulosum nec carinatum. Segmenta secundum et tertium obsolete partita. *Pedes* colorum distributione differunt:

α. antici testacei, coxis, trochanteribus, femoribusque proxime ad basin subtus nigris, tarsis (ut et mediis) fuscis, primo articulo testaceo; *medii nigri*, femoribus apice tibiisque totis testaceis; *postici nigri*, tibiis testaceis, apice nigris.

N o t a.

Individuum alterum, mense Junio in Pyrethro corymboso prope *Sickershausen* captum differt: terebra breviore, vix corpus aequante; caeteris tamen congruit, licet paulo minus sit. An specie distinguendum? In priori metathorax gaudet plagis duabus oblongis laevigatis, in ista vero vestigia nulla sculpturae ejusmodi observo.

β. *Pedes omnes testacei*, coxis nigris, trochanteribus posterioribus, femoribusque iisdem basi fusco-piceis, tibiis posticis, tarsisque anterioribus apice, posticis totis fuscis.

Alae obscurae, subhyalinae, litura ordinaria obsoleta.

Mas feminae omnino similis, eademque ratione variat.

Variat insuper:

β. area cubitali secunda minutissima, longissime petiolata, et adeo angusta, ut vix discernatur. An species distincta? Saltem feminam, tali alarum structura insignem, nondum vidi;

γ. areola secunda cubitali sessili;

δ. abdominis primo segmento laeviusculo.

Habitat in dumetis et sepibus prope *Sickershausen*, plantarum umbellatarum floribus gaudens. Marem var. γ ex *Italia* cl. *Bonelli* misit.

A d n o t a t i o:

Quod ad maris var. β. attinet, adeas infra Agathidem brevisetam n. 4.

S E C T I O II.

Areola cubitali secunda quadrata.

Statura parum a praecedentibus differunt hujus Familiae species, per primam, quam infra enumerabo, speciem iis arcte adnexae. Areola secunda cubitalis quadrata, externe parum angustior, in prima specie parva, originem prodit ex forma, quam hucusque tractavimus; namque area haec in *Agathide nigra* et *glaucoptera* petiolata, in *Agathide rufipalpi* plane sessilis, juncturam hic apicis solvit, et ramum posteriorem, qui antea, ex eodem cum anteriore puncto rami radialis ortus, triangulum constituerat, apicem versus ita expellit, ut apex, ipsi huic ramo radiali contiguus, transversim claudatur, et area trianguli dissecti basin oculis exhibeat, in quadratum denique laterum divulsione ampliandum.

Quo magis areola cubitalis secunda se expandit, eo magis nigredo in reliquo corpore rubedini cedit, respondente fere ubique alarum pictura fasciata.

Habitus corporis *B r a c o n i b u s* quartae divisionis nostrae accedunt hae species, maximeque harum Tribui secundae: *Vipiones* intelligo, quarum os, simili modo in longitudinem extensum, palpis labialibus non nisi *triarticulatis* gaudet; harum contra *quadriarticulatis*,

4. Agathis *breviseta.*

Ag. nigra, tibiis rufis, posterioribus apice annuloque prope basin nigris; terebra longitudine abdominis; alis obscure fuscis. *Mas. Fem.*

Synon. *Agathis breviseta N. ab E Berl. Mag. VI. p.* 194. *n.* 3.

Long. lin. 2. Structura solita reliquarum. *Caput* totum, os, antennae, nigra punctulata. *Thorax* idem. *Metathorax* carinulis duabus mediis parallelis, approximatis, areaque utriusque lateris trapeziformi, in ambitu depressa, rugulosa, disco laeviore. *Abdomen* longitudine vix capitis thoracisque (brevius, quam in sequente) obcuneiforme; primo segmento longiori, conico-angustato, subtilissime rimuloso, basi depresso; reliquis laevissimis, secundo antrorsum tuberoso. *Terebra* crassior quam in caeteris, vix abdominis longitudine, valvulis nigris, pilosis. *Pedes* nigri, femoribus anterioribus apice oblique rufis, tibiis rufis, posterioribus annulo prope basin, in posticis distinctiore, apiceque fuscis; tarsi omnes fusci. Femora postica subclavata. *Alae* nigricantes, nervis et stigmate nigrofuscis, area cubitali secunda subquadrata.

Cepi semel die 20. Maji 1811 in Rhamno Frangula, locis humidiusculis prope Sickershausen.

O b s e r v a t i o:

Obiter adspecta, *Microdonti cingulipedi*, in sequentibus exponendo, haud absimilis videtur, a quo, notas generaliores ni spectes, terebrae brevitate satis eum discrepare cognosces.

Mas feminae omnino congruus.

Marem et feminam, mense Majo, prope *Sickershausen* in Rhamno Frangula cepi.

β. Statura paulo tenuiori, terebra abdomine aliquanto longiore, femoribus anterioribus, excepta basi, rufis. *Fem.*

A cl. *Manger* e *Sudetis* missa.

A d n o t a t i o:

Conf. hoc loco Varietas *β*. maris *Agathidis rufipalpis* n. 3.

Individuum unum, a nobis Junio mense prope *Sickershausen* in dumetis captum, areolae cubitalis secundae forma his accedens, ob palpos rufos, abdomen angustius, metathoracis primique segmenti sculpturam rectius illi speciei, quam *Agathidi brevisetae* adscribi videbatur.

5. Agathis *tibialis.*

Ag. nigra, tibiis anticis totis, posterioribus basi nigris; terebra longitudine corporis; alis obscure fuscis. *Mas. Fem.*

Synon. *Agathis tibialis N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 194. *n.* 4.

Long. lin. 2½. Os nigrum.

Abdomen ut in praecedentibus; segmento primo basi striato-subrugoso, deinceps laevi, nec basi carinato; secundo laevi, impressione media profunda, angulum obtusum efformante; eadem tertii segmenti obsoleta. *Terebrae* valvulae nigrae, hirtae; seta laevis, picea. *Pedes* nigri, femoribus anticis apice; tibiisque iisdem totis, rufo-testaceis; tibiis posterioribus basi piceo-rufis, apice late nigris, mediis in quibusdam totis rufis, extremo tantum apice nigro; tarsis nigro-fuscis, basi rufescentibus. *Alae* obscurae, nervis et stigmate nigro-fuscis; litura solita distincta.

Mas. Pedibus posterioribus basi latiori spatio rufis, colore laetiore.

Locis sylvaticis habitat. Mense Junio capta prope Sickershausen. Viennae. Dahl.

Varietates:

β. Tibiis posterioribus annulo nigro versus basin in parte rufa. *Fem.*

Mares complures, feminae maxime congruos, ex *Italia* misit cl. *Bonelli*, *Feminam* ipse Junio mense prope *Sickershausen* cepi; *Valentiae Bonellius.*

γ. Segmento secundo abdominis obscure piceo, reliquis ut in Var. α. *Fem.*

Habitat in Italia, unde cl. *Bonelli* misit.

δ. An distincta species?

Long. lin. 2¼. *Abdominis* primum segmentum basi abrupte angustius, dimidio postico horizontali, plano, subrectangulo, ruguluso-rimuloso, in medio gibbo; segmento secundo gyroso-rimuloso, solo gibbere antico laevi. *Metathorax* postice obsolete bidentatus; dorso triareato, area media rectangula, angusta, rugulosa, lateralibus subquadratis, laeviusculis. *Pedes* omnino ut in Variat. β. *Fem.* Cepi in Armeria *vulgari* prope *Sickershausen.*

6. Agathis *Syngenesiae.*

Ag. nigra, orbita, thoracis dorso antico, abdomine (in mare antice) pedibusque rufis; metathorace undique punctato, obsolete bicarinato; terebra corpore longiore; alis fuscis; area secunda cubitali triangulari, petiolata. *Mas. Fem.*

Synon. *Agathis Syngenesiae N. ab E. Berl. Mag. p.* 194. *n.* 5. *tab. IV. f.* 4 (*Mas Var. α.*) *et* 5 (*Fem. Var.* a.).

Long. lin. 3.

Mas. Caput saepe superne latius rufescens. *Abdominis* segmentum primum totum, vel apice saltem, secundum totum, tertium basi rufa.

Descriptionem videas sub sequente specie.

Habitat in floribus compositis, praecipue Carduis etc., rarius in Erica. Aestate *Marem* et *Feminam* prope *Sickershausen* observavi.

Varietates *Feminae.*

a. Scutello rufo. *Fem.*

β. Abdominis primo segmento macula nigra. *Fem.*

b. Scutello nigro, seu nigro-fusco. *Fem.*

β. Abdomine ut in a. β. *Fem.*

Varietates maris:

α. Orbita antica late rufa, occipite et vertice rufis, hic macula stemmatum nigra; scutello rufo, apice nigro.

β. Sola orbita rufa, scutello nigro; abdominis primo segmento basi nigro.

Cepi has omnes varietates, tam *maris*, quam *feminae*, prope *Sickershausen.*

7. Agathis *umbellatarum.*

Ag. nigra, thoracis dorso antico, abdomine (toto vel aliqua saltem parte in mare) pedibusque rufis; metathorace distincte bicarinato, ruguloso, area utrinque juxta carinas laevissima, terebra corpore longiore; alis nigris, areola secunda cubitali subquadrata (in aliis fere triangulari), sessili.

Synon. *Agathis umbellatarum. N. ab E. Ber. Mag. VI. p.* 195. *n.* 6. *tab.* 4. *fig.* 3. *a, b.* (*mas. var. b. β.*)

Long. lin. 3.

Mas. Abdomine nunquam toto rufo, valde variat:

a. Abdominis primo secundoque segmento totis, tertio basi rufis; *thoracis* lobo antico toto, scapulis, tegulis, pleurisque anticis rufis;

b. abdominis segmento primo plus minus nigro; secundo rufo (hoc in nonnullis margine postico nigricante).

α. Abdominis primo segmento rufo, fascia nigra. Thorax ut in a.

β. Abdominis primo segmento nigro, postice lateribusque limbo tenui rufis, tertio basi rufo. *Thorax* ut in a, sed pleurae non ita late rufescunt.

γ. Abdomen ut in var. *β.*; segmento tertio postice nigricante. *Thorax* tuberibus tribus anticis rufis; pleuris nigris.

δ. Abdomen ut in var. *β.*; segmento secundo abdominis toto, tertio basi rufescente. Rubedo thoracis in altero individuo lobum lateralem paulo excedit, ad pleuras descendens.

ε. Abdomen ut in var. *δ. Thorax* lobo medio rufo, macula nigra, lateralibus medio anteriore oblique rufo, postico nigro; tegulis rufis.

ζ. Abdomen ut in var. *β.* *Thoracis* solo medio tubere rufo, linea media nigra. Tegulae obscurae.

A d n o t a t i o:

Rubedo primi segmenti abdominis plus minus extenditur.

η. Abdominis segmentum primum basi late nigrum, margine postico segmentoque secundo rufis; *thoracis* tuber medium solum rufum, lineolae anticae nigrae vestigio. Tegulae rufae.

Habitat in umbellatis, praecipue Anetho graveolente, aestate prope *Sickershausen.*

O b s e r v a t i o:

Species duae, supra enarratae, licet notionibus suis distinctivis, essentiali charactere expressis, separari facili negotio queant, immo vero earum prior ex methodo artificiali vel ad diversam sectionem referenda esset, si universum corporis habitum spectes, eodem fere typo ita conformatas reperies, ut, nisi artis ope, vix distinguantur, licet pro genuinis speciebus eas habendas esse rationibus l. c. allatis, persuasum sit.

Caput ut in reliquis, ore semper nigro. *Thorax* antice angustior, lateribus compressus, dorso antico lineis duabus, profundis, punctatis, ante scutellum coëuntibus, in lobos, seu colliculos, tres distinctos laeves pubescentes diviso, quorum medius late obovatus, laterales oblongi, extus itidem linea punctata circumscripti. Pleurae laeves, arcu punctorum transversim impressorum, a parte antica ascendente, dein infra alas retrorsum curvato et ad latera metathoracis descendente, insculptae. (Qualis sculptura et in reliquis hujus et sequentis generis speciebus, plus minusve distincte expressa, observatur.) Scutellum laeve, punctorum impressorum transversali serie discretum. *Metathorax* sculpturae in utraque specie diversae. *Abdomen* laeve, dorso convexiusculo; primo segmento versus basin angustiore, ipsa basi retusa, subrugulosa, vel laeviuscula, deinceps laevi; secundo ad basin et in medio profunde impresso, impressione media subangulata; reliquis decrescentibus; tertio impressione obsoleta. *Terebra* corpore longior; valvulis hirtis, nigris; seta picea. *Pedes* rufi, coxis trochanteribus, tibiisque posticis apice nigris; tarsis fuscis articulo primo testaceo, vel rufis, ungue nigro. *Alae* obscurae, nervis et stigmate fuscis, litura solita distincta.

Notae differentiales Agathidis Syngenesiae et Agathidis umbellatarum.

a) E corporis structura, sculptura, superficie.

Agathis Syngenesiae paulo minor.	*Agathis umbellatarum* paulo major.
Corpus densius pubescens subobscurum.	Pubescentia rarior, hinc color magis nitens.
Caput idem in utraque.	— — — — —
Thorax idem in utraque.	— — — — —
Metathorax inde a scutello usque ad insertionem abdominis convexitate modica leniter descendens, margine postico utrinque inferne subelevato; ad latera rotundatus, superficie undique punctis distinctis plurimis impressa, et carinulis duabus mediis subelevatis, postice conni-	*Metathorax* dorso subquadrato, ad latera et postice marginato, in medio gibbo, lateribus et postice abrupte declivis, ibidemque rugulosus. In dorso rugae duae distinctae sub scutello, prima et secunda sulculo duplici, secunda ab area dorsali punctorum impressorum serie

ventibus, exarata. Sub scutello rugae duae transversae, minus evidentes. In *mare* thorax undique subrugulosus, punctis confluentibus; reliqua eadem.

subduplicata discreta. In medio lineae duae distinctae, elevatae, parum divergentes, singulae externa serie punctorum impressorum auctae, quae, ante marginem posticum extrorsum versae, et margines laterales ex utroque latere distinguentes, cum serie baseos junguntur. Area utriusque lateris, hisce lineis circumscripta, laevissima, quale et spatium perangustum, quod inter carinulas supra memoratas conspicitur, characterem optimum praebet, ad speciem hanc ab *Agathide Syngenesiae* separandam, — In *mare* maculae duae laeves interdum minores et subobsoletae.

Abdominis segmentum primum basin versus paulo magis angustatum, distincte retusum, striis subtilissimis, nec carinulae lateralis vestigio ullo, exaratum, postice laeve, convexiusculum.

Abdominis primum segmentum basin versus paulo minus angustatum, dente laterali solito distinctiori, basi subretusum, subrugulosum, carinulae lateralis vestigio ante medium abbreviatae, cujus apici interne adjacet lunula impressa, concavitate margini obversa.

Haec sculptura in *maribus* magis conspicua.

Terebra corpore longior in utraque specie.

Pedes non differunt.

Alae. Areola secunda cubitalis angusta, triangularis, petiolata.

— — — — —

Areola secunda cubitalis sessilis, magnitudine varia, rarius triangularis, plerumque, apice plus minusve truncato, quadrato accedens.

b) Ex colore.

Caput orbita postica tota, antica pro parte, rufa.

Caput nigrum, immaculatum.

Thoracis lobus anticus totus et pleurae anticae in omnibus rufa; lobulo thoracis medio linea nigra, obsoleta. Tegulae rufae. Scutelli color variabilis.

Thorax antice plus minus rufescens, linea nigra lobuli medii nonnisi in illis individuis, quibus rubedo thoracis in angustiores fines contrahitur, indicata; pleurae nigrae, aut rufae. Scutellum nigrum in omnibus.

Abdomen, quoad colorem in utrisque lege eadem variat.

Pedes: Coxae nigrae, rarius apice et latere postico rufae; trochanteres anteriores nigri, postici in femina rufi, mari fusci, basi pallidi.

Pedes: Coxae et trochanteres nigra in omnibus, ad summum trochanteres postici in pallidissimis individuis apice rufescunt. Tarsi vel rufi, apice nigro-fusci, vel fusci, basi rufescentes.

Alae fuscae, litura, seu fascia distincta.

Alae plus minus nigricantes, fascia interdum obsoleta.

8. Agathis *malvacearum Latr.*

Ag. nigra, nitida, abdominis cingulo, pedibusque rufis, coxis, trochanteribus, femorum basi, tibiis posterioribus apice, tarsisque nigris, terebra corpore longiore; alis apice obscuris, basi pallidis, areola secunda parva subquadrata. *Mas. Fem.*

Synon. *Agathis malvacearum Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 175. *Gen. Crust. et Ins. IV. p.* 9. *et I. tab. XII. fig.* 2. *N. ab E. Berl. X. Mag. VI. p.* 198. *n.* 7.

Ichneumon Panzeri Jur. Hymen. tab. 8. *fig.* 2. (*sed icone minus congrua.*)

Aliam hic habemus eamque, ut mihi persuasum est, genuinam speciem, *Agathidi umbellatarum* adeo similem, ut nonnisi cauta inspectione dignoscatur. Summa notarum, quibus discedit ab illa, haec est.

Long. lin. 3.$\frac{1}{2}$ *Caput* ratione thoracis latius videtur. *Thorax* unicolor, niger. *Metathorax* eadem fere norma, qua in illa, constructus, et sculptus, sed praeter lineas punctorum ad latus exterius singulae carinulae, per medium dorsum excurrentis, altera quoque ejusmodi series unicuique interne addita est, quo spatium, ab utrisque amplexum, serie duplici punctorum impressorum striatum, et

ubi hae postice divergunt, lineis transversis quasi porcatum, nec laeve; praeterea et ipsum hoc spatium paulo latius est; denique impressio transversa pone seriem transversalem punctorum anticam ex utroque latere satis conspicua adest. *Abdominis* segmentum primum planiusculum, basi distincte striato-rugulosum, carinula evidenti ad latus utrumque juxta marginem, in medio desinente, lunula impressa nulla. Idem segmentum dimidio posteriore rufum; secundum planiusculum, rufum margine postico nigro, foveis baseos profundis, sulco medio obsoleto. Reliqua segmenta nigra. *Coxae* et *trochanteres* nigra. *Femora* antica rufa, basi parum nigra; posteriora dimidio inferiore nigra, superne rufa; *tibiae* quales in definitione exhibentur. *Tarsi* antici paulo obscuriores, postici fusci, basi rufescentes. *Alae* a basi ad medium distincte albidae, dehinc obscuriores, nervis et stigmate fuscis; areola secunda triangulum truncatum exhibente.

Mas. Feminae simillimus. Abdomen apice paulo angustius.

Cepi *feminam* unam die 13. Augusti 1809 locis sylvaticis, apricis, in umbellatis prope *Sickershausen.*

Mas a cl. Rau, Professore Wirceburgensi, traditus est.

O b s e r v a t i o:

Marem, feminae isti notis plurimis congruum, nomine *Agathidis malvacearum Latr.* ex *Italia* misit cl. *Bonellius.* Differt a femina: *abdomine* toto nigro, vix primi segmenti apice secundoque parum piceis; illo carinulae baseos vestigiis destituto; *pedibus* anterioribus praeter coxas et trochanteres totis rufis, femoribus posticis basi latius fuscis. Long. lin. $2\frac{1}{4}$. — Palpi huic rufi.

V a r i e t a t e s:

β. Abdominis primo segmento toto rufo, basi tamen paulo obscuriori. *Mas. Fem.*

Habitat *Wirceburgi*, ubi utriusque sexus exempla cepit amicus *Rau* mihique tradidit.

9. Agathis *inculcator.*

Ag. nigra, nitida, alarum basi (thoracis dorso antico) abdomine pedibusque rufis; coxis, trochanteribus, tibiis posticis apice, tarsis iisdem totis alisque nigris; terebra vix exserta; abdomine subfalcato. *Mas. Fem.*

Synon. *Agathis inculcator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 199. *n.* 8.

Ophion inculcator Fabr. S. Piez. p. 135. *n.* 27.

Ichneumon inculcator Lin. Syst. nat. II. p. 936. *n.* 49. *Faun. Suec. n.* 1623. *Vill. Ent L. III. p.* 172. *n.* 114. *Fabr. Ent. Syst. II. p.* 174. *n.* 169.

Ichneumon niger pedibus abdomineque ferrugineis, Geoffr. Ins. Paris II. p. 357. *n.* 89. *Reaum. Ins. VI. tab.* 30. *f.* 9. *Müll. Faun. Fridr. n.* 618. *Enum. n.* 735. *Cl. Nat. Lin. V. p.* 854.

Ichneumon pictor Vill. Ent. Lin. III. p. 197. *n.* 203. *(Mas)?*

Long. lin. $4\frac{1}{2}$. Statura praecedentium. *Caput* totum et thorax atra, nigro-pubescentia; antennarum radix rufa. — *Metathorax* valde rugosus, areis irregularibus, indistinctis, media suborbiculata antice acuta grosse rugosa. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, valde compressum, ut a latere visum triangulum obversum formet; primo segmento longo, angustato, basi retuso; secundo basi utrinque impressione obliqua notato; reliquis laevibus. *Terebra* uti brevis apicula fusca prominet. Venter basi carina lata membranacea, postice gibbus, compressus, ano truncato. *Pedes* validi, coloris supra indicati. *Alae* saturate nigrae, basi rufae, fascia flexuosa interrupta alba sub stigmate nigro; areola cubitalis secunda quadrata, postice ramulo aucta.

Mas. Feminae simillimus, abdominis apice nigro.

V a r i e t a s:

β. Thoracis lobo antico et medio dorso rufis, scutello nigro.

Cl. *Dahl Vienna* misit *marem* et *feminam.* Var. *β.* idem nobis exhibuit.

10. Agathis *deflagrator.*

Ag. lutea, antennis, oculis, ocellis, geniculis posticis terebraque abdominis longitudine nigris; alis anticis fuscis, fasciis duabus albis. *Mas. Fem.*

Synon. *Agathis deflagrator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 199. *n.* 9.

Bracon deflagrator Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 101. *n.* 3.

Ichneumon desertor Lin. Faun. Suec. n. 1605 (*excl. cit. Schaeff.*). *Rossi. Faun. Etr. II. p.*

49. *n.* 779. *Schr. Enum. p.* 366. *n.* 738. *Gravenh. in Gött. gel. Anz.* 1809. *p.* 483.

Long. lin. $3^1/_2$ — 4. *Metathoracis* structura, qualis in duabus praecedentibus, sed superficies dorsalis rugosa, margine omni linea elevata subundulata cincta, punctis in seriem impressis nullis, carinulis mediis ad originem junctis, dein divergentibus, postica versus situ parallelo excurrentibus, interstitio lineis duabus transversis elevatis dissepto. *Abdomen* lineari-oblongum, basin versus angustatum; segmento primo longiori, laeviusculo, ante medium utrinque denticulo parvo; reliquis impressionibus solitis satis distinctis, laevibus. *Femora* postica (rarius et media) apice nigra; tibiae posticae (mediae nonnunquam) itidem nigrae; tarsi postici et unguiculi anteriores nigri. *Alae* plus minus obscurae, fasciis in aliis distinctissimis, in aliis, postica praecipue, obsoletis. (In exemplo, a cl. *Gravenhorst* benigne communicato, plane deficiente in eodemque etiam litura alarum posticarum omnino deficiente.) Basis alarum in quibusdam externe albida, hinc transitus in speciem sequentem; sed alae posticae semper sola macula marginis anterioris albida, nec bifasciatae.

Mas. Paulo minor. Alarum fasciis obsoletis.

Cepi *marem et feminam* mense Julio in umbellatis prope *Sickershausen.* Apii Petroselini flores praesertim amat. In *Italia* frequens; *Taurini* (*Bonelli*); *Parmae*, *Pisae* (*Sanvitali nomine Braconis purgatoris*).

V a r i e t a t e s:

β. Maculis alarum posticarum duabus, altera solita, altera margini interiori propiori. *Fem.*

A praecl. *de Sanvitali* mecum communicata; cum mare sequente conferenda.

Mas. Paulo major. *Alae anticae* basi late lutescentes; fascia media distinctissima, postica obsoleta; *alae posticae* macula marginis antici solita distincta quidem, nec tamen magis, quam inter reliquas, expansa.

Cepi mense Julio cum praecedentibus prope *Sickershausen.*

γ. E collectione *Brongniardiana* Parisiensi exemplum mihi obvenit, praecedenti simillimum quidem, sed macula alarum posticarum didyma insigne, unde fasciae rudimentum oriri videtur. Metathorace tamen rugis valde conspicuis exarato, ad eundem proxime accedit.

11. Agathis *purgator.*

Ag. lutea; antennis, oculis, ocellis, geniculis posticis, terebraque abdomine paulo breviore nigris; alis omnibus antice lutescentibus, postice fuscis; anticis fasciis duabus, posticis unica, latis distinctis, albido-hyalinis. *Fem.*

Synon. *Agathis purgator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 200. *n.* 10.

Bracon purgator Fabr. S. Piez. p. 104. *n.* 10. *Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 103. *Obs. et p.* 86.

Observ. Cl. Spinola Braconem purgatorem Fabr. Ichneumonis generis esse autumat, ex icone sola, puto, conjecturam faciens.

Ichneumon purgator Fabr. Ent. Syst. II. p. 156. *n.* 94. *Coqueb. illustr. icon. I. tab.* 4. *fig.* 3. *Gravenh. in Gœtt. gel. Anz.* 1809. *p.* 483.

Long. lin. 3½. Corporis structura et sculptura omnino praecedentis. Anus in quibusdam parum nigricat. *Pedes* anteriores lutei toti; postici apice (femorum) tibiarum, et articulorum tarsorum, unguiculis demum omnibus, nigricantibus. *Alarum* pictura constantiorem notam praebere videtur, qua et a varietate β maris *Agathidis deflagratoris*, cui quam maxime accedere videtur, distinguitur. *Metathorax* quoque minus rugosus est.

Individuum unum cepi aestate anni 1806 in floribus Apii Petroselini prope *Sickershausen.* Vidi etiam in collectionibus *Bonelliana*, *Brongniardiana*, et *Gravenhorstiana.* De *Mare* dubius sum.

G E N U S X.

M I C R O D U S.

Μικρὸς parvus, et *ὀδούς* dens.

N. ab E. Berl. Mag. VI. p. 184. *n. IV. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p.* 304. *n. IX. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 53. *Bassus Panz. spec.*

Caput transversum, vertice angusto, facie quadrata. Oris partes breves, non porrigendae. *Prothorax* brevis. *Abdomen* thorace longius, primo segmento conico. *Areolae cubitales duae*, prima integra, vel *tres*, secunda minuta,

Palpi inaequales; maxillares longiores quinque-articulati, labiales breviores, triarticulati. *Labium* membranaceum, a basi latiori parum angustatum, lateribus subsinuatis, apice truncato, longitudine latitudinem paulo excedente. *Mandibulae* minutissimae, absconditae, obsolete bidentatae vel apice fissae. *Antennae* filiformes, articulo primo majore, crassiore.

Character naturalis generis.

Labrum transversum, rotundatum. *Mandibulae* sub labro ita reconditae, ut vix, nisi dissectione, discernantur, pellucidae, dente interno obsoleto. *Palpi maxillares* hirti elongati, quinque-articulati; articulo primo paulo breviore, cylindrico; secundo tertioque obconicis, subaequalibus, compressiusculis; quarto et quinto illis parum longioribus, filiformibus. Articuli primus et secundus plerumque cornei, obscurioris coloris, reliqui subspongiosi, pallidiores.*) *Maxilla* brevis, apice rotundata, ciliata. *Mentum* subquadratum; *lingua*, menti longitudine, longior quam latior, medio paulo constricta, tum marginibus rectis, apice truncata. Fulcra labii satis longa, quorum ope os, more Agathidum, protruditur, sed in his partes coriaceae oris multo magis elongatae, indeque differentia petenda. *Palpi labiales* triarticulati, articulo primo brevi subclavato, secundo longiore, tertio secundum longitudine superante, oblongo, subspongioso.

Habitu corporis medium quasi locum occupare videntur species hujus generis inter *Microgasteres* et *Agathides*; his tamen omnium fere proximae. *Caput* transversum, latitudine fere thoracis. Antennae filiformi-setaceae. *Thorax* gibbus, pleuris planis. *Abdomen* oblongum, basi apiceque attenuatum, segmentis tribus anterioribus majoribus. *Terebra* elongata, e tertio segmento prodiens, quarti valvula fulcrata. *Pedes* validiusculi, subaequales. *Alae* oblongo-subcuneiformes, in speciebus mihi cognitis obscurae, nervorum textura duas sectiones suppeditante, caetero quoque habitu confirmandas.

SECTIO I.

Areolis cubitalibus tribus.

Areola radialis una, parva, linearis, acuta, stigmate oblongo oblique apposita. *Areolae cubitales* tres; prima

*) Forma palporum, tam maxillarium, quam labialium, omnino eadem, qualem in genere Microgaster reperimus.

parva vel integra, ovato-subhexagona vel subirregulari (forma tamen hexagona, lateribus alterne minoribus, oculis acutioribus adhuc observanda), in areolam mediam majorem trapeziformem effusa, nervo separante in medio late interrupto; secunda minuta, vel *sessili*, subquadrata, nervo postico abbreviato cuspidata, vel in plerisque *petiolata*, stapiaeformi; tertia magna, apicem attingente, paulo dilatata.

Habitu corporis in universum species hujus sectionis *Agathidibus*, ut alis simillimae; ita et reliquis partibus propius accedunt. *Abdominis* conformatio typum quendam peculiarem sequitur, in genere Agathide obvium quidem, sed obsoletiorem, cum idem in his optime exaratus sit. Segmenta tria anteriora majora; primum basin versus magis minusve angustatum; secundum basi utrinque fovea profunde impressum, impressione media transversa satis distincta, nec margines attingente, curvata, arcu postico, partitum; tertium paulo brevius, itidem sulco transverso, sed recto, divisum; reliqua minuta. *Terebra* elongata, fulcro quarti segmenti ventralis valde producto et fere lanceolato, incumbens. *Pedes* validiusculi; femoribus posticis subclavatis, parum compressis. *Alae* in plurimis obscurae, litura hyalina per aream cubitalem primam, extra aream mediam, descendente istius margini postico contigua; in una specie hyalinae.

Mandibulae his saepe *) minutissimae, labro plane occultatae; pellucidae, obtusiusculae, dente infra apicem obsoleto, obtusiusculo.

1. Microdus *thoracicus.*

M. niger, albido-pubescens, thoracis dorso pedibusque totis rufis; areola secunda cubitali parva, quadrata sessili, terebra longitudine abdominis et metathoracis. *Fem.*

Long. lin. $2\frac{1}{2}$. *Caput* latitudine thoracis, crassiusculum, transversum, vertice obtuso, hypostomate plano, dense albo pubescente. *Thorax* ovatus, lobo medio depressiusculo, collo antico bisulco. *Metathorax* convexus, truncatus, unisulcatus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, a basi ad apicem leniter crescens, planum; segmento primo longiori, ad basin rotundato-angustato, ibidemque depresso, etiam vallecula laterali foveae striolata et unisulcata; secundum segmentum arcu impressum. *Te-*

*) *Microdus tumidulus* et *linguarius.*

rebra apice decurva, valida. *Pedes* validiusculi. Color corporis *ater* et ubi pubescentia albida densior non obstat, ut in metathorace et abdomine, valde nitet. *Rubri* sunt *thoracis lobus medius cum scutello* et *pedes toti.* Tibiae posticae autem basi pallidae, annuli rufi vestigiis. *Alae* cinerascenti-hyalinae, nervis fuscis; stigmate ferrugineo. Os nigrum.

Habitat in *Sudetis* (*Manger*); in *Franconia* prope *Wirceburgum Ign. Dœllinger* cepit. Mas latet.

O b s e r v a t i o:

A sequente, *Microdonte calculatore*, habitu et pedibus totis rufis abunde differt.

2. Microdus *calculator.*

M. niger, pubescens, thoracis dorso pedibusque anterioribus rufis, tibiis posticis basi albis; areola secunda cubitali parva, quadrata sessili; terebra longitudine abdominis et thoracis. *Mas. Fem.*

Synon. *Microdus calculator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 188. (*Observ. ad Microd. gloriatorem.*)

Bassus calculator Fabr. S. Piez. p. 98. *n.* 21. *Panz. Krit. Revis. p.* 74.

Ichneumon calculator Fabr. Ent. Syst. supp. p. 225. *n.* 131 — 2. *Pz. F. Germ. LXXXIII.* 13. (*fem.*)

Long. lin. 2¾ — 3. A praecedente, cui structura in universum simillimus, differt: *Mandibulis* et palpis rufis; *abdominis* primo segmento longiori; *terebra* recta; *pedibus* posticis totis nigris, tibiis basi albis; *stigmate* alarum nigro.

Mas feminae omnino congruus, differt: terebrae defectu.

Habitat in Italia, Allionii fide (Fabr.); in Helvetia, secundum Jurine (Panz.).

3. Microdus *nitidulus.*

M. ater nitidus, pedibus totis rufis, tibiis posticis basi albidis, tarsis iisdem fuscis; terebra longitudine abdominis, decurva; alis hyalinis nervis stigmateque fuscis; areola cubitali secunda parva, quadrata sessili. *Mas. Fem.*

Synon. *Microdus nitidulus N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 187. *n.* 5.

Long.

Long. $3\frac{1}{2}$. *Caput* latitudine thoracis. *Palpi* maxillares articulis quatuor extremis luteis, labiales duobus luteis; mandibulae magis conspicuae, infirmae tamen, apice productae, acutiusculae, testaceae, apice rufae. Hypostoma subretusum, albo-sericeum. *Antennae* fere longitudine corporis. *Thorax* punctulatus albo-pubescens margine supra alas elevato. *Metathorax* convexiusculus, punctulatus, utrinque acute marginatus, area media triangulari-lanceolata, profunda. *Abdomen* lineali-oblongum, nitidum; segmento primo elongato-conico, planiusculo, subrimuloso, margine laterali acuto, carina media obtusiuscula, nec basin attingente, inter quam et marginem utrinque ex basi excurrunt singulae carinulae acutae, postice bifidae, ramo exteriori minori, interiori ad medium desinente; secundo segmento impressionibus solitis, antice in tuber notabile intumescente; tertio sulculo medio arcuato bipartito, reliquis aequalibus. *Terebra* valida, pubescens, arcuata. Venter carinatus. *Pedes* toti rufi, tibiis posticis basi late albis, tarsis iisdem fusco-rufis.

Mas omnino feminae similis. Pedes multo pallidiores; tarsi postici distinctius fusci.

Habitat *Viennae*, a cl. *Dahl* missus.

V a r i e t a s:

β. Tibiis posticis subconcoloribus. *Fem.*

Habitat in *Sudetis;* vidi exemplum a cl. *Manger* captum.

4. Microdus *gloriator.*

M. ater, nitidus, subpubescens; pedibus rufis, coxis trochanteribusque nigris; tibiis posticis pallidis, annulo baseos, apice, tarsisque iisdem fuscis; alis hyalinis, nervis fuscis, stigmate ferrugineo; areola cubitali prima integra, secunda parva, sessili, quadrata. *Mas.*

Synon. *Microdus gloriator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 188. *n.* 6.

Bassus gloriatorius Panz. F. G. CII. n. 17.

Long. lin. $3\frac{1}{3}$. Praecedenti adeo similis, ut facile varietatem existimes; differt tamen: *palpis* maxillaribus nigris, apice extremo solo rufescentibus, *abdomine* paulo longiore, segmento secundo magis aequali, *coxis trochanteribus*que nigris, his apice (in pedibus posterioribus) rufescentibus; tibiis posticis annulo prope basin fusco, distincto, subtus non plane clauso. — Area metathoracis media magis linearis, sed eadem in mare illius jam ad linearem formam evidenter accedit.

Habitat in *Franconia*, á cl. Panzer — *Viennae*, a cl. Dahl. communicatis exemplis. *Feminam* non vidi.

5. Microdus *mediator*.

M. ater, pedibus rufis, coxis, trochanteribus, tibiis posticis annulo prope basin apiceque nigris; terebra longitudine abdominis; areola secunda cubitali sessili, parva, quadrata. *Fem.*

Synon. *Microdus mediator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 188. *n.* 7.

Long. lin. $2\frac{1}{4}$. *Abdomen* oblongum; segmento primo secundoque rugosis, hoc transversim impresso; tertio laevi, pariter impresso; reliquis margine ciliatis. *Tarsi* fusci.

Cepi mense Augusto locis umbrosis nemorosis, in Pastinacca, prope *Sickershausen*. Marem non vidi.

6. Microdus *rufipes*.

M. niger, pedibus totis rufis, tibiis omnibus tarsisque posticis apice nigris, abdominis segmentis primo et secundo tertioque basi striato-rugulosis; terebra longitudine corporis; areola cubitali secunda petiolata, stapiaeformi. *Mas. Fem.*

Synon. *Microdus rufipes N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 189. *n.* 8.

Long. lin. $2\frac{1}{2}$. *Abdominis* primum segmentum basin versus carinis duabus obsoletis distantibus lineolisque plurimis irregularibus impressis, supra basin secundi segmenti sub conniventibus, dein directione subparallela ad medium fere segmentum tertium procurrentibus rugulosum, ad basin bidentatum; reliqua segmenta nitida. Anus acutus. *Terebra* gracilis. *Alae* obscurae. *Mas* feminae omnino congruus, nec nisi terebrae defectu discernendus.

Feminam prope *Sickershausen* in floribus cepi, sed rarissime; utriusque autem sexus exempla in collectione Bonelliana vidi.

Varietas:

β. Long. lin. $2\frac{2}{3}$. Abdominis secundo segmento a basi ad medium fere rufescente. *Fem.*

Unum hujus variationis exemplum cepi mense Julio prope *Sickershausen* in Selini Oreoselini floribus.

7. Microdus *dimidiator*.

M. niger, ore pedibusque rufis, coxis posticis, femoribus, tibiisque iisdem apice et tarsis posticis nigris; abdo-

minis segmento primo et secundo striolato-rugulosis; areola cubitali secunda petiolata, stapiaeformi. *Fem.*

Long. lin. 2½. Discrimen laeve, at conspicuum, hunc et praecedentem intercedit. *Mandibulae* et *palpi* pallide testacea. *Abdominis* segmentum primum luteum, aequale, et secundum distincte striolato-rugulosa (incisura rufescente), reliqua laevissima. *Pedes* validi, saturate rufi; coxae posticae autem nigrae apice rufo; femora eadem apice extremo, tibiae autem latius nigra, hae basi albae, annulo rufo. Tarsi postici toti, reliquorum ungues nigri. *Alae* obscurae, areola cubitali prima in areolam discoidalem exteriorem effusa.

E collectione cl. *Gravenhorst*, unum exemplum, captum mense Septembre prope Reinerts, villam *Silesiae*, in Angelica sylvestri.

8. Microdus *tumidulus*.

M. niger, nitens, palpis apice pedibusque rufis, coxis, trochanteribus superis, tibiis posticis apice, tarsisque iisdem totis nigris; abdominis primo segmento subtilissime striato-ruguloso; terebra longitudine corporis; areola cubitalis secunda petiolata, stapiaeformi. *Mas. Fem.*

Synon. *Microdus tumidulus* N. ab E. Berl. Mag. VI. p. 189. n. 9.

Long. lin. 2 — 2½. Statura praecedentium; palpi maxillares articulis tribus, labiales ultimo pallide testaceis. *Abdominis* segmentum primum subtilissime rugoso-striatum, basi dentatum, carinis nullis, margine tenui rufo; segmentum secundum et tertium laevia, impressionibus supra indicatis laevibus, latis et satis distinctis, tumentia. *Trochanteres* posteriores fere toti rufi. *Tibiae posticae* annulo obsoleto fusco prope basin. Unguiculi anteriores nigri.

Mas simillimus omnino, terebra nulla.

O b s e r v a t i o:

Mas magnitudine variat ⅓ minore.

Cepi *mares* cum *feminis* mensibus Junio, Julio et Augusto in umbellatis et dumetis. Vidi etiam exempla sexus feminei a cl. *Gravenhorst* Julio mense prope *Helmstadium* et alia, a cl. *Sturm* prope *Norimbergam* capta.

V a r i e t a t e s:

β. Femoribus posticis medio tibiisque iisdem apice latius piceo-fuscis. *Fem.*

Cepi prope *Sickershausen*.

γ. Ex *Italia* misit Dn. Bonelli, varietatem paulo minorem, tibiis posticis basi annulo fusco obsoleto notatis. *Fem.*

9. Microdus *cingulipes*.

M. niger, nitidus, pedibus (anterioribus saltem) rufis; tibiis posticis albis, annulo prope basin apiceque fuscis, tarsis fuscis, basi albis; terebra longitudine corporis; abdominis primo segmento striolato-rugoso; areola cubitali secunda longissime petiolata, stapiaeformi. *Fem.*

Synon. *Microdus cingulipes N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 189. *n.* 10.

Long. lin. 2. A praecedente, cui valde similis, differt: Statura breviore; abdomine paulo latiore, primoque segmento basin versus magis angustato; pedibus anterioribus rufis, coxis subtus concoloribus, dorso fuscis posticis vel:

α. rufis, coxis trochanteribusque nigris, tibiis posticis albis, annulo ultra basin fusco, apiceque fuscis, spinulis albis; vel:

β. nigro-fuscis, tibiis ut in praecedentibus.

Tarsi omnes fusci, primo articulo basi albido. — Alae obscuriores, areola radiali angustissima, vix distinguenda; areola cubitali secunda longissime petiolata, minuta, oblique trigona.

Variat impressionibus secundi segmenti abdominis transversim striolatis.

Cepi prope *Sickershausen* in Umbellatis, aestate. Marem non inveni.

10. Microdus *rugulosus*.

M. niger, pedibus anterioribus rufis, posticis nigris, tibiis basi albidis, annulo fusco; abdominis oblongi primo segmento striolato, secundo et tertio rugulosis in medio impressis; terebra corpore breviore; areola cubitali secunda sessili, subtrigona. *Fem.*

Long. lin. $1^3/_4$. Ab antecedente discrepat praesertim: *abdomine* ruguloso et forma areolae cubitalis secundae. *Mandibulae* piceae. *Palpi* fusci, maxillarium ultimo articulo rufescente. *Abdominis* primum segmentum conicum, planiusculum, rimuloso-striatum; secundum et tertium punctulato-rugulosa et inde opaca, singula in medio depressione partita subrecta, tertium margine postico laevi, nitido; reliquis segmentis nitidis. *Terebra* longitudine abdominis et thoracis. *Coxae* omnes et trochanteres superi nigri, tro-

chanteres inferi rufi in quovis pede. *Pedes* anteriores rufi, femoribus basi parum nigricantibus; postici fusco-nigri, tibiis medio supero albidis, et in albedine annulo fusco juxta basin notatis, tarsis summa basi albidis, spinulis albidis. *Alae* obscure hyalinae, areola cubitali secunda sessili.

Cepi feminam mense Julio prope *Sickershausen* in Pruno Ceraso horti. Mas non inventus est.

11. Microdus *linguarius.*

M. niger, nitidus, palpis concoloribus; pedibus rufis; abdominis segmento primo basi subtilissime striato, secundo latere utroque obscure rufo; terebra corpore longiore. *Mas. Fem.*

Synon. *Microdus linguarius N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 190. *n.* 11.

Long. lin. 3. Species haec ad Genus Agathis pluribus accedit.

Maxillae cum labro ope fulcri facile protruduntur, ipsae tamen hae partes breves, palpique ejusdem cum reliquis structurae. (Est veluti Vipio hujus generis.) *Caput* os versus vix angustatum. *Abdomen* in basi tantum primi segmenti, quod et ibidem minus contrahitur, subtilissime striatum, caeterum laeve, segmenti secundi, foveis basilaribus, distinctissimis quidem, sed sulci transversales, tam hujus, quam tertii, obsoletiores; quae omnia cum Agathidibus congruunt. Segmentum secundum macula utrinque versus basin magna, rufo-picea notatum. *Pedes* laete rufi, coxis, trochanteribus anticis, tibiis posticis basi, tarsisque iisdem totis, reliquorum unguiculis nigris. Tibiae posticae annulo obsoletissimo pallide fusco prope basin, hac ipsa albida. *Alae* omnino ut in praecedente. *Terebra* corpore ¼ longior, nigra, seta picea.

Mas feminae similis, sed paulo minor.

Cepi in dumetis marem et feminam mensibus Julio et Augusto, prope *Sickershausen.*

SECTIO II.

Areolis cubitalibus duabus.

Areola radialis una, oblongo-lanceolata; *cubitales* duae; prima satis magna, completa, nervum primum recurrentem accipiente; secunda maxima, ad apicem alae di-

latato-protensa. *Stigma* oblongum. Areolae radialis ramus claudens validus.

Abdominis segmenta duo, anteriora sublaevia. *Mandibulae* parvae quidem, sed ratione molis ejusdem partis, in prima sectione obviae, satis validae, apice incurvae, acute bifidae, dentibus aequalibus.

12. Microdus *punctulator.*

M. niger, opacus, punctulatissimus, tibiis anticis fere totis, posterioribus basi rufis; terebra longitudine dimidii abdominis; hujus segmento secundo aequali; punctulato. *Fem.*

Synon. *Microdus punctulator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 185. *n.* 1.

Long. lin. 1¾ *Caput* omnino nigrum, dense subtiliterque punctulatum, antennis gracilibus, corpore paulo brevioribus, apice recurvis. *Thorax* punctura ejusmodi, niger. *Metathorax* satis productus, subcylindricus, crassius punctulato-rugosus, apice truncatus, marginibus superne prominentibus. *Abdominis* primum segmentum dense crassiuscule-punctulatum, planiusculum, campo medio versus basin elevato, lateribus acute declivibus; secundum segmentum eodem modo punctulatum, impressionibus nullis, nec margine postico elevato; reliqua segmenta punctulata, opaca omnia, praeterquam margines postici, qui laeviores nitent, et tumidi sunt. *Terebra* abdomine dimidio paulo longior, valvulis piceo-rufescentibus, pubescentibus. *Pedes* nigri; trochanteribus inferis apice, femoribus anticis itidem apice, tibiis anticis latere antico posticoque basi et apice, tibiis posterioribus, et tarsis posticis basi brevi spatio, tum spinulis omnibus piceo-rufis. *Alae* obscurae, more generis, litura sub stigmate pallida.

Cepi semel die 18° Julii 1811 in Athamanta Oreoselino, locis sylvaticis, prope *Sickershausen.* Mas latet.

Observatio:

Ab omnibus hujus sectionis differt: punctura totius abdominis multo densiore.

13. Microdus *laevigator.*

M. niger, nitidus, pedibus nigro-piceis, femoribus anterioribus apice, tibiis iisdem totis, posticis basi rufo-testaceis; terebra corpore breviore, *Fem.*

Synon. *Microdus laevigator*, *N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 185. *n.* 2.

Long. lin. 1⅞. *Caput* et *thorax* subtilissime punctulata, pubescentia brevissima, albida adspersa. *Caput* latitudine thoracis, fronte convexa subcarinata. *Mandibulae* et *labrum* rufa; *Palpi* nigri. *Antennae* validiusculae, longitudine fere corporis, apice revolutae, nigrae, basin versus rufescentes, primo articulo crassiori; nigro. *Thoracis* lobi medii suturae distinctae, ante scutellum connexae. *Abdomen* longitudine thoracis, oblongum, laevissimum; primo segmento longiori, conico, convexo, basin versus parum punctulato, caeterum laevissimo, margine postico summo rufo-piceo. *Terebra* recta, nigra, longitudine circiter abdominis metathoracisque (1. lin.). *Coxae* crassae, nigrae; anticae apice rufae. *Trochanteres* superi nigro-picei, inferi rufo-testacei. *Femora* antica rufa, dorso basin versus nigro-piceo; media rufa, basi picea; postica nigro-picea. *Tibiae* anteriores totae rufo-testaceae; posticae rufo testaceae, apice fuscae. *Tarsi* fusci, primo articulo basi rufo. *Alae* nigricantes, litura albo-hyalina e stigmate descendente.

Cepi prope *Sickershausen* die 14 Julii in floribus. De mare nihil liquet.

14. Microdus *obscurator*.

M. niger, obscurus, pedibus nigro-piceis, tibiis et trochanteribus femoralibus pallidioribus; terebra corporis longitudine vel (in var. β?) breviore. *Fem.*

Synon. *Microdus obscurator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 186. *n.* 3. *tab. IV. fig.* 1. *a. b.*

Long. lin. 2. Corpus subtilissime punctulatum. *Metathorax* punctulato-subrugosus. *Abdomen* tenuissime marginatum; primo segmento basin versus parum angustato, subtilissime punctulato-ruguloso, sulculo medio, ante marginem posticam in foveolam desinente, impresso; secundo basi parum ruguloso, dein, ut reliquis, laevissimo, nitido. *Terebra* corporis longitudine. *Pedes* nigro-picei, trochanteribus femoralibus, femoribus anticis apice, tibiis anticis fere totis, posterioribus medio supero seu exteriori, vel basi tota, e piceo-rufis; posticis annulo fusco in rubedine prope basin; tarsis piceis. *Alae* obscurae, nervis et stigmate fuscis, litura hyalina per areolam cubitalem primam in limites hujus mediaeque areolae descendente.

Cepi prope *Sickershausen* in dumetis, pratis, praecipue floribus umbellatis, Solidagine, Cnico palustri, vescentem autumno. *Marem* non vidi.

V a r i a t i o:

β. Terebra longitudine abdominis individuum unum mihi communicatum a cl. *Dahl*, *Viennae* captum.

15. Microdus *annulator.*

M. niger, obscurus, femoribus anticis apice tibiisque iisdem totis rufescentibus, tibiis posticis annulo rufo; abdominis primo segmento laeviusculo; terebra corpore longiore. *Fem.*

Synon. *Microdus annulator N. ab E. Berl. Mag. VI. p. 186. n. 4.*

Long. lin. $1^{2}/_{3}$. Media quasi inter binas praecedentes species.

Metathorax et *abdomen* laevia, ut in illo, *terebra* corpore longior, quo saltem hujus exemplis genuinis magis, quam illi accedit. Differt ab utroque pedum colore, qui nigro-fusci sunt, trochanteribus inferis concoloribus, vix apice parum rufescentibus, tibiis mediis paulo dilutioribus quam femoribus, posticis nigris, annulo basi propriori piceo-rufo.

A *Microdonte laevigato* differt praeterea: antennis totis nigris oreque nigro, terebra corpore aliquanto longiore; a *Microdonte obscuratore* vero, cujus varietas fortassis haberi posset, primo segmento vix basin versus obsoletissime punctulato, tamen sulculo, ut in illo, notato, secundo segmento omnino laevissimo. Metathorax subpunctatus.

Habitat in floribus prope *Sickershausen.* Mas ignotus.

G E N U S XI.

H O R M I U S.

N. ab E. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 305. n. X. Gravenh. Ichn. Eur. I. p. 53. Bracon. Fam. III. Species heteroclitae B. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 35.

ὅρμος *monile, ob antennas moniliformes.*

Antennae submoniliformes. *Caput* transversum, thorace angustius, vertice convexo. *Prothorax* brevis. *Ab-*

domen late ovatum, depressum, marginibus obtusis (in quibusdam stigmatibus lateralibus pellucentibus notatum); primo segmento conico, angusto; secundo maximo, sulco transversali bipartito. *Areolae cubitales* tres, media in limitibus anticis nervum recurrentem excipiente. *Terebra* exserta, mediocris, recta.

Antennae articulis duodecim vel viginti duobus, satis discretis, subcylindricis, primo et secundo crassioribus.

Oris partes ut in *Bracone* genere; *palpi* breves.

Alae circumscriptione solita. *Stigma* ovatum. *Areola radialis* una, magna, ovata, in apice alae acute clausa. *Areolae cubitales* tres: prima obliqua; secunda minor, antice angustata, infra primam versus interiora protensa, in angulo anteriori interiori nervum recurrentem accipiens, postice transversa; tertia major, apicem attingens.

Habitus corporis, quod ad *caput* et *thoracem* attinet, fere Braconum. *Metathorax* transversim oblique striatus, linea media longitudinali elevata, laevi, postice bifida. *Abdominis* structura maxime singularis. Circumscriptio ejus ex orbiculato ovata. Segmentum primum breve, conicum, rugulosum, petiolum quasi format, idque secundo segmento arcte junctum. Segmentum secundum maximum, longitudine partem tertiam totius longitudinis abdominis excedens, ovato-dilatatum, planum, linea transversali media impressa bipartitum, et ad latera linea alia excavata, cum eadem alterius lateris prope basin segmenti arcu excavato juncta, subundulata, qua pars marginis in carinulam subtilem elevatur, quasi marginatum. Margo posticus in hoc, neque minus in reliquis segmentis, duplicatus: ipso scilicet margine subtumidulo obscuriori, et linea impressa, eidem parallela itidemque obscuriori, interjacente angusto spatio pallidiori, antice aucto; segmentum tertium multo brevius, transversum, quartoque paulo majus; haec linea laterali margineque duplici, ut ea, quae sequuntur segmenta, praedita. Ultimum (septimum) segmentum acutum. *Terebra* mediocris, exserta.

SECTIO I.

Antennis articulis viginti duobus.

1. Hormius *moniliatus.*

H. testaceus; metathorace nigro; terebra abdomine, stigmatibus marginato, triplo breviore. *Fem.*

SYNON. *Bracon moniliatus N. ab E. Berl. Mag. V. p. 35. n. 56. tab. II. fig. 11. a, b, c.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Mandibulae* apice fuscae; oculi prominentes nigro-fusci. Ocelli fusci. *Antennae* longitudine corporis, filiformes, basi testaceae, apice fuscae, articulis viginti duobus conico-cylindraceis. *Thorax* vel omnino concolor rufus, vel linearum trium fuscarum vestigiis. *Metathorax* niger, area media lanceolata. Pectus fuscum. *Abdominis* segmentum primum fuscum, cujus limbus oculo quidem nudo, praecipue versus basin, totus fuscus apparet, per lentem vero sola linea lateralis elevata fusca, spatium autem extra hanc positum, summum minus pellucidum, quam medium dorsum, apparet. Segmenta posteriora, inde a tertio, linea duplici marginis postici notata. Luci obversum abdomen in medio totum subpellucidum est, lineis lateralibus et marginalibus opacis. Tum in linea laterali stigmata rotunda, pellucida, bina in quovis latere segmenti secundi, singula in reliquis conspiciuntur, margine obscuro, ex ipsa linea illa elevata, quae, ubi stigmata attingit, dividitur, eaque amplexa rursus jungitur, cincta. Praeterea et ova globosa, minus pellucida, ubique per superficiem mediam dorsalem emicant, antice quidem subsparsa, postice vero, oviductum versus, evidenter seriata. Venter planiusculus. *Terebra* longitudine trium ultimorum segmentorum abdominis, testacea. *Pedes* mediocres, testacei. *Alae* sublutescentes; nervis fuscescentibus; stigmate pallido.

Cepi mense Octobre sub muscis et in trunco putrido quercus, prope *Sickershausen.* Ex Italia a cl. *Bonellio*, prope Taurinum captus ad me pervenit. Marem non vidi.

V a r i e t a t e s:

β. Caput postice, *thorax* (exceptis pleuris anticis), abdominis segmentum primum, nigro-fusca; abdominis limbus subconcolor. Long. lin. $1\frac{3}{4}$. *Fem.*

Cepi mense Junio in gramine prati prope *Sickershausen.*

γ. Pectore rufo; reliquis ut in *β. Fem.* Ex Italia missus a cl. *Bonelli.*

δ. Rufo-fuscus. Antennarum basi, palpis et pedibus luteis; nigredine metathoracis minus distincta; impressione semicirculari prope basin secundi segmenti maxime conspicua. *Fem.*

Sub foliis aridis in terra prope *Sickershausen.*

ε. Nigro-fuscus, antennis fusco-rufescentibus; palpis et pedibus luteis; abdomine a secundo segmento pallidiore *Fem.*

Cepi mense Septembre in dumetis prope *Sickershausen.* E Sudetis cl. Manger benigne mihi communicavit.

ζ. Idem, femoribus posterioribus fuscis. *Fem.*

Cepi prope *Sickershausen* mense Octobre.

Alae in Varietatibus γ et δ paulo obscuriores; in Var. δ vittae mediae cinerascentis vestigio.

N o t a:

Ovula in multis desunt, sed stigmata abdominis semper observes, licet in gravidis majora videantur.

2. HORMIUS *dimidiatus.*

H. piceo-nigricans, metathorace pedibusque luteis; terebra longitudine abdominis. *Fem.*

SYNON. *Bracon dimidiatus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 37. *n.* 57.

Long. lin. ½. *Caput* nigricans, ore luteo. *Antennae* graciles, filiformes; primo articulo crassiori, secundo tertioque luteis, reliquis fuscis. *Thorax* laeviusculus, piceo-nigricans, striis conniventibus solitis dorsi. *Pectus* obscurius rufescens. *Metathorax* luteus. *Abdominis* segmentum primum luteum, subrectangulum, quam in praecedente angustius, subrugosum, margine acuto; secundum latius, planum, laeve sicut reliqua piceo-nigricans. *Pedes* toti lutei. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate pallide-testaceis.

Unum cepi die 12. Maji 1808 in horto prope *Sickershausen.* *Mas* me latet.

SECTIO II.

Antennis articulis duodecim.

Antennae filiformes, breviusculae; articulo primo cylindrico, secundo breviori, tertio paulo longiori; reliquis ad octavum usque aequalibus, obconicis, nono ad duodecimum ovatis, paulo brevioribus, ultimo acuto, omnibus distinctis. *Alae* stigmate ovato; areola radiali magna, ovata, in apice alae acute clausa; areolis cubitalibus tribus subaequalibus, prima irregulari quinquangulari, secunda antrorsum obliqua, postice recta, paulo angustiori, tertia excurrente. Nervus recurrens interstitialis.

Habitus. Caput thorace minus, transversum; hyposto-

mate brevi, verticeque convexis. *Mandibulae* angustae, basi hiantes, apice bifidae. *Palpi* elongati, articulis omnibus filiformibus. *Thorax* brevis, tumidus. *Metathorax* ovatus, rugosus, brevis. *Abdomen* late sessile, orbiculato-ovatum, planum; primo segmento breviusculo, semilunari; secundo maximo; tertio illo duplo breviore, his subconcretis; reliquis brevibus, transversis. *Terebra* exserta. *Pedes* mediocres.

3. Hormius *rubiginosus.*

H. ferrugineus, capite stigmateque nigris; terebra longitudine ²/₃ abdominis. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* longitudine capitis thoracisque rufae, extremis quatuor articulis fuscis. *Caput* nigrum, punctulatum; mandibulis piceis; palpis pallidis. *Thorax* punctulatus, obscure ferrugineus, dorso antico nigricante. *Metathorax* brevis, postice truncatus et binis utrinque denticulis obtusis armatus; dorso planiusculo, areis duabus confluentibus obliquis, alteraque paulo infera minore pentagona, punctulatis. Pectus obscure ferrugineum. *Abdomen* vix longitudine capitis thoracisque, dilute ferrugineum, laeve, opacum, stigmatibus nullis; primo segmento carinis duabus distinctis distantibus. *Terebra* recta, tenuis, nigra, pubescens. Venter convexus. *Pedes* toti rufi, femoribus posticis basi incurvis. *Alae* hyalinae, stigmate nigro, nervis pallide fuscis.

Unum huius speciei exemplum cepi ad fenestras die 4. Augusti prope *Sickershausen.* Marem non vidi.

GENUS XII.
ICHNEUTES.

ἰχνευτὴς, idem ac ἰχνεύμων.

N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 275. *tab. VIII. f.* 3. *a*, *b*, *c*, *d.*

Antennae setaceae, multi-articulatae. *Caput* transversum, latitudine thoracis, crassum, vertice rotundato. *Prothorax* brevis, convexus. *Abdomen* spathulatum; primo segmento conico-angustato, reliquis longiori; posterioribus brevissimis. *Areolae cubitales* tres, prima et secunda ae-

qualibus, illa nervum recurrentem excipiente. *Terebra* recondita.

Palpi inaequales, filiformes; *maxillares* quinque-articulati, *labiales* quatri-articulati, articulo ultimo elongato, basi abrupte angustato. *Lingua* brevis, membranacea, rotundata, integra.

Character naturalis.

Antennae longitudine corporis, setaceae, apice recurvae, articulis (in specie cognita) triginta duobus, pubescentibus; radicula vix exserta, brevi, disciformi, scapo subobconico, crassiusculo, apice concavo, pedicello exserto, subcylindrico, parvo, reliquis articulis omnibus cylindricis, contiguis, distinctis tamen quarto longissimo, scapi longitudinem excedente, tum quinto ad nonum longitudine evidenter diminutis, reliquis cunctis subaequalibus, diametro vix duplo longioribus, cylindricis. *Clypeus* brevissimus, sectorem circuli referens, perpendicularis, planus, superne margine elevato hypostomatis discretus, margine infero recto. *Mandibulae* arcuatae, sinu, segmentum circuli referente, hiantes, sublineares, apice recta truncatae, bifidae, laciniis aequalibus obtusis. *Labrum* perpendiculare aut subinflexum, membranaceum, semicirculare, mucronatum. *Maxilla* tota fere coriacea: *stipes* oblongus incurvus, basin versus angustatus, facie infera convexiuscula, laevi, pubescente; *mala* stipitis longitudine, bipartita, laciniis valde inaequalibus, *exteriore* majore et magis supera, obovato-spathulata, margine supero rotundato, interiorique latiori spatio albo-hyalinis, pellucidis, utroque margine ciliato, disco opaco; lacinia *interiore* humiliore, exteriori minore et duplo breviore, ovata, obtusa, basi illius oblique incumbente, et solo apice parumper hiante, membranacea, extrorsum paulo firmiore, subtilissime ciliata. *Palpi maxillares* filiformes, hirti, quinque-articulati; articulo primo breviore obconico, secundo et reliquis longitudine subaequalibus, illo interne paulo dilatato tertio et quarto obconicis, quinto oblongo cylindrico, obtuso. *Labium* longitudine maxillarum: in *mentum* subovatum, coriaceum, subtus convexum, laeve, pubescens, margine supero trisinuato, seu obsolete quadridentato, dentibus lateralibus humilioribus; *lingua* mento duplo brevior et paulo latior, transversa, margine supero dilatato-rotundato, integro, ciliato, lateribus decurvis. *Palpi labiales* lingua vix duplo longiores, filiformes, incurvi, hirti, quadri-articulati, articulis valde inaequalibus; primo brevi, ob-

conico; secundo longiore et crassiore, obovato; tertio brevissimo, ovato-subgloboso; quarto oblongo, obtuso, basi repente angustato et veluti pedicellato, longitudinem articuli secundi et tertii simul sumtorum aequante. *Alae:* areola radiali una, trigona, apicem alae non attingente; cubitalibus tribus; prima fere obconica, nervum primum recurrentem excipiente, secunda longiore oblonga postice angustiore, tertia ampla sursum diffusa. Areola media interior major, ramo suo minus ascendente.

Habitus: *Caput*, *thorax* ut in charactere essentiali. *Metathorax* angustus, punctulato-rugosus, area media spathulata notatus. *Abdomen* basi angustatum, postice spathulato-dilatatum, segmentis septem discretis; primo majore carinato rugoso, tum secundo, tertio decrescentibus, reliquis minutis vix distinguendis; omnibus dense punctatis, et pilosis; ultimo laevigato, latiori; anus obtusus. Venter concavus. Terebra recondita.

1. Ichneutes *reunitor.*

Mas. Fem.

Synon. *Ichneutes reunitor N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 276. *tab. VII. f.* 3 (*errore typographico numerus* 5 *in textu occurrit*).

Long. lin. $1^3/_4$—3. *Antennae* longae, revolutae. Palpi rufo-testacei. *Corpus* nigrum, cinerascenti-subvillosum. *Metathorax* rugulosus. *Pedes* rufi; coxae nigrae; unguiculi fusci. *Alae* hyalinae, nervis pallide fuscis, radio stigmateque lineari-oblongo fuscis.

Mas feminae simillimus, paulo minor et angustior.

Habitat in Umbellatis pratornm humidorum, verno tempore, prope *Sickershausen.* E *Sudetis* etiam, Mangeri industria, ad nos pervenit. Animalculum segne, praeter morem cofamiliarium.

Observatio.

Individua minora abdomine gaudent paulo graciliore apiceque praesertim angustiore et magis rotundato.

GENUS XIII.

MICROGASTER Latr.

μικρὸς parvus, et γαστὴρ venter.

N. ab E. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 305. *n. XI. Gravenhorst Ichn. Eur. I. p.* 54. *Latr. Gen. Crust. et Ins. Lig. IV. p.* 11. *n. CCCCXLIV. Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 144. *Ill. Ichneumon Lin. Fabr. Jur. de Geer, Geoffr., Oliv., Vill. Rossi, Schr. Evania, Ceropales, Cryptus Fabr. Bassus Panz.*

Caput transversum, infra verticem angustum, retusum. *Prothorax* brevis. *Abdomen* thoracis longitudine vel eo brevius, *) ovatum, sessile; primo segmento lato conico striolato marginatoque, ventralibus ultimis in fulcrum vomeriforme connatis. *Pedes* validi, femoribus compressis, paribus posterioribus approximatis. *Areolae cubitales tres*, media minuta, vel *duae. Terebra* valida decurva, vel recondita.

Antennae setaceae, multi-articalatae. *Palpi* filiformes, inaequales, maxillares longissimi, quinque-articulati; labiales breviores, triarticulati. *Labium* apice membranaceum, breve, rotundatum. *Maxillae* longitudine labii, vaginantes, corneae; *mala* paulo teneriore rotundata. *Mandibulae* breves, acutae, infra apicem unidentatae; basi contiguae.

Character generis naturalis (a *Microgastere globato* desumtus).

Labrum breve, rotundatum, planum, sub clypeo inflectendum. *Mandibulae* breves, corneae, margine seu dimidio exteriore crassiore rotundato in apicem acutum exeunte, margine interiore tenuiore subdepresso paulo latiori, sub apice in dentem internum obtusiusculum prominente. *Maxillae* breves, coriaceae; *stipite* compresso, *mala* parum tenuiore, ovata, obtusa, hirta. *Palpi maxillares* hirti, elongati, quinque-articulati; articulo primo paulo breviore, cylindrico, secundo tertioque aequalibus subobconicis compressiusculis, quarto, quinto parum etiam longioribus, filiformibus. (Articuli primus et secundus ple-

*) In solo *Microgastere rugoso*, aliena quadam specie, quae forte proprii generis, abdomen capite thoraceque longius, dorsoque convexum.

rumque subcornei, obscurioris coloris, reliqui magis spongiosi, pallidiores.) *Lingua* brevis, latiuscula, subtransversa, rotundata, membranacea. *Mentum* lingua longius, rectangulum, compressum, corneum. *Palpi labiales* triarticulati; articulo primo brevi, subclavato; secundo longiori, obconico; tertio secundum longitudine parumper superante, oblongo, magis spongioso.

Habitus a viro clar. *Spinola* optime expositus. *) *Caput* parvum, antennis longis, setaceis, validis, multi-articulatis, articulis arcte contiguis, insigne; oculi oblongi, laterales; stemmata tria in triangulum disposita. *Thorax* capite latior, gibbus; *prothorace* brevi recondito; *lobo medio* maximo; *metathorace* maxime rugoso, truncato, lineolis elevatis notato. *Abdomen* longitudine thoracis, oblongum, sessile, planum; primo segmento parum versus basin attenuato, eodemque ut plurimum, saepe etiam secundo, rugulosis, marginibus lateralibus, secundi praecipue, elevatis; hisce segmentis multo majoribus, dimidium saltem abdomen longitudine sua constituentibus; reliquis semper laevibus, brevioribus, longitudine paulo decrescentibus, maris sex, feminae septem. Anus rotundatus. Segmenta ventralia structurae singularis in femina. Omnia scilicet medio in angulum fracta, arcte incumbentia, quo venter in carinam elevatur, totumque abdomen formam trigonam induit. Segmentum ventrale primum basi angustius, margine incumbente; secundum brevius, medio recta imbricatum, ad latera productione auriculari rotundata seu lamina, tertium segmentum amplectens, ut istud medio tantummodo ventre, lineari spatio, detegi queat; quartum, quintum, sextum segmentum, ad latera sectione imbricata conspicua, versus medium in carinam communem laevem (nulla sectione transversali distinctam) concrescunt, quae quidem apice acuto a regione anali deorsum dehiscit, terebrae ex sinu suo progredienti parans viam. Segmentum septimum supra terebram laminae dorsalis continuatione plena clausum, conicum, lateribus rotundatis, apice ano perforatum. *Terebra* utplurimum brevis, vix unquam longitudine abdomen aequans; seta laevi; valvulis apicem versus incrassatis, validis, hirsutis. In mare segmenta ventralia omnia margine undique libera, imbricata, a latere compressa, facie utraque concava, unde abdomen, a ventre visum, magis triquetrum evadit; primum segmentum majus, reliqua decrescentia, sextum minutum, indeque anus obtusus. Genitalia mascula vagina duplici inclusa, utraque bivalvi; exterio-

*) Ins. Lig. II. Fas. III. p. 145 et 46.

terioris valvulae breviores in amplum cucullum, inferne toto tractu superne basi tantum hiantem, conniventes; interiores valvulae cylindricae, subdecurvae, in terebrae speciem contiguae. *Pedes* inaequales validi; quatuor anteriores aequales, dissiti, mediis nempe posticis approximatis; postici elongati, validiores; femora omnia compressa, subclavata. *Alae* vel e membrana crassiuscula, nervis crassioribus exaratae, subobscurae, vel nervis exoletis, subtilioribus, laevioris texturae, depallescentes, ratione animalculi latae, obtusae. Stigma satis magnum, ovatum in omnibus.

Larvae gregariae in Lepidopterorum larvis parasitae, viva adhuc hospite erumpunt, statimque globum folliculorum oviformium sericeorum flavi vel albi coloris nent, ex quibus post octo — sedecim dies imagines excluduntur.

A d n o t a t i o :

Synonyma omnia veterum dubia sunt, generi quidem, sed nulli nostrarum specierum certis characteribus adscribenda.

Quas cunctas Linneus in duas species, solo pedum folliculorumque conglobatorum colore distinguendas, distribuit, scilicet:

a. Ichneumon globatus, pedibus fulvis, folliculis albis; cui adscribenda

Synon. *Lin. S. Nat. II. p.* 940. *n.* 47. *Faun. Suec. n.* 1647. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 209. *n.* 242. *Fabr. S. Ent. n.* 120. *Ent. Syst. II. p.* 188. *n.* 230. *Scop. Carn. n.* 766. *Müll. Faun. Fridr. n.* 625. *Schrank Enum. n.* 762.

Cryptus globatus Fabr. S. Piez. p. 89. *n.* 88.

Ichneumon, serico conglobato albo Geoff. Ins. Paris. II. p. 320. *n.* 1. *Reaum. Ins. II. tab.* 35. *f.* 5. 6.

Ichneumon niger, antennis filiformis, pedibus luteis, abdomine subtus virescente. De Geer Ins. II. p. 862. *tab.* 29. *fig.* 12. 13. *Derham Theol. l. VIII. c.* 6. *n.* 21.

Merian Ins. Eur. tab. 22.

Frisch Ins. VI. tab. 10.

Rai Ins. p. 255. *n.* 13.

Journal des Savans, 1713. *p.* 474.

b. Ichneumon glomeratus, pedibus foliculisque flavis; cujus sunt

SYNONYMA. *Lin. S. Nat. II. p. 940. n. 75. Faun. Suec. n. 1646. Vill. Ent. Lin. III. p. 210. n. 243. Fabr. S. Ent. p. 344. n. 95. Ent. Syst. II. p. 188.. n. 231. Scop. Carn. n. 767. Müll. Faun. Fridr. p. 71. n. 626. Class. Nat. Lin. V. p. 860. Schrank. En. n. 765.*

Cryptus glomeratus Fabr. S. Piez. p. 90. n. 89.

Ichneumon serico conglobato flavo. Geoff. Ins. Paris. II. p. 321. n. 2.

Ichneumon parasiticus erucarum minimus. Act. Ups. 1736. p. 39. n. 11.

Reaum. Ins. II. tab. 33. fig. 2. 7. 8.

De Geer Ins. I. tab. 16. f. 6.

Gœd. Ins. I. p. 59. n. 11.

List. Gœd. p. 17. n. 7.

Merian Ins. Eur. tab. 48.

Rai Ins. p. 254. n. 12. et p. 260. (Mussa brassicariae Erucae.)

Die kleine schwarze Schlupfwespe. Anomatol. Hist. nat. IV. p. 405.

Der Zotenbalg. Müll. Lin. Nat S. II. p. 861. n. 75.

Füesl. Verz. schw. Ins. p. 50. n. 970.

SECTIO I.

Areolis cubitalibus tribus, media minuta, subpetiolata, stapiaeformi.

Conf. Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 146. — Jur. hymen. p. 86 (ubi vero, ut et in icone, formae variae confines confunduntur).

Stigma paulo pone mediam alam, magnum, ovatum. *Areola radialis* una, ovato-lanceolata, ramo radiali recto, hinc interne acutangula. Ramus radialis tenuis, quo areola radialis minus distincte exarata, tamen completa, ad apicem fere extensa. *Areolae cubitales* tres; prima magna, indistincte septangularis, latere tertio, a stigmate antrorsum numerando, longiori, in angulo interiori nervum recurrentem excipit; secunda parva, ramo, ex stigmate orto, longe petiolata, triangulum curvilaterum, seu stapiam, referens; hae, uti areolae media et brachiales nervis satis crassis expressae; tertia areola cubitalis elongata, obsoletior, marginem attingit *Areolae mediae* duae, distinctae; exterior major, trapeziformis; interior minor, subqua-

drata. *Areolae brachiales* tres; duae exteriores breviores, cuneiformes; interior linearis, angusta, elongata.

1. Microgaster *abdominalis.*

M. niger, antennis flagelloque basi, abdominis segmentis tribus anterioribus, rugosisque pedibusque rufopiceis, segmentorum litura, coxis, geniculis tarsisque posticis nigris; alis basi albidis postice fuscis puncto stigmatis lituraque sub stigmate albis. *Mas.*

Long. lin. 2. *Antennae* filiformes, longitudine fere corporis; scapo radiculaque atris, pedicello et primo flagelli articulo rufis apice nigris, reliquis articulis omnibus nigris. *Thorax* niger, punctatus, fovearum arcu ad basin scutelli distinctissimo. *Abdomen* late sessile, depressum; segmento primo brevi canaliculato, margine acuto; secundo et tertio rimulosis, piceo-rufis maculaque obsoleta media nigra notatis, quarum antica paulo magis conspicua. *Femora* postica abdomine longiora. *Alae* ad medium ferme albae, hinc fuscae, macula bifida, stigma cingente albida; stigma fuscum, puncto antico pallido.

Prope *Berolinum*, ad Tempelhof captus (e museo cl. *Klugii*). Feminam non vidi.

2. Microgaster *rugulosus.*

M. niger, pedibus rufis; abdominis segmentis tribus anterioribus rugulosis; alis fuscis. *Mas.*

Long. lin. 2. Magnitudo et statura praecedentis; a quo differt: *antennis* corpore longioribus totis nigris, *abdomine* concolore, *femoribus tibiis*que posticis apice vix nigricantibus, *tarsis* iisdem rufo-fuscis; *alis* paulo angustioribus fuscis concoloribus.

Prope *Berolinum* vir clar. Klug. unum exemplum legit. *Femina* latet.

3. Microgaster *globatus Spin.*

M. niger, palpis basi nigris, apice luteis, pedibus rufis, coxis omnibus, tarsisque posticis nigris; abdominis segmento primo secundoque basi punctato-rugulosis; terebra longitudine segmentorum duorum ultimorum abdominis; alis fuscis, basi pallidis. *Mas. Fem.*

Synon. *Microgaster globatus Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 147. n. 1.*

(*Reliqua Synonyma, quae cuncta dubia, videantur in Introductione sub M. globato.*)

Long. lin. 2. *Palpi* antici articulis tribus ultimis, postici tertio articulo, luteis. *Mandibulae* piceae. *Abdominis* segmentum primum et secundum basi dense punctato-rugulosa, hoc sulco transverso acuto in medio diviso, quo campus posticus laeviusculus separatur. Trochanteres interdum fuscescunt. *Femora* postica apice parum nigricantia. *Tibiae* eaedem apice fuscae. *Tarsi* articulis basi pallidioribus. Alae obscurae, basi, liturisque tribus obsoletis sub stigmate albidis; stigma fuscum. *Mas* feminae simillimus, pedibus laetius rufis.

Cepi mense Junio prope *Sickershausen.* In museo Klugiano exempla vidi, circa *Berolinum* et *Regiomontium* capta. In Liguria frequens. (Spin.).

4. Microgaster *deprimator* Spin.

M. niger, palpis totis luteis, pedibus rufis, coxis nigris; abdominis segmento primo secundoque basi rugulosis; terebra longitudine segmentorum trium ultimorum; alis apice fuscis, litura sub stigmate duplici albo-hyalina. *Mas. Fem.*

Synon. *Microgaster deprimator* Spin. *Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 148. *n.* 3. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 11.
Ichneumon deprimator Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 227. *n.* 182*. *S. Piez. p.* 69. *n.* 83. (*Mas.*) *Panz. F. Germ.* LXXIX, 11. (*Mas.*)
Bassus deprimator Panz. Krit. Rev. p. 75.

Long. lin. 2½.

Differt a praecedente: statura majore, latiore; *palpis* in utroque sexu totis pallidis, *tarsis* posticis obscure rufis nec nigris; alarum litura alba distinctissima. *Mas* paulo minor.

Individuum femineum mihi communicavit vir cl. *Klug*; marem cepi prope *Sickershausen.* Habitat etiam prope *Halam Saxonum* (Fabr. auct. Hübneri), prope Norimbergam (Panz.). In Liguria frequens (Spin.).

5. Microgaster *rufipes.*

M. niger, palpis luteis, pedibus rufis, coxis nigris, tarsis posticis, trochanteribusque omnibus concoloribus; abdominis segmento primo secundoque basi punctulato-rugulosis; ventre basi rufo; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum; alis obscure hyalinis, nervis stigmateque fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^2/_3$. A praecedente, cui quoad sculpturam abdominis valde similis, differt praecipue: statura minore; *palpis* totis luteis, nec basi nigris; *abdomine* angustiore, subtus basi utrinque rufo; *pedibus*, exceptis coxis et trochanteribus superis, totis rufis; *alis* fere hyalinis, fasciolae obsoletae fuscae rudimento sub stigmate. — Plaga triangularis ad latera scutelli huic pulchre transversim striata.

Mas. Feminae omnino congruus, antennis validioribus, corpore longioribus, subtus sordide piceo-testaceis; trochanteribus latius nigris; alis dilutioribus.

Habitat prope *Berolinum* (Mus. cl. *Klug.*); prope *Norimbergam* (cl. *Sturm.*).

6 Microgaster *subcompletus.*

M. niger, palpis luteis, pedibus rufis, coxis, trochanteribus, superis, femoribus tibiisque posticis apice, tarsis iisdem totis nigris; abdominis segmento primo secundoque basi punctato-rugulosis; ventre basi utrinque rufo; terebra longitudine $^2/_3$ abdominis; alis obscure hyalinis, nervis stigmateque fuscis, areola cubitali media cuneiformi, postice subinterrupta. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^1/_3$. Praecedenti admodu msimilis, satis tamen distinctus: *geniculis* posticis nigris, *tarsis* iisdem pariter nigris, *terebra* longiore, *areola* cubitali media angustiore, antice angustata, et subcuneiformi, nervo postico in medio brevi spatio interrupto.

Alae apice determinate, ast pallide, fuscae, sub stigmate dilutiores. Plaga lateralis scutelli minus distincta. Tibiae posticae basi albidae, quo nigredo apicis femorum magis extollitur.

Mas. Feminae omnino simillimus. *Feminam* cl. *Gravenhorst*, *microgasteris deprimatoris* nomine adscripto, misit. Marem ipse prope *Sickershausen* cepi.

Varietates:

β. Paulo minor, areola cubitali media angustiore, postice distinctius interrupta, femoribus tibiisque posticis apice concoloribus, alis obscurioribus; — forte propria species, habitu inter hunc et praecedentem ambiguo. *Mas.*

Cepi mense Julio in Tilia prope *Sickershausen.* Eundem, *Berolini* captum, vidi in *Museo Klugiano.*

γ. Antennis piceis. *Mas.*

δ. Trochanteribus omnibus et coxis mediis apice rufis. *Mas.*

Varietatem γ. vidi in Museo Klugiano. Varietatis δ. exemplum, medio mense Augusto in gramine horti prope *Hildeshemum* captum, *Gravenhorstius* noster exhibuit.

7. Microgaster *Spinolae.*

M. ater, nitidus, palpis luteis, pedibus rufis, coxis, femoribusque posticis apice nigris, abdominis segmento primo apice gibbo, secundoque basi subrugulosis; ventre basi late rufo; terebra recondita; alis obscuris, nervis stigmateque fuscis, hoc puncto antico albido, litura sub stigmate obscuriore, bipartita. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^2/_3$. A praecedentibus satis distinctus. — *Trochanteres* in omnibus pedibus concolores. *Abdominis* magis oblongi segmentum primum paulo longius, basi punctis sparsis rugosum, non carinatum, sed in medio secundum longitudinem, apice praesertim, parumper obtuse elevatum; secundi basis multo rarioribus impressionibus inaequalis, campo postico ab antico vallo transversali angusta, laevi impressione antica posticaque elevato, latera non omnino attingente, separato. Ventris basis late rufa. Segmentum ventrale quintum ab ano acute dehiscere potest. *Alae* minus obscurae; stigmate fusco, puncto distincto antico albido. *Antennarum* articulus primus subtus rufescens. *Metathorax* rugosissimus. *Lamina ventralis*, vomeriformis, obtusiuscula; rubedo ventralis ad latera supera secundi segmenti parum extenditur. *Terebra* omnino retracta. *Tibiae* et *tarsi* postici toti rufi, immaculati; hi apice paulo obscuriores,

Mas. Idem omnino. *Antennae* magis setaceae, longiores. *Venter* planiusculus, nec apice vomeriformi dehiscens. *Segmentum* secundum abdominis interdum margine rufescit.

Cepi plura individua, utriusque sexus, prope *Sickershausen*, Junio, Julio et Augusto mensibus. Mense Junio in monte *Bructero*, et mense Julio prope *Hildeshemium* (fem.) cl. Gravenhorst. Vidi etiam in Museo *Klugiano*. (Marem.) Mense Julio anni 1809 prodiit mihi masculum individuum e folliculo, ramulo quercino adglutinato; eodemque tempore metamorphosin observavi.

E larva (Noctuae oleraceae) juxta caput solitaria erumpens larva, texuit folliculum oblongum, margaritaceo-virescentem, operculatum, annexa simul ipsa larva; ex quo quatuordecim dierum spatio prodiit imago, alis fere ad basin fuscis concoloribus gaudens.

8. MICROGASTER *sordipes Ziegler.*

M. niger, nitidus, palpis luteis, pedibus rufis, trochanteribus superis, coxis tarsisque posticis nigris; abdominis primo segmento ruguloso, in medio elevato, secundo laevi, bipartito; alis fuscis, basi pallidis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Ichneumon sordipes Ziegler. Mus.*

Long. lin. 1⅔. A praecedente, cui habitu accedit, differt: *antennis* totis nigris; *metathorace* crassius rugoso; *abdominis* primo segmento planiusculo, dorso medio obselete ruguloso, lateribus depressis sordide piceis, secundo segmento laevissimo, foveis duabus antice arcuatim confluentibus laevibus bipartito; ventre vix parum piceo; *trochanteribus* superis nigris; *tarsis* omnibus apice fuscis; *alis* dilutioribus, litura obsoletiore, puncto stigmatis nullo. *Mas.* Idem.

Feminam, nomine *microgasteris sordipedis Ziegleri* adscripto, cl. *Dahl*, *Viennae* captam, transmisit. Feminam cum mare porro in Museo *Klugiano*, absque nomine. inveni.

Varietates:

β. Abdominis secundo segmento basi sparsim punctato impressoque; tarsis posticis fuscis; *trochanteribus* totis nigris; *alarum* stigmate puncto parvo antico albido. Medius quasi inter *Microgasteres Spinolae* et *sordipedem. Fem.*

γ. Antennis subtus secundum totam longitudinem piceo-rufis, primo articulo tamen nigro; *metathorace* non magis, quam in specie praecedente; reticulato; *ventre* basi, primoque segmento abdominis utroque latere laetius rufescentibus, hoc densius punctulato; *tarsis* anterioribus totis rufis; *alis* denique magis hyalinis, fuscedine in fasciolam abruptam, e stigmate in areolam cubitalem secundam descendentem, contracta. *Fem.*

Varietatem *β*. Mense Julio, *Sickershusae* e puppa larvae cujusdam prodiit. Varietatem *γ*. cl. *Sturm* cepit, *Norimbergae.*

9. MICROGASTER *nigricans Gyllenh.*

M. niger, pubescens, palpis concoloribus, tibiis tarsisque rufis, femoribus posticis intus rufis, extus nigris fascia sub apice rufa; abdominis primo segmento secundoque basi rugulosis; alis obscure hyalinis, nervis stigmateque fuscis. *Mas.*

Long. lin. 1¾. Corpus oblongum, punctatum, albido-pubescens. *Palpi* nigri. *Antennae* validae, setaceae, lon-

gitudine corporis, totae nigrae. *Metathorax* declivis, carinis geminis arcu divergentibus. *Abdominis* segmentum primum late conicum, planum, margine apicem versus acute depresso, rugulosum; secundum in medio transversim bipartitum, linea recta, basi hinc rugulosum, apice, ut in reliqua, laeve, marginibus ciliatis. Venter planus, concolor. *Coxae* et *trochanteres* nigra; femora nigra, anteriora apice rufa, postica latere interiori et fascia sinuata distincta sub apice exteriori rufis. *Tibiae* anticae rufae; mediae rufae intus nigricantes; posticae basi rufae, apice fuscae. *Tarsi* antici rufi; medii rufi, apice fusci; postici toti fusci. *Alae* obscure hyalinae.

E *Suecia.* (Mus. *Klugianum*, ab ipso cl. *Gyllenhal* addito nomine.) Feminam non vidi.

10. Microgaster *tibialis.*

M. niger, palpis anterioribus fusco-testaceis, tibiis tarsisque rufis; abdominis segmento primo, secundoque basi, dense rugulosis; terebra longitudine duorum, ultimorum segmentorum; alis fuscis, basi pallidis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2. *Palporum maxillarium* articuli primus et secundus baseos, labiales toti nigri in omnibus. *Antennarum* articulus primus totus niger, qui in specie antecedente inferne rufescens. *Abdomen* fere ut in femina antecedente. *Pedes* nigri; femoribus anticis apice, tibiis omnibus et tarsis anterioribus rufis, ungue nigro, tibiis posticis apice fuscis; tarsis iisdem fuscis, basi rufescentibus. *Alae* praecedentis, stigmate toto nigro.

Mas. Idem omnino, terebra nulla, *antennae* magis setaceae; *abdomen* ut in femina; *alarum* stigma fuscum, absque puncto albido.

Cepi *feminam* mensibus Junio et Septembre in agris sylvisque; *marem* cum *femina* in Umbellatis prope *Sickershausen.* Vidi etiam marem, *Regiomontii* captum, in Museo *Klugiano.*

Varietates:

β. Tibiis posticis apice tarsisque iisdem fuscis, alis obscurioribus. *Mas. Fem.*

Hujus Varietatis *marem* et *feminam* collectio *Klugiana* servat, *Berolini* capta.

11. Microgaster *tristis.*

M. ater, palpis, tibiis tarsisque testaceo-rufis; abdomine toto rufo segmento primo margine laterali acuto, basi

subruguloso; alis totis nigris, puncto stigmatis fasciaque obsoleta albo-hyalinis; terebra vix exserta. *Mas. Fem.*

Distinctissimus *abdomine* toto laevi, nec secundo segmento transversim impresso, *alis*que nigris. *Antennae* elongatae, setaceae. *Palpi* basi nigri. *Coxae* nigrae. *Trochanteres* piceo-rufi. *Femora* nigra; anteriora apice rufa. *Tibiae* rufae. *Tarsi* rufi, ungue fusco; postici toti fusci. *Terebra* vix longitudine ultimi segmenti, apiculam brevem exhibens. *Areola* secunda cubitalis postice nervo crasso quidem, sed pellucido, clausa. Hinc transitus quidam ad sectionem secundam.

Mas differt a femina: *ventre* plano; *femoribus* anticis basi latiori spatio nigris; *tibiis* posticis apice fuscis.

Feminam et *marem* cepi mensibus Julio et Augusto in Anetho horti prope *Sickershausen*; *Berolini* cl. *Klug* legit.

V a r i e t a t e s:

β. Alis pallidioribus, *abdominis*que primo segmento utroque margine versus apicem rufo. *Mas.*

Specimen hoc fere intermedium est varietatem inter *α* et *γ*. Magnitudo majorum, pedes minorum, alae quam in utrisque pallidiores.

γ. Paulo minor. *Antennae* filiformes. *Abdominis* segmentum primum infra utrinque rufum. *Venter* carinatus. *Pedes* anteriores fere toti rufi; femoribus in medio parum fuscis. *Alae* basi pallidiores, fascia distinctiore.

An propria species?

Mas idem; *antennae* validae, setaceae, longiores; *venter* planiusculus.

Varietatem *β* cl. *Menzinger* ex *Magno-Ducatu Badensi* misit. Varietatis *γ* *marem* et *feminam* Junio et Julio mensibus in Selino Oreoselino locis sylvaticis, et in plantis horti prope *Sickershausen* cepi.

12. Microgaster *marginatus.*

M. niger, pedibus testaceis, coxis nigris; abdominis primo segmento secundoque a basi ad medium rimuloso-rugosis, hoc margine omni ventreque basi rufis; terebra recondita; alis hyalinis, apice fuscis. *Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. A reliquis, quibus pedes rufi sunt, terebrae exiguitate distinguitur. *Antennae* longitudine corporis, setaceae, parum fuscescentes. Corpus ratione reliquorum angustum. *Thorax* distincte punctulatus; *metathorax* brevis rugulosus. *Abdominis* segmentum primum

anguste conicum, planum, rugulosum, margine tenuissimo angulisque posticis pallidis, subtus rufum; secundum pone medium transversim partitum, hinc ad basin rimulosum et obsolete bicarinatum, postice laeviusculum, margine undique tenui rufo cinctum, subtus pallidum; reliqua segmenta laevia, pubescentia. *Terebra* sub valvula ani recondita. *Pedes* validi, saturate rufo-testacei; coxis nigris apice rufis; tarsis posticis fuscis. *Alae* hyalinae, nervis stigmateque parvo fuscis, litura cana in apice; areola cubitalis media bulla subinterrupta.

Vidi *feminam* in *Museo Klugiano*, *Berolini* captam. Mas latet.

13. Microgaster *dorsalis Spin.*

M. niger, ore pedibusque testaceis, abdominis lateribus (totis vel basi tantum) ventreque (in femina) testaceis; terebra longitudine ⅓ abdominis laeviusculi; alis hyalinis, nervis et stigmate nigro-fuscis. *Mas. Fem.*

Synon. *Microgaster dorsalis Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 151. *n.* 8. (*Mas. Femina*, *a cl. Spinola ad hunc marem citata, alius speciei esse videtur.*)

Ichneumon gregarius Schrank En. Vill. Ent. Lin. III. p. 213. *n.* 257?

Long. lin. 2. *Labrum* et *mandibulae* rufa. *Palpi* flavescentes. *Hypostoma* subcarinatum, punctis duobus clypei impressis. *Antennarum* articulus primus subtus rufus. *Abdomen* forma reliquorum; segmentum primum, illorum ratione habita, longius, planum, media basi subrugulosum, nigrum, marginibus tenuibus, vel macula magna media, vel totis rufis, ante marginem posticum transversim impressum; secundum macula baseos magna triangulari, apice marginem attingente; reliquis macula transversa baseos nigra. *Terebra* tenuis, subclavata, pubescens. *Pedes* toti rufi; coxis posticis fuscis; femoribus iisdem et tibiis apice nigris, *tarsis*que his nigro rufoque annulatis. *Alae* hyalinae, nervis fuscis. Stigma magnum, nigrum, puncto parvo antico albido. Areola secunda cubitalis perfecta. Venter rufus.

Mas. Long. lin. $1^1/_4$. *Caput* et *thorax* subtilissime punctata et ob pubescentiam minutissimam canam opaca. *Mandibulae* et *palpi* toti lutea. *Antennae* longitudine corporis, setaceae, nigrae. *Metathorax* convexus, valde rugulosus, carinatus. *Abdomen* spathulatum; primo segmento conico-angustato, marginibus recta depressis, quo an-

guli postici latius sident fuscescentes, — area media elevata linearis, subrugosa; segmento secundo brevi, basi utrinque dorsoque postico lunula impressa; reliquis ciliatis. Venter concolor. *Pedes* ut in femina, graciles, tarsis posticis totis anterioribus apice fuscis. *Alae* hyalinae, subobscurae; areola media cubitali stapiaeformi postice ob nervum hyalinum ad speciem aperta.

Variatur mas:

β. segmento secundo abdominis margine, vel etiam toto piceo;

γ. coxis omnibus nigris.

Feminam, Julio mense, in horto prope *Sickershausen* cepi. *Marem* cum varietatibus vidi in Museo *Klugiano*, alterumque masculi sexus exemplum, ab ipso cl. *Spinola* missum, in collectione nostra exstat.

14. Microgaster *Aphidum Spin.*

M. niger, ore pedibusque piceis; abdomine basi, cingulove integro vel interrupto rufo, secundo segmento ruguloso; antennis tarsisque fusco rufoque annulatis; alis subobscuris. *Mas.*

Synon. *Microgaster aphidum Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 150. *n.* 7 (*excl. omnibus Synonymis, ad Aphidium nostrum varium pertinentibus*).

Magnitudo praecedentis, a quo, praeter characteres indicatos, differt: *abdominis* segmento secundo majori, *tibiis* posticis apice concoloribus nec nigris, *stigmate*que alarum minore.

Varietas:

α. Abdominis primo et secundo segmento totis rufis.

β. Segmento primo basi nigro apice rufo, secundo rufo margine postico nigro.

γ. Primo segmento utrinque macula magna triangulari et subtus fere toto rufo-testaceo.

δ. Pedum colore paulo dilutiore abdomine ut in Var. *γ.*

Varietatis *α.* et *β.* singula exempla, prope *Berolinum* capta, servat Museum *Klugianum.* Varietas *γ.* semel mihi obviam venit in pratis humidis prope *Sickershausen.* Varietatem *δ.*, misit cl. *Gravenhorst*, nomine *Microgasteris Aphidum Spin.*

15. Microgaster *auriculatus Spin.*

M. niger, genis, abdominis segmento secundo et tertio tibiisque posticis rufis; tribus segmentis anterioribus

rugulosis; alis subhyalinis fasciis duabus fuscis obsoletis. *Mas?*

SYNON. *Microgaster auriculatus* Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 147. n. 2.
Ichneumon auriculatus Fabr. S. Piez. p. 69. n. 82.

Statura praecedentis. *Caput* rufum, vertice nigro. *Antennae* supra fuscae, subtus rufae. *Thorax* totus niger. *Abdomen* depressum; primo segmento basi paulo magis quam in reliquis congeneribus contracto, eodemque, tum secundo et tertio striolatis. *Pedes*, praeter tibias posticas, nigri. *Alae* fere hyalinae, stigmate fusco, fasciolisque duabus indistinctis fuscidulis posteriora versus notatae.

Habitat in *Austria* (*Fabr.* e Museo Praenobilis Megerle). In *Liguria* rarior. (*Spin.*) Femina ignota.

A d n o t a t i o:

De insecto, a me non viso, plura non liquent. Marem descripsisse videntur auctores, quippe qui terebrae mentionem non faciant. Anne terebra feminae recondita?

16. MICROGASTER *posticus.*

M. niger, pubescens, ore pedibus totis abdominisque apice luteis; segmento primo secundoque rugulosis; terebra longitudine ⅔ abdominis ciliata geniculisque posticis nigris; alis hyalinis stigmate pallide fusco. *Fem.*

Long. lin. 1⅛. Corpus angustum, punctulatum, pubescens, opacum. *Mandibulae* et *palpi* pallida. *Antennae* filiformes subtus ferrugineae, scapo ibidem luteo. *Metathorax* crassius rugulosus, declivis. *Abdomen* lineare; segmento primo et secundo planis, rugulosis, nigris; reliquis laevibus, ciliatis, luteis, umbra postica fuscescente. Venter totus luteus. *Terebrae* vaginae in medio paululum incrassatae, ciliatae, atrae. *Pedes* lutei, coxis et trochanteribus pallidioribus; femora et tibiae postica apice fusca; tarsi postici obscurius annulati. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate pallide fuscis.

E collectione cl. Klug. Marem non vidi.

17. MICROGASTER *alvearius* Spin.

M. flavus, metathorace abdominisque basi striolati dorso nigris; alis hyalinis, stigmate nigro. *Mas.*

SYNON. *Microgaster alvearius* Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 149. n. 6.

Cryptus alvearius Fabr. *S. Piez. p.* 90. *n.* 91.
Ichneumon alvearius Fabr. *Ent. Syst. Suppl. p.* 232. *n.* 232*
Ichneumon Geoffr. *Ins. Paris. II. p.* 322. *n.* 2. *Reaum. Ins. II. tab.* 35. *f.* 7. *)

Magnitudo praecedentium. — *Antennae* nigrae. *Caput* et *thorax* flava; *metathorax* nigro-fuscus. *Abdomen* dorso nigrum, primo et secundo segmento totis, tertio basi rimulosis; venter flavus. *Pedes* testacei, genubus posticis nigrescantibus.

Habitat in *Galliae* Phalaenae crataegatae larvis. Larvae exeuntes nent folliculos numerosos aggregatos albos, operculo clausos (Fabr.) Prope *Novas* invenit clar. *Spinola.* Ipsi non vidimus.

A d n o t a t i o:

De sexu valent, quae in *Microgasterem auriculatum* observavimus.

S E C T I O II.

Areolis cubitalibus duabus, prima nervum recurrentem excipiente, secunda magna, antice cuspidata.

Imperceptibili fere transitu hujus sectionis species cum praecedentibus junguntur. *Alarum* stigma et *areola radialis* non differunt. *Areola cubitalis* prima non tam heptagona, quam irregularis, antice ut in sectione prima, postice vero ramo radiali descendente recurvo subarcuato clausa. Ramus alter, sub apice rami radialis descendentis ortus, dichotomia sua areolam stapiaeformem sectionis primae formans, vel deest totus, velut in specie prima (*Microgastere connexo*), laevi rudimento in formam nodi indi-

*) Cl. *Marklini* sententia synonymon *Crypti alvearii* Fabr. cum reliquis ad *Rogum testaceum*, infra describendum, pertinet, iis forte exceptis, quae de metamorphosi secundum Reaumurium traduntur. Quae sententia an sit vera, decidere non ausim. Id autem liquet, insectum, a cl. *Spinola* l. c. descriptum, *Microgastri* esse generis; idemque cum quam maxime cum descriptione *Fabriciana:* „flavus, thorace postice abdominisque dorso nigris" congruere videatur, conveniantque etiam in hunc, quae circa metamorphosin traduntur, cl. *Spinolam* sequi debemus.

Ichneumon alveari formis Ins. Paris. apud Vill. III. p. 213. n. 258. Schr. En. n. 767 hujus loci esse non potest, tametsi folliculorum indoles congruere videatur; est enim „niger, abdomine petiolato."

catus (in *Microgastere tristi* n. 11 idem jam pelluciditate sua minus conspicuus); hinc areola tertia in breve spatium secundae areolae effusa, acumine angusto, seu cuspide, antice juxta exteriorem marginem aucta apparet. Reliqua omnino ut in sectione prima. Nervi, in primis speciebus validi, paulatim gracilescunt, tum magis magisque depallescentes, oculis sese fere obducunt, ramo solo radiali descendente, costaque pone stigma colore et crassitie conspicuis, in specie ultima vero, et ipso illo ramo colore destituto, radii apex, ut lineola obscura, prodit.

Quoad *oris partes* nullam omnino differentiam video, *Mandibulae* paulo graciliores, dente interiori minori, acuto. *Antennae* eaedem.

Habitus corporis proximus. *Abdomen* a latere magis compressum in pluribus. *Terebra* in paucis brevissima, in multis longior, quam in praecedentibus, sed ejusdem structurae. *Metamorphosis* eadem.

18. Microgaster *connexus*.

M. niger, antennarum basi, pedibus totis, ventreque antice rufis, palpis, primique segmenti abdominis lateribus flavo-pallidis; hoc (primo segmento) medio secundoque basi rugulosis; terebra vix exserta; alis hyalinis, areola secunda cubitali lineari, apertura subcontracta. *Fem.*

Synon. *Roes. Ins. II. Vesp. IV. Tab. 3. fig. a. b.*

Long. lin. 1½. Statura corporis ut in plerisque. Latera primi segmenti abdominis, quo spatio pallescunt, laevia. *Terebra* ut in sequente. *Femora* postica et tibiae apice fusca; tarsi iidem fusco rufoque annulati.

Metamorphosis: folliculi plurimi albi intra telam *Phalaenae fuliginosae* connexae. *Mas* latet.

19. Microgaster *reconditus*.

M. niger, palpis lutescentibus, pedibus rufis, femoribus posticis apice fuscis; abdominis primo segmento (subtus ad latera rufo) secundoque basi, rugulosis; terebra vix exserta; alis subhyalinis, nervis et stigmate fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1½. Similis praecedenti, sed differt praecipue: *alarum* areola secunda postice omnino et late aperta, ut in sequentibus, hisque subhyalinis. *Palpi* pallidiores, sed primus articulus niger in omnibus. *Abdomen*, quoad segmenta antica, ut in praecedente; postice ventre valde carinato, *terebra* in formam apiculae brevis prominente.

Coxae nigrae. *Trochanteres* rufi. *Tarsi* postici fusci. Arcus e punctis rectangulis, impressis, scutellum a thorace sejungens, omnibus speciebus communis quidem, in hacce pulcherrime exaratus.

Mas. Idem; paulo minor. Venter sub ano minus gibbus.

Feminam et *marem* cepi mense Septembre in pratis humidis prope Sickershausen. In Museo *Klugiano* feminam etiam vidi.

20. MICROGASTER *falcatus*.

M. niger, palpis pallidis, pedibus rufis; abdominis primis segmentis laeviusculis (primo subtus utrinque rufo), impressionibus notatis; terebra longitudine $^3/_4$ abdominis, compressa, decurva; alis subhyalinis, nervis stigmateque fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2. Corpus subtilissime punctatum, statura reliquorum. *Mandibulae* tenues, piceo-rufae. *Palpi* pallidiores. *Abdomen* laeviusculum; primum segmentum basi paulo magis, quam in aliis, angustatum; a basi fere exeunt lineae duae impressae, parallelae, quae in ipso margine postico in depressione utriusque lateris, tanquam in foveola subrugosa, desinunt; secundum segmentum laeviusculum, ante medium sulculo obtuso transverso subtriarcuato impressum, e cujus sinubus lateralibus foveolae duae, una utrinque, oblique marginem anticum petunt, areamque, quae hisce impressionibus circumscribitur, subelevatam amplectuntur. Reliqua segmenta supra depressiuscula, laevia. Venter structurae solitae. *Terebra* subfalcata, linearis, compressa, laevis. *Coxae* nigrae. *Tarsi* postici fusci. *Pedum* quae restant tota testaceo-rufa. *Alae* praecedentis.

Mas. Idem omnino; et vix nisi defectu terebrae distinguendus. *Antennae* validiores, longitudine corporis. *Tibiae* posticae apice fuscae.

Feminam cepi in sepibus humidis mense Julio prope *Sickershausen*. *Marem* vidi in collectione cl. *Gravenhorstii*, captum medio mense Julio *Gottingae* in umbellatis.

V a r i e t a t e s:

β. Coxis apice stigmateque pallidis. *Fem.*

γ. Segmento primo et secundo abdominis latere dorsali rufo-testaceis. *Fem.*

SYNON. *Vipio guttator Fallén.* ♀

Varietatem *β*. a. cl. *Menzinger*, e *Magno-Ducatu Badensi* accepi.

Varietatem *γ*, *microgasteris guttati Fallén* nomine adscripto, vidi in Museo *Klugiano*, e *Suecia* allatam.

21. Microgaster *adjunctus.*

M. niger, ore pedibusque rufis, coxis posticis (femoribus iisdem interdum apice), nigris; abdominis segmento primo secundoque basi rugulosis, hoc insuper impresso; terebra longitudine $^2/_3$ abdominis, compressa, decurva; alis hyalinis, nervis stigmateque nigro-fuscis. *Fem.*

Long. lin. $1^1/_3$. Statura omnino praecedentis, cui terebrae forma, ut proxime insequenti sculptura magis accedit. Corpus subtilissime punctulatum, subpubescens. *Mandibulae* laete rufae; *palpi* pallidiores. *Antennae* fere filiformes, longitudine corporis. *Metathorax* laevis. *Abdominis* primum segmentum formae ut in praecedente, planum, punctulato-rugulosum, angulis posticis depressis, acutis, luteis; segmentum secundum parte tertia antica punctulata, postice linea recta transversa discreta, lineolisque duabus brevibus, antice convergentibus, impressa; reliqua segmenta planiuscula, laevia. Venter structurae solitae, basi, laminaeque fulcientis apice, testaceis. *Terebra* ut in praecedente, valvulis piceis.

Pedes toti pallide testacei, coxis posticis solis fuscis. *Alae* hyalinae, purae, nervis et stigmate nigro-fuscis.

Cepi Julio mense in Syringa horti prope *Sickershausen*. Cl. *Klug* prope *Berolinum* legit. Marem non vidi.

22. Microgaster *affinis.*

M. niger, palpis, abdominisque primo segmento latere albido-luteis, hoc medio dorso, secundoque basi rugulosis; terebra subexserta; ventre basi pedibusque rufis; alis hyalinis, nervis stigmateque pallide fuscis. *Mas. Fem.*

Synon. *Cryptus globatus Panz. F. Germ. CIX.* 8. (*fide Mus. Klugiani, etiamsi ventris basis in icone nigra exhibeatur*).

Long. lin. 1. Similis praecedenti, a quo differt: *mandibulis* obscurioribus, *metathorace* ruguloso, *abdominis* primo segmento paulo breviore, in medio leviter sulcato, secundo ad medium usque ruguloso (nec ad $^1/_3$ tantum longitudinis minus distincte impresso; *coxis* omnibus, *femoribus*que posticis apice nigris; *terebra* recondita. A sequente differt inprimis: *lateribus primi segmenti abdominis* pallide luteis, quae huic vix parum rufescunt, *ventre* hujus segmenti toto rufo; *coxis* omnibus nigris, *trochanteribus* vero pedibusque rufis, seu potius rufo-testaceis, *femo-*

moribus posticis tibiisque iisdem summo apice fuscis, *tarsis* posticis rufo-fuscoque annulatis; *terebra* paulo evidentiori.

Microgasteri recondito n. 19, quod ad definitionem, similis quidem videtur; evidenter tamen longiusque distat ab illo exiguitate, alarumque subtilitate et puro nitore.

Mas. Feminae omnino similis, *antennis* paulo validioribus, *alarum* nervis et stigmate fuscis.

Cepi *feminam* mense Junio in sylvaticis prope *Sickershausen*; vidi etiam in Museo *Klugiano* feminam, e puppa Bombycis Vinulae natam, aliamque *Regiomontii* captam. *Mas* ab amiciss. *Gravenhorstio* captus *Gottingae* ineunte mense Septembre in cubiculo; porro die 17° Septembris in pratis.

Varietates:

β. *Abdomine* magis oblongo; primo segmento vix ruguloso, biimpresso; secundo laevissimo, impressionibus omnino nullis; nervis stigmateque obscurius fuscis. *Fem.*

γ. *Antennis* ferrugineo-fuscis, *femoribus* posticis totis rufis, *stigmate* pallido. *Mas.*

δ. *Antennis* quam in praecedente validioribus, piceo-rufescentibus, *tibiis* posticis concoloribus, *abdominis* primo segmento ventre basi luteo, margine laterali supero nigro, *stigmate* subtestaceo. *Mas.*

Individuum Varietatis β cepi prope *Sickershausen*. Varietas γ. mihi benigne communicata ex *Magno-Ducatu Badensi* a. cl. *Menzinger*, et *Berolino*, a cl. *Klug*. Specimen Var. γ. e collectione cl. Brongniart Paris. ad nos pervenit; eandem cl. *Klug Berolini* e folliculis Puppae Bombycis leporinae glomeratis prodeuntem observavit.

23. MICROGASTER *perspicuus*.

M. niger, palpis pallidis, pedibus rufis, femoribus posticis piceis; abdominis segmento primo latere ventrali macula magna testaceo-pellucida, dorso, secundoque basi, rugulosis; terebra subexserta; alis hyalinis, nervis stigmateque pallide fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Structura omnino *Microgasteris reconditi* n. 19, sed duplo fere minor. Segmentum primum ventrale ita a latere compressum, ut fere membranaceum videatur, ibique macula testacea pellucet. Basis segmenti secundi subcarinata. *Lamina vomeriformis* ventris ultra abdominis apicem prominet, *terebram*, ut brevis apicula pubescens prominentem, vaginans. *Coxae* et *trochanteres* nigra. Tarsi omnes concolores, rufi, ungue nigro.

Affinis *Microgasteri connexo*, n. 18, sed hic major; venter basi totus testaceus; areola secunda cubitalis subindicata etc.

Mas. Idem; *femora* anteriora basi brevi spatio picea; media fere tota picea; postica obsoletiora, e piceo fusca. *Tarsi* postici itidem fuscescentes.

Feminam cepi mense Junio in sylvis prope *Sickershausen*. *Marem* et *feminam* in Museo *Gravenhorstiano* vidi, illam ex antiqua quadam collectione illatam.

Varietates:

β. Femoribus mediis basi piceis. *Mas. Fem.*

E larva Bombycis cujusdam plures folliculi dispersi, oblongi, cinerascentes exclusi, mense Julio utriusque sexus exempla ederunt; cepi etiam *marem* et *feminam* die 8. Junii prope *Sickershausen*.

Exempla haec omnia, maxime inter se et cum reliquis congrua, *coxis* nigris sunt, *trochanteribus* piceis apice rufis; *femoribus* anterioribus rufis, basi, anticis parum, mediis late, tantum non totis fusco-piceis, rubedine utrinque in lineam decurrente; *tibiis* omnibus rufis, posticis vix apice parum saturatioris coloris; *tarsis* rufis, posticis paulo obscurioribus. *Alae* hyalinae, nervis expallescentibus, stigmate fusco.

Observatio I.

A *Microgastere sessili*, cui haec Varietas proxima, differt: *tibiis* omnibus concoloribus, *femoribus*que anticis fere totis laetiusque rufis; *abdominis* primis segmentis crassius punctulatis; *alarum* nervis firmioribus, crassioribusque.

Observatio II.

Inter octo individua *feminea*, *unicum masculini* sexus exclusum est.

24. Microgaster *nigriventris*.

M. ater, palpis luteis, pedibus rufis, coxis trochanteribusque superis nigris; abdomine concolore, primo secundoque segmento laevibus, biimpressis; terebra non exserta, alis hyalinis, nervis pallidis, stigmate fusco. *Fem.*

Long. lin. 1. Ab iis speciebus, quibus terebrae brevitate adjungitur, differt vel *abdomine* unicolore, nec ventre rufo, vel *pedibus* laete rufis, vel *nervorum alae* pelluciditate. *Palpi* pallide lutei; *mandibulae* nigrae. *Antennae* subtus fuscae. *Abdominis* primum segmentum rectangulum, laeve, utrinque oblique retrorsum impressum; secundum segmen-

tum impressionibus solitis antrorsum conniventibus, laeve. *Terebra*, ultimi segmenti valvula fulcrata, parum prominens. *Pedes* validi, coxis posticis praesertim conspicuis. Colores supra indicavimus; porro tibiae posticae apice subfuscae, et tarsi postici toti obscuriores. *Alae* pure hyalinae, nitidae, stigmate nigro-fusco, nervis aquose-pellucidis; areola cubitali secunda subinchoata. Unam *feminam* cepi prope *Sickershausen*. Marem non vidi.

25. MICROGASTER *ruficornis.*

M. niger, palpis pedibusque flavescenti-luteis; antennis rufo-fuscis, abdominis primis duobus segmentis impressis, laeviusculis, primo limbo rufescente, coxis posticis tibiisque iisdem apice, nigris; alis hyalinis, nervis stigmateque pallide fuscescentibus. *Mas.*

Long. lin. $1\frac{3}{4}$. *Antennae* validae. *Abdominis* impressiones omnino, quales in *Microgastere falcato* n. 20. Venter basi vix pallescens. *Coxae* anteriores et *trochanteres* omnes concolores. Color pedum valde dilutus, et purus. *Alarum* nervi in hoc pallescere incipiunt. Statura crassiuscula.

Cepi mense Majo in pratis prope *Sickershausen*. *Femina* ignota.

26. MICROGASTER *glomeratus Lin.?*

M. niger, ore pedibusque luteis; abdominis lateribus ventralibus versus basin segmentorumque anteriorum limbo dorsali inaequaliter rufis; primo secundoque segmento laeviusculis, impressis; terebra longitudine ultimi segmenti; alis hyalinis, nervis et stigmate pallide fuscis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Microgaster glomeratus Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 149. *n.* 5 (*pluribus congruentibus; sed alarum nulla diversitas memoratur. Sin itaque ternis areolis cubitalibus gaudeat species, a cl. Spinola descripta, non hujus loci habenda est*).
Vipio guttator Fallén. ined. Mus. Klug. (*Mas.*)
An hujus loci Ichneumon glomeratus Lin? Vid. p. 161.

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. *Mandibulae*, *labrum* et *palpi* luteo-rufescentia. *Abdomen*, a dorso visum, sublineare, a latere valde compressum; segmentum primum rectangulum, impressionibus ut in praecedente, limbo late pallido, acuto; secundum simili quoque typo exaratum, sed linea transversa impressa rectiuscula, laterales angustiores, rectae, magis

conniventes, unde area interposita triangularis; limbus huic angustiori spatio rufescens, in basin tertii segmenti excurrens. Latera ventris aequali tractu a basi late rufescunt, carinae infimo margine ventrali tamen semper nigro. *Terebra* ultra laminam longitudine ultimi segmenti protensa. *Coxae* posticae nigrae, quibus detractis *pedes toti* luteo-flavescentes, tibiis posticis et tarsis omnino concoloribus. Ungues nigri. *Alae* praecedentis.

Mas, idem. *Mandibulae* piceae. *Antennae* paulo longiores. *Abdomen* angustius, colore rufo ad basin in nonnullis ita dilatato, ut dorsum fere rufum, maculis duabus magnis nigris, primi secundique segmenti, appareat. *Tibiae* posticae in quibusdam apice fuscescunt, et tarsi iidem obscuri sunt.

Cepi *marem* et *feminam* mense Junio in pratis, mense Julio ad fenestras, prope *Sickershausen*. Feminam prope *Berolinum* cepit *Klugius* noster. Vidi etiam in collectione Klugiana, *Vipionis guttatoris Fallén*, maris nomine, a Cl. *Sturmio* missa exempla.

Varietas:

β. Quoad structuram sculpturamque simillimus; paulo minor, *coxis* omnibus nigris, tibiis posticis apice, tarsisque iisdem totis fuscescentibus, *pedum* colore saturatiore, subrufo, *stigmate* alarum nigro-fusco.

Die 2° Junii e puppis aggregatis, folliculatis oblongis albis, ramulo quercino adglutinatis, operculo secedente prodierunt individua feminea duo. Berolini cl. *Klug* alia cepit iisdem ad-amussim congrua.

27. Microgaster *analis.*

M. niger, antennis fuscis, abdomine postice, pedibusque totis rufis, geniculis posticis nigris; segmentis primo et secundo planis, illo toto, hoc basi ruguloso; terebra vix exserta; alis hyalinis, nervis stigmateque pallide fuscis. *Fem.*

Long. lin. 1½. *Antennae* nigro-fuscae, articulis omnibus basi pallidis, quo color fuscus exoritur; primus articulus totus rufus est; secundus articulus apice niger, basi rufus. *Palpi* pallidi. Color thoracis subtilissime punctulati ater, modice nitens; squamae pone alas erectae acutae. *Metathorax* crasse rugosus. *Abdominis* primum segmentum conicum, planum, acute marginatum, subtilissime rugulosum, nigrum; secundum ad medium rugosum, nigrum, apice et reliqua rufa; extremis obscurioribus, tertio basi

carinulato. *Terebra* uti brevis apicula prominet. *Pedes* antici toti laete rufi; postici rufi, femoribus tibiis, tarsorumque articulis apice nigris. *Alarum* nervi et stigma pallide fusca.

Prope *Berolinum* in horto botanico sero autumno cepit cl. *Klug*. Mas latet.

28. Microgaster *bicolor*.

M. niger, mandibulis, palpis, abdominis basi, pedibusque totis rufo-testaceis; segmentis iisdem abdominalibus subrugulosis, obsolete impressis; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum; alis hyalinis, nervis stigmateque pallidis. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* basin versus, subtus praecipue, rufescentes. *Abdomen* lineare, segmento primo in medio longitudinaliter elevato, obscuriore, subruguloso, marginibus depressis, acutis ventreque luteis; secundo basi late luteo, dorso vix oblique impresso, nitoris quidem experte, sed vix punctulato, apice, ut reliquis nigro. *Terebra* pilosa, apice subincrassata.

Cepi mense Majo prope *Sickershausen*. Vidi etiam in collectione ditissima cl. *Klugii*. Mas ignotus est.

29. Microgaster *circumscriptus*.

M. niger, palpis pedibusque rufo-testaceis, femoribus posterioribus margine interrupto, tibiisque posticis apice fuscis; abdominis immaculati segmento primo et secundo subrugulosis, impressis; terebra longitudine $\frac{1}{4}$ abdominis; alis hyalinis, nervis fuscescentibus, stigmate luteo. *Fem.*

Long. lin. 1. Statura praecedentis, sed brevior. *Palpi* soli pallidi. *Abdomen* lineis omnino ut in praecedente impressum, sed segmentis ipsis minus laevibus, unicoloribus, vix summo margine pallidiore, ventreque basi parum rufescente. *Terebra* satis conspicua, subclavata. *Femora* media margine postico a basi ad medium, antico margine apice parum fusco; postica postico margine fere integro, antico haud ultra $\frac{1}{4}$ ab apice, fuscis. *Tarsi* postici fusci, annulis angustis rufis. Pedes in universum breviores et validiores, quam in antecedente. *Alae* hyalinae, stigmate testaceo-lutescente pallido.

Cepi mense Octobre in Pimpinella Saxifraga (huic abdomen ad latera magis rufescens), et sub foliis deciduis prope *Sickershausen*. Marem non vidi.

30. Microgaster *difficilis.*

M. niger, pedibus piceo-testaceis, femoribus fuscis, plaga picea, vel rufis, posterioribus margine interrupto fusco, coxis nigris; abdominis immaculati segmento primo et secundo rugulosis planis; terebra longitudine ultimi segmenti; alis hyalinis, nervis pallidis, stigmate fusco. *Fem.*

Long. lin 1. Differt a praecedente: *antennis* validioribus; *pedibus*, femoribus praesertim, obscurioribus, *abdominis* primo secundoque segmento basi distincte rugulosis neque impressis, *terebra* ut brevi tenuique apicula prominente, *alis* angustioribus obscurioribus.

Berolini e Bombyce Caja prodiit *Klugio*, in cujus Museo examinavi. Mas latet.

31. Microgaster *obscurus.*

M. niger, palpis, tibiis omnibus, tarsisque anterioribus testaceis; abdominis segmento primo marginato, secundoque basi brevi spatio rugulosis; terebra longitudine fere abdominis; alis obscure hyalinis, nervis stigmateque fusco-nigris. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^1/_3$ — $2^1/_4$. Corpus pubescens, punctulatum. *Scutellum* convexum, laeviusculum. *Metathorax* rugulosus. *Abdominis* segmentum primum basi parum angustatum, planum, rugulosum, marginibus lateralibus ut linea acuta elevatis, in medio sulculus abbreviatus; segmentum secundum, spatio baseos $^1/_6$ circiter longitudinis totius segmenti sulco transverso separato ruguloso, caeterum, uti reliqua, laeve. *Terebra* subclavata. Venter unicolor. *Pedes* nigri; femoribus anticis apice, tibiis anterioribus totis, posticis basi, tarsisque anticis rufo-testaceis, his ungue nigro; mediis fuscescentibus; posticis nigris. *Alae* obscure hyalinae, unicolores.

Mas. Idem, *tibiis* mediis basi sola piceis, *abdomine* apice rotundato.

Cepi *feminam* mensibus Julio, Augusto et Septembre, in Selino Oreoselino sylvarum, in pratis, et in Bupleuro falcato locis montosis prope *Sickershausen*. *Mares* cum *feminis*, prope *Berolinum* captos, in Museo *Klugiano* vidi.

32. Microgaster *emarginatus.*

M. niger, palpis, femoribus apice tibiis tarsisque pallide testaceis, posterioribus apice fuscis; abdominis primo segmento marginato; terebra longitudine fere abdominis, gracili; alis lacteis, nervis stigmateque testaceis. *Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. Statura *Microgasteris lactei* n. 39, paulo minor. *Antennae* filiformes, longitudine corporis. *Caput* et *thorax* nigra, opaca. *Metathorax* parum rugulosus. *Abdomen* oblongum, depressum; primo segmento conico, plano, marginato, subtilissime punctulato-ruguloso; secundo ad $\frac{1}{3}$ longitudinis a basi ruguloso, impressione recta transversali notato, hinc cum reliquis laevi; ultimo obtuse emarginato. *Terebra* gracilis, longitudine $\frac{3}{4}$ abdominis, apice paulo crassior, compressa, decurva, pubescens. *Coxae*, *trochanteres* et *femora* nigra, haec apice, sed anteriora latius, rufa; *tibiae tarsique* rufa; tibiae posteriores saepe apice fuscae. *Alae* lacteae, nervis obsoletis, costa ante stigma, hoc ipso, et ramo descendente testaceis vel pallide testaceis, stigmatis nervo tamen obscuriori. Stigma plerumque puncto antico albo insigne.

Cepit cl. *Klug* prope *Berolinum*. Mas latet.

33. Microgaster *gagates*.

M. aterrimus, tibiis anticis, mediis basi, spinulisque posticis rufis; abdominis segmento primo subruguloso marginato postice, secundoque laevi, basi, transversim impressis; terebra decurva, longitudine $\frac{2}{3}$ abdominis; alis nigris. *Fem.*

Long. lin. 2. Ab omnibus congeneribus nigredine saturatissima, cum nitore lithanthracis differt. Statura corporis congeneribus respondet. Punctura subtilissima, nec densa. Pubescentia tenuissima, brevissima, nigra totum corpus tegit. *Caput* thorace angustius, punctis duobus impressis supra os; hypostomate subcarinato; fronte supra antennas retusa. *Os* totum nigrum. *Antennae* filiformes, corpore breviores, nigrae. Scutellum planiusculum, triangulare, apice subtruncatum, basi sulculo obsoleto discretum, sulco utrinque porcato, adjecta plaga laevissima, stipatum, ipsum laeve. *Metathorax* laevissimus, brevissimus, postice plano-declivis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, convexiusculum, laeve; primum segmentum late rectangulum, planum, basi transversali linea impressum, et cis hanc laeviusculum, trans eandem vero subtilissime punctulato-rugulosum, marginibus linea recta terminatis, lateribus inde declivibus, ante marginem posticum in angulum fracta linea angustata, impressum; secundum segmentum laeve, ad $\frac{1}{4}$ longitudinis linea subarcuata impressa, quae utrinque in foveolam triquetram terminatur, partitum, margine postico depresso; reliqua segmenta lae-

via, depressa. Venter compresso-gibbus, ater, laevissimus; lamina ventrali adpressa, brevi, fissa. *Terebra* pubescens. *Pedes* validi, atri; femoribus anticis apice, tibiis iisdem totis, mediis basi spinulisque posticis testaceo-rufis; tibiis posticis basi subpiceis; tarsis fuscis, posticis obscurioribus. *Alae* obscure nigricantes, nervis et stigmate nigris, litura parva albo-hyalina sub areola prima cubitali.

Cepi prope *Sickershausen.* Simillimum ejus exemplum etiam vidi in Museo *Klugiano.* Mas non notus.

34. Microgaster *sericeus.*

M. niger, obscurus, pube adpressa tenui tectus, palpis pallidis, tibiis anterioribus, posticisque basi, rufis; abdominis primo segmento, secundoque basi rugulosis et lineis impressis; terebra subexserta; alis hyalinis, stigmate cum ramo descendente nigro-fuscis, reliquis nervis pallide fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2. Pubescentia corporis subtilissima, adpressa, albido-cana. *Thorax* ante scutellum impressionibus duabus planis, obsoletis; sulcus antescutellaris impunctatus. *Scutellum* punctulatum, sulcis inferne duobus convergentibus porcatis, adjecta plaga laevigata, discretum. *Metathorax* rugosissimus. *Abdominis* segmentum primum marginatum, rugosum; secundum basi rugosum, lineis duabus convergentibus, latius distantibus, obsoletis impressum, postice, ut et reliqua, laeve, nitidum. *Pedes* nigri; femora anteriora apice, horum tibiae totae, posticae basi ad dimidium, tarsi omnes basi, rufa. *Alae* pure hyalinae, nitidae, nervis anterioribus, excepto ramo descendente, e fusco depallescentibus, nullo vero omnino discolore.

Mas, idem. *Tibiae* mediae apice et tarsi omnes latius fusca. *Pedes* postici multo magis elongati. *Abdomen* ano rotundato, lineolis impressis baseos segmenti secundi latioribus, antice subincurvis, hinc area interjecta magis conspicua, primi segmenti marginibus lateralibus latioribus, linea elevata interiori versus apicem cum altera oppositi lateris subconnivente.

Feminam cepi mense Octobre in Heracleo Sphondylio prope *Sickershausen.* *Mas* prodiit ex larvis Phalaenae cujusdam, in floribus Digitalis ambiguae habitantibus, die 25° Aprilis a. 1806. Cepi etiam mense Septembre in Pastinacca prati, prope *Sickershausen,* et aliud exemplum

Gravenhorstius noster monstravit captum *Brunsuigae* in Pruno, inter Aphides.

Varietas:

β. Statura paulo minore (long. lin. 1—1½); *tibiis* mediis nigris, basi brevi spatio, posticis totis fere nigris, et vix basi rufescentibus. *Mas. Fem.*

Marem prope *Sickershausen* cepi; etiam *Marem* cum *femina*, vix linea longiores, prope *Berolinum* captos, in Museo *Klugiano* vidi.

35. MICROGASTER *sessilis Spin.*

M. niger, nitens; palpis, tibiis, tarsisque anterioribus testaceis, tibiis posticis apice fuscis; abdominis primo segmento marginato, secundoque basi rugulosis; terebra non exserta; alis albis, stigmate cum ramo descendente nigris, reliquis nervis decoloribus.

SYNON. *Microgaster sessilis Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 148. *n.* 4.

Ceropales sessilis Fabr. S. Piez. p. 187. *n.* 8.

Evania sessilis Fabr. Ent. Syst. II. p. 194. *n.* 4. *Coqueb. Illustr. I. tab.* 4. *fig.* 8.

Var. *γ. Ichneumon subcutaneus Lin. Syst. nat. II. p.* 946. *n.* 71. *Faun. Suec. n.* 1641. *Fabr. Ent. Syst. II. p.* 178. *n.* 227.

Vipio subcutaneus Fallén (fide mus. Klug.).

Diplolepis subcutanea Fabr. S. Piez. p. 152. *n.* 20. *Degeer Ins. I. p.* 35. *tab.* 30. *fig.* 21.

Der Hautschänder. Müll. Nat. Syst. V. 2. *p.* 86. *n.* 71.

Long. lin. 1½. Scutellum ut in praecedente. *Metathorax* punctulato-rugulosus, sulculo medio abbreviato. *Abdominis* segmentum primum late sessile, marginibus acutis, linea submarginali elevata, vix conspicua, in medio obsolete carinatum, carinula in partem anticam rugulosam segmenti secundi continuata, ibidemque distinctiori. Campus rugulosus secundi segmenti ⅓ totius longitudinis occupat, margine acuto, postice sulco transverso limitatus. *Femora* anteriora apice testacea, antica latiori spatio; tarsi postici fusci, basi pallidi; medii apice paulo obscuriores. Unguiculi nigro-fusci. *Alae*, ut in specie sequente.

Mas. Abdominis segmento secundo toto fere ruguloso, et reliquis opaco. Ventris carina obsoleta, apice clausa, quae in femina dehiscens, terebram ejusdem longitudinis ostendit. *Tibiae* mediae interdum fuscescentes.

Cepi *feminam* mense Aprile in Corylo horti et mense Julio in dumetis prope *Sickershausen*. *Marem* Majo, Julio et Octobre mensibus inter frutices et in floribus variis. Vidi etiam marem in Museo Klugiano, prope Berolinum captum.

V a r i e t a t e s:

β. *Femoribus* mediis apice latius rufis, posticis plaga media rufescente notatis. *Mas. Fem.*

γ. Long. vix lin. 1. *Terebra* paulo distinctior, sed anum non superans.

Larva in larvis subcutaneis v. c. *Tineae* Ragellae, habitat prope *Sickershausen*. Prope *Berolinum* cl. *Klüg* legit *feminam*.

36. Microgaster *albipennis*.

M. niger, nitidus; palpis, tibiis anticis totis, posterioribus basi, tarsisque anticis rufis; abdominis segmento primo marginato, secundoque versus basin transversim impressis; terebra longitudine fere abdominis; alis albis, stigmate nervoque descendente nigris, reliquis decoloribus. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1½. *Metathorax* laevis. *Abdominis* segmentum primum subrugulosum, basi magis attenuatum, quam in antecedente, linea utrinque recta elevata; secundum laeviusculum, linea transversa subarcuata prope basin impressum; reliqua segmenta laevia. *Terebra* subclavata. *Femora* anteriora (antica latius) apice rufa. *Tibiae* posteriores basi brevi spatio rufae; *tarsi* iidem nigro-fusci, annulis tenuissimis rufis. *Alae* pulchrae, ex hyalino albae, nervis omnibus concoloribus (in nonnullis tamen tinctura quadam subtestacea, in prima anastomosi praecipue eminente conspicuis), solo stigmate cum ramo descendente nigris.

Mas. Idem omnino. Lineae laterales elevatae segmenti primi abdominis minus distinctae; *antennae* validiores; stigma paulo pallidius.

Cepi *marem* et *feminam* mensibus Junio et Octobre locis apricis sylvaticis prope *Sickershausen*. In Museo *Klugiano masculi* et *feminei* sexus exempla adsunt, prope *Berolinum* et *Regiomonti* capta.

V a r i e t a t e s:

β. *Femoribus* anticis et trochanteribus iisdem totis rufis. *Fem.*

Observatio:

Varietas haec magnitudine, abdominis laevioris nitore, terebraeque forma *Microgasteri falcato* quodammodo accedit. Femora posteriora plaga media longitudinali rufa signata.

Cepi Majo et Junio mensibus prope *Sickershausen* in hortis. Vidi etiam in coll. *Desmarestiana.*

β. Structura corporis et terebra ut in reliquis, sed differt: *ore* fusco, *abdominis* segmentis anterioribus simili quidem modo impressis, sed obscurioribus et distinctius rugulosis; reliquo abdomine itidem opaco, punctulato, et subpubescente; *pedibus* totis nigro-fuscis, solis tibiis anticis basi distincte testaceis, posteriorum basi parum rufescente. *Alarum* nervis magis conspicuis. *Mas.* (An species distincta?)

Cepi pro *Sickershausen*; cl. *Klug* prope *Berolinum*; cl. *Gravenhorst* Junio mense in *Monte Bructero.*

37. Microgaster *impurus.*

M. niger, nitidus, palpis tibiis anticis totis, posterioribus basi tarsis anticisque piceis; abdominis segmento primo marginato secundoque versus basin transversim impressis; terebra longitudine dimidii abdominis; alis sordide albis, stigmate fusco, nervo descendente testaceo. *Mas. Fem.*

Long. vix $1\frac{1}{4}$ lin. A praecedente, cui admodum similis, differt, praeter characteres in definitione exhibitos: *abdominis* primo segmento basi latius sessili, *tibiisque* posticis basi latiori spatio rufis.

Cepi complures *mares* et *feminas* prope *Sickershausen*, Majo et Augusto mensibus in hortis, dumetis, praesertim in Umbellatarum floribus; cl. *Klug Berolini*, mense Julio in floribus *marem* et *feminam.*

39. Microgaster *lacteus.*

M. niger, palpis, tibiis tarsisque anticis, tibiisque posterioribus basi, pallide testaceis; abdominis primo secundoque segmento laeviusculis, illo marginato, hoc basi impresso; terebra longitudine abdominis; alis lacteis; costa ante stigma, hoc ipso, ramoque descendente pallide-testaceis, costa apicis nigra. *Fem.*

Long. lin. $2\frac{1}{4}$. *Mandibulae* tenues, acutae, fere edentulae. *Abdominis* structura ut in praecedente; lineae submarginales elevatae primi segmenti minus distinctae, apice

conniventes, fossula exterius adjacente satis profunda, laevi; sulcus transversus secundi segmenti basi proximus, utrinque sulculum, antice conniventem cum opposito, brevem emittit. *Terebra* subfalcato-decurva, compressa, obtusa, apice crassior. Carina ventralis lanceolata, terebram ultra anum vaginans. *Pedes* ut in praecedente; tibiae vero pallidiores, et posteriores a basi ad medium testaceae. Unguiculi nigri. *Alae* purissimae, nervis nudo oculo inconspicuis, sola costa cum flexura, stigma formante, ramoque descendente testaceis; area stigmatis ipsa pallidiore. Pone hoc radius ater, nec tamen apicem alae attingit.

Cepi mense Julio in dumetis prope *Sickershausen*; cl. *Klug* prope *Berolinum*. Marem non vidi.

? 40. Microgaster *rugosus*.

M. niger, obscurus, punctatissimus; antennis rectis setaceis; abdominis convexi, incurvi, basi, rugosissimi cingulo medio, ano pedibusque rufis; alis obscure hyalinis. *Mas.*

Long. lin. 3. *Caput* parvum; fronte elongata, convexa, valde declivi, supra labrum utrinque puncto profunde impresso, nigrum, punctulatum, pubescens. *Mandibulae* minutissimae, apice incurvae, bidentatae, dentibus aequalibus acutis. *Antennae* validae, longitudine corporis, setaceae. *Thorax* niger, punctulatus, pubescens, a latere compressus; lobo antico brevi, indistincto; medio gibbo, lineis duabus impressis, ante scutellum acute concurrentibus; scutello sulco profundo baseos discreto, obtuso. *Abdomen capite thoraceque paulo longius*, sessile, convexum; primo segmento planiusculo, rugosissimo, bicarinato, nigro; secundo basi rugoso, nigro, lateribus dimidioque postico rubro-piceis, utroque campo serie punctorum impressorum discreto, macula marginis postici lata nigra; reliquis segmentis punctulatis, brevioribus, incurvis, tertio toto nigro, lateribus parum picescentibus, quarto nigro, margine, quinto toto rubro-piceis, sexto piceo-fusco. *Coxae* et *trochanteres* nigra; coxae posticae validae, conicae. *Pedes* rubro-picei; postici ab anterioribus remoti, elongati, saturatiores, femoribus compressis subclavatis tibiisque apice, tarsisque iisdem totis, nigris. *Alae* obscurae, stigmate magno, nigro. Areola radialis una, oblongo-lanceolata, brevis, nervo valido circumscripta; areolae cubitales duae, obliquae, prima satis magna subquinquangulari nervum recurrentem excipiente, secunda apicem attingente postice di-

latata, subdivisa nervo ex areola radiali orto, mox abrupto et areolam mediam satis magnam triangularem sessilem inchoante, qua nota a reliquorum Microgasterum typo valde aberrat haecce species.

Unum idemque *masculini* sexus individuum singularis hujus speciei die 3. Augusti 1809 in dumetis prope *Sickershausen* cepi. Quod cum infausto casu in collectione denique periisset, occasio defuit in characteres genericos inquirendi. Dedimus itaque descriptionem ad vivum factam, ulteriora tempori relinquentes.

GENUS XIV.
BLACUS.

βλάξ iners, terminatione arbitraria.

N. ab E. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 306. n. XII. Gravenh. Ichn. Eur. I. p. 54. Bracon Fam. I. Species heteroclitae II. B. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 19 seqq.

Caput transversum, vertice lato rotundato. *Prothorax* brevissimus. *Abdomen* longitudine thoracis, compressum, apice oblique truncatum, primo segmento rectangulo. *Areolae cubitales* duae, vel una effusa; *area disci* interna incompleta. *Terebra* exserta, ascendens.

Antennae apice moniliformes, *maribus* viginti et uno articulis, *feminis* sedecim vel octodecim vel viginti duobus articulis constantes. *Mandibulae* infirmae, apice fissae. *Palpi maxillares* quinque-articulati, filiformes, *labiales* triarticulati, articulo tertio clavato, hinc quasi capitati.

Species parvae, habitu corporis satis conformi, de quo plura videas sub sectionibus singulis.

SECTIO I.

Areolis cubitalibus duabus, prima maxima, pentagona.

Antennae feminae, octodecim articulis compositae, primo (ultra radiculam) longiori crassiori, secundo breviori crassitie praecedentis, tertio longissimo; tum quarto ad octavum paulo brevioribus, filiformibus, subaequalibus, re-

liquis multo brevioribus, subglobosis, distinctis, unde antennae apice fere moniliformes. *Maris* antennae viginti et uno articulis, sensim longitudine decrescentibus, omnibus oblongis, aut cylindricis, villosis, ultimo acuto. *Abdomen* a dorso visum, sublineare, sessile, postice a latere compressum; segmento primo plano, ad basin sensim parum angustiori et fere rectangulo; reliquo dorso plano; ventre ante anum, ubi ex emarginatura *terebra* prodit, gibbo; hinc apex abdominis fere recta truncatus, et a latere visus, in medio emarginatus. *Alarum* areola cubitalis secunda interne perfecte clausa.

1. Blacus *errans.*

Bl. niger, ore pedibusque anterioribus rufis, posticis piceis; terebra longitudine $^{3}/_{5}$ abdominis subcompressi oblongi.

Synon. *Bracon errans N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 19. *n.* 25.

Long. lin. $1^{1}/_{2}$. *Mandibulae labrum* et *palpi* piceo-rufa. *Abdominis* segmentum primum subconicum, rugulosum, basi obtuse carinatum. *Alae* obscure-hyalinae, nervis et stigmate pallide-fuscis. *Mas. Fem.*

Mas. Alae dilutiores; *abdomen* subspathulatum.

Cepi individuum *femineum* mense Julio ad parietes umbrosos prope *Sickershausen*. *Marem* mense Septembre ibidem.

Varietas:

β. Pedibus pallidioribus. *Fem.* Cum praecedente.

2. Blacus *longipennis.*

Bl. fusco-niger, capite obscure-piceo, antennis basi, ore pedibusque totis testaceis; terebra longitudine abdominis lineari-falcati; metathorace postice bidentato. *Fem.*

Synon. *Ophion longipenne Gravenh. Verz. p.* 268. *n.* 3796 (*Fide exempli, in Museo Gravenhorstiano asservati.*)

Long. lin. $1^{1}/_{2}$. *Caput* paulo crassius quam praecedentis, obscure piceo-rufescens, punctulatum; vertice lato, planiusculo; *palpi* luteo-testacei; *mandibulae* ejusdem coloris, tenues, apice nigrae. *Antennae* validiores, quam in ulla alia specie hujus generis, longitudine vix dimidii corporis, luteo-testaceae, apice obscuriores. *Thorax* niger, immaculatus. *Metathorax* satis productus, dorso planiusculus, rugulosus, linea elevata

notatus, apice profunde retusus, quo anguli superi laterum, forma dentis obtusi compressi, elevantur. *Abdomen* a dorso omnino lineare; primo segmento longo, punctulato, marginibus lateralibus acutis, pallidis; reliquis segmentis laevibus, nitidis, valde compressis, unde totum abdomen a latere triangulum, apice late truncato; *terebra* acuta, picea, longitudine abdominis. Pedes toti pallide lutei. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate pallide testaceis.

Patria: Germania; sed propiora circa locum natalem nobis non constant. Mas ignotus.

3. Blacus *humilis.*

Bl. niger, ore pedibusque testaceis; terebra longitudine dimidii abdominis lineari-compressi. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon humilis N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 19. *n.* 26. *tab.* 1. *fig.* 4. *a, b, c.*

Long. lin. 1. *Mandibulae* testaceae; *palpi* pallidiores. *Antennae* subfuscae, longitudine dimidii corporis, articulis primo et secundo nigris. *Abdominis* primum segmentum subrectangulum, lateribus marginatum, dorso medio obtuse gibbo, ruguloso. *Terebra* picea. *Alae* ut in praecedente.

Mas. Idem omnino. Genitalia ex apice truncato abdominis prominent. *Antennae* longitudine corporis, pubescentes.

Individua utriusque sexus Septembre et Octobre mensibus prope *Sickershausen* cepi in ollis hortorum locis umbrosis, sub foliis plantarum humilium, v. g. Digitali, Lobelia etc.; tum vero et sub foliis deciduis et in fenestris cubiculi semel; mense Majo in Syringa horti inveni. Est e vulgatioribus, et semper fere gregarius offenditur.

4. Blacus *exilis.*

Bl. niger, pedibus testaceis, palpis pallidiusculis; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum abdominis lineari-oblongi compressi. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon exilis N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 19. *n.* 27.

Long. lin. ½. Praecedenti statura simillimus, sed minor. *Antennae* articulis inferioribus, ratione reliquorum, minus elongatis. *Mandibulae* nigrae; *palpi* fusco-pallidi. *Abdominis* structura omnino, qualis in illo, sed *terebra* brevior. *Coxae*, posteriores saltem, basi late fuscae, *femora* quoque postica in medio obscuriora. *Tarsi* apice fusci. *Alae* ut in praecedente.

Mas. Idem omnino. Coxis posticis magis nigris.

Habitat iisdem cum illo locis. *Marem* et *feminam* etiam cepi mense Julio in Anetho graveolente horti prope *Sickershausen.*

SECTIO II.

Areola cubitali una effusa; nervo recurrente nullo.

Alae cuneiformes, obtusae, hyalinae. *Areolae brachiales* tres; exteriori maxima, obconica; interioribus lineari bus, angustis, subaequalibus, exteriorem superantibus; stigma in media costa magnum, triquetrum, antrorsum angustatum. *Areola radialis* maxima, ovata, nervo ex medio stigmate orto antrorsum definita, eoque apicem versus subevanescente mox minus conspicua, in apicem effusa. *Areola cubitalis* una, nervo, ubi stigmatis attenuati apex antrorsum desinit, radiali ramo parallelo antrorsum et introrsum circumscripta, demum obsoleta, in alae apicem effusa. *Areolae mediae* duae; anteriori ad ortum areolae cubitalis, isti subjecta, completa, trapeziformi; posteriori huic imposita, elongata, effusa, obsoleta. *Labium* truncatum. *Palpi maxillares* filiformes, longi; articulis tribus posterioribus longioribus subaequalibus.

Habitus praecedentium. *Antennae* filiformes, graciles, articulis sedecim aut viginti duobus; primo (radicula) brevissimo; secundo et tertio subaequalibus, brevibus, ovatis; reliquis elongatis, decrescentibus, exterioribus subovatis, quarto longissimo. *Caput* subrotundatum; vertice obtuso; hypostomate angustiori, subcarinato. *Mandibulae* angustae, bifidae. *Thorax* ovatus, compressus. *Metathorax* brevis, convexus, postice subtruncatus eodemque margine parum elevato. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, lineari-subfalcatum; primo segmento subrectangulo, prope basin utrinque angulato, planiusculo; reliquis subaequalibus, ultimis parum compressis. Venter basi concavus. *Terebra* brevis, validiuscula, ascendens; valvula ventrali naviculari, ultra anum prominula, ad apicem usque fulcrata. *Abdomen* maris magis planum, lineare, ano rotundato. *Pedes* tenues.

5. Blacus *discolor.*

Bl. testaceus, antennis (basi excepta), vertice et occipite, thoracis metathoracisque dorso, terebra et unguibus nigris; antennis articulis viginti duobus. *Fem.*

Long.

Long. lin. 1. *Antennae* subsetaceae, corpore parum breviores, nigrae, articulis primo — tertio laete testaceis. *Thorax* et *metathorax* supra alas nigri, cum fuscedine, quae infra sunt testacea, ad piceum vergentia. *Abdominis* primum segmentum paulo brevius secundo, dorso subrugosum et paulo obscurius; segmenta reliqua laevia. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate pallidis. *Pedes* pallide rufi.

Cepi *feminam* prope *Sickershausen*; *marem* non vidi.

6. Blacus *angulator.*

Bl. ater, ore abdominisque obovato-oblongi segmento secundo piceis, pedibus piceo-rufis, coxis posticis fuscis; abdominis primo segmento ruguloso, basi utrinque obtusangulo; antennis viginti duobus articulis. *Mas.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Primo segmento *abdominis* breviore, longitudine sua parum angustiore, basi utrinque in angulum validum, obtusum prominente satis distinctus.

Antennae ut in praecedente, sed firmiores, corpore parum breviores, nigro-fuscae, articulis primo et secundo nigris. *Hypostoma* paulo latius, punctis duobus infra antennas impressum. Clypeus impressione transversali discretus. *Mandibulae* et *palpi* piceo-rufa. *Metathorax* et *abdominis* primum segmentum subtilissime punctulato-rugulosa, hoc basi paulo latius apice, et angulo evidentissimo conspicuum, nigrum; segmentum secundum a basi apicem versus recta dilatatum, primo duplo longius, laeve, piceum; reliqua segmenta multo breviora, fusca. *Abdominis* circumscriptio itaque potius obovato-cuneiformis describenda. *Pedes* piceo-rufi, postici saturatius colorati. *Alae* cinerascenti-hyalinae, nervis fuscis; stigmate pallido.

Cepi *marem* prope *Sickershausen*; *femina* mihi ignota.

7. Blacus *emacerator.*

Bl. niger, ore (antennarum articulo tertio) pedibusque piceo-testaceis, coxis posticis fuscis; abdominis segmento primo (et secundo in mare) plus minus rufescente; antennis sedecim-articulatis (fem.) vel articulis viginti et uno (mas). *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Statura omnino praecedentis. *Antennae* longitudine dimidii corporis, articulis magis discretis et paulo brevioribus; tertio determinate testaceo. *Hypostoma* distinctius carinatum, et punctis duobus supra clypeum impressum. *Abdominis* forma eadem omnino;

primo segmento rectangulo, sordide piceo, subruguloso, basi utrinque angulato; reliquis nigris. *Pedes* paulo validiores. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate pallidis.

Mas. *Antennis* longioribus (fere corporis longitudine), articulis viginti et uno, tertio breviore concolore. *Abdominis* segmentis primo et secundo fere testaceis.

Cepi *marem* cum *femina* in quercu, mense Augusto, prope *Sickershausen.*

II.

MONOGRAPHIA

ICHNEUMONIDUM ALYSIOIDEORUM.

ICHNEUMONIDES ALYSIOIDEI.

Ichneumonides adsciti Lin. II. Bassi, N. ab E. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 306. *Berl. Mag. VI. p.* 200. *Gravenh. Ichn. Europ. I. p.* 54. — *Braconum spec. quaedam N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 13. *sqq. et* 21. *sqq.*

Palpi maxillares sexarticulati, labiales tri- vel quadri-articulati. *Corpus* coactum. *Caput* crassum. *Abdominis* segmenta anteriora saepe majora. *Areolae cubitales* utplurimum tres, media ampla quadrangulari.

Palporum constructio omnibus, quoad articulorum numerum, eadem; forma singulorum in singulis generibus diversa. *Mandibulae* plerisque firmiores, quam in Braconibus, in quibusdam dilatatae. *Oris fabrica* aliis alia, nunquam prolongatione partium insignis. *Antennae* (ut in Ichneumonidibus Braconoideis), concolores, in una specie, *) Ichneumonidum genuinorum solito more, albo annulo cinctae (in femina). *Caput* latum, crassum in plurimis. *Corporis* statura firmior, *abdomine* ut plurimum sessili, rarius basi in petiolum contracta brevem. Segmentorum abdominis numerus, re quidem vera idem in omnibus Ichneumonidibus, aucta magnitudine anteriorum ad speciem denique absumitur, tribus in aliis, vel unico tantum in *Chelono* Genere quibusdam speciebus, conspicuis. *Terebra* plurimis exserta. *Pedes* subaequales, validiusculi. *Alae* plerisque hyalinae, raro coloratae. *Areolae cubitales* plerumque tres, iisdem Braconum areolis similes; in paucis duae. Sunt etiam species apterae.

*) *Helcon annulicornis.*

S Y N O P S I S

GENERUM ICHNEUMONIDUM ALYSIOIDEORUM.

A. Palpis labialibus quadri-articulatis.

† Mandibulis bifidis vel subtruncatis.

* Abdominis segmentis distinctis.

a. Vertice angusto, abdomine thorace longiore, tribus segmentis anterioribus majoribus. . . . . Gen. I. *Rogas* N. ab E.

b. Vertice angusto, abdomine longitudine thoracis, primo segmento longiore . . . . Gen. II. *Cardiochiles* N. ab E.

c. Vertice lato plano, abdominis primo segmento longiore, mandibulis validis . . . . Gen. III. *Helcon* N. ab E.

d. Vertice lato planiusculo, abdominis tribus segmentis anterioribus majoribus, mandibulis submembranaceis. . . . . Gen. IV. *Eubadizon* N. ab E.

†† Mandibulis trilobis vel tridentatis: . . . . . . Gen. V. *Alysia* Latr.

** Abdomine cataphracto: . . . . Gen. VII. *Chelonus* Jur.

B. Palpis labialibus triarticulatis: Gen. VI. *Sigalphus* N. ab E.

GENUS I.
ROGAS.

a ῥωγή, rima, ob abdominis sculpturam.

N. ab E. Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 306. *n. I. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 54. *Encrobius Marklin. ined. Bracon specc. Fam. I. et III. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 13. *sqq. et* 30. *sqq. Bracon Sect.* 2. *Spin.*

Caput transversum, vertice angusto, oculis prominulis. *Abdomen* thorace longius, sessile, planum, plerumque rimosum; tribus anterioribus segmentis majoribus, primo subrectangulo basi paulo angustiori. *Areolae cubitales* tres, secunda magna quadrangulari. *Pedes* graciles. *Terebra* recta, aliis longe exserta, aliis recondita.

Antennae setaceae, longae, multi-articulatae, apice saepe hamatae. *Mandibulae* angustae, apice bidentatae. *Maxillae* bifidae, lacinia exteriore rotundata. *Labium integrum. Palpi maxillares* longi, filiformes, sex-articulati; *labiales* quadri-articulati, articulo tertio subsecuriformi.

Character naturalis (a *Roga annulicorni* derivatus).

Antennae articulis plurimis cylindricis arcte contiguis, apicem versus sensim sensimque et longitudine et crassitie decrescentibus. *Clypeus* brevis, convexus, subemarginatus. *Mandibulae* tenues, lineares, arcuatae, basi hiantes, apice bifidae; dentibus acutis, inaequalibus, infero duplo breviore. *Labrum* triangulum, membranaceum, inflexum, acuminato-setaceum. *Maxillae* longitudine labii idque amplectentes, tenues, submembranaceae; *stipes* angustus, subrectangulus, compressus, latere infero lineari convexiusculo laevi glabro; *mala* stipitis longitudine, bipartita: lacinia exteriore superiore obovato-spathulata, marginibus superiore et interiore magis pellucentibus, illo et exteriori ciliatis, disco exteriore ad totius laciniae effigiem opaciore, basi coangustata; interiori lacinia magis infera, minore membranacea, ovata, oblique superioris basi incumbente.

Palpi maxillares mala plus triplo longiores, filiformes, incurvi, pubescentes, sex-articulati; articulis valde inaequalibus, primo brevi obconico clavato truncato, secundo omnium brevissimo cylindrico apice oblique truncato, ter-

tio subangulato compressiusculo subcultrato, seu potius introrsum magis dilatato et basi oblique angustato, crassiori, reliquis cylindrico-filiformibus elongatis, quarto subrecurvo. Ratio longitudinis 4/5, 6, 3, 2, 1.

Labium: mentum subcoriaceum, ovatum, convexiusculum, glabrum, laeve, apice rotundato-angustatum et in medio emarginatum; *lingua* menti fere longitudine, sed duplo fere latior, membranacea, rotundato-dilatata, integerrima, margine supero semicirculari ciliato, subtus cucullato-concava.

Palpi labiales lingua plus duplo longiores, filiformes, rectiusculi, subpilosi, quadri-articulati; articulis valde inaequalibus, primo obconico brevi teretiusculo, secundo et tertio compressiusculis obconicis (tertio potius obovato) et introrsum angulo supero magis prominulis, quarto denique duorum praecedentium longitudine cylindrico basi parum angustato, apice obtuso, in medio extrorsum parumper curvo.

Habitus corporis secundum tres, quas proponimus, sectiones aliquantum diversus. Corpus in universum subangustum, vel etiam fere lineare. *Antennae* longae, graciles. *Alae* amplae, nitentes, hyalinae.

Color niger, vel rufus, abdomine vel concolore, vel segmentis quibusdam rubedine distinctis.

SECTIO I.

Bracon. Fam. I. Species genuinae b. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 13. sqq.

Abdomen lineare, capite thoraceque longius. *Nervus recurrens* primae areolae cubitali insertus. *Terebra* longa.

Statura gracilis et satis elegans. *Antennae* longitudine corporis, graciles. *Palpi* maxillares praelongi. *Abdominis* segmenta tria anteriora planiuscula, minus nitida, subtilissime punctulata, aut rugulosa, majora, quarto et quinto abrupte decrescentibus. *Terebra* elongata. *Pedes* tenues, elongati. *Alae* hyalinae.

1. Rogas *linearis.*

R. luteo-testaceus, macula verticis nigra; abdomine lineari, sessili, basi obscuriore; terebra corpore longiore; alis hyalinis, stigmate pallido. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon linearis N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 13. *n.* 15.

Long. lin. $2\frac{1}{2}$. *Corpus* pubescens. *Antennae* graciles, corpori concolores. *Metathorax* in aliis concolor, in aliis maculis sparsis obsoletis fuscis sub scutello notatus, vel obscurior, immaculatus. *Abdomen* vel totum pallidum, vel dorso interrupte-obscurius tinctum.

Mas Idem. *Antennae* nigrae, articulis baseos luteis; alarum nervis nigro-fuscis. *Metathorax* obscurus.

Variat:

α. Major; long. lin. $2\frac{1}{2}$.

β. Minor; long. lin. $1\frac{3}{4}$.

Varietatis α., majoris *femina* prodiit die 28° Junii anno 1806 ex larva N. Trapezinae; die 16° Junii alterum specimen in horto cepi; denique die 22° ejusdem mensis Julii duo individua, in ipso nido suo emortua inveni; folliculi scilicet duo oblongi, membranacei, una cum *Forficulae auriculariae* cadavere integumento laxo, sed denso, membranaceo-sericeo, cinerascente, inclusi, inter duo foliola Coluteae arborescentis, filis ipsius integumenti contractis, latitabant, iisque alterum individuum jam casu necatum, alterum nuper exclusum, vix alis explicatis, inhaerebat. Haec exempla corpore erant omnino concolore. *Marem* hujus varietatis mense Julio in sylvaticis prope *Sickershausen* cepi.

Varietatis β. duo individua, *marem* et *foeminam*, misit cl. *Menzinger*, *Friburgensis*. *Femina* prodiit e folliculo forma ephippii, antice foramine orbiculari aperto, postice gibbo obtuso prominulo, subtus plano, colore fusco, fasciis duabus transversis albis notato. *Maris* folliculus forma omnino grani secalini, subfuscus, laevis, membranaceus.

Adnotatio:

A *Bracone rubricatore* Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 108. n. 6., quocum confundi posset, satis distat.

2. Rogas *annulicornis*.

R. luteo-ferrugineus, antennis fusco-annulatis, macula verticis abdominisque lineari-subdilatati dorso fuscis; stigmate testaceo. *Mas.*

Long. lin. $4\frac{1}{2}$. *Antennae* magnitudinis habita ratione, multo validiores, quam antennae praecedentis, corpore longiores, exacte setaceae, apice incurvae, articulis omnibus apice extremo fusco, unde fusco-annulatae apparent. *Mandibulae* apice piceo-fuscae. *Thorax* concolor, nitidiusculus, laeviusculus; metathorax dorso postico obsolete

reticulatus, nec laevis, marginibus lateralibus postica versus subcarinatis. *Abdominis* primum segmentum rufum, seu fuscescens, lineare, basi depressum, hinc utrinque denticulo obtuso auctum, dorso rimuloso obsolete bicarinato; reliqua segmenta laevia, dorso fusco, margine piceo; secundi marginibus lateralibus tenuissime luteo septis. *Venter* carinatus, pallidus, postice obscurior, compressiusculus. Anus obtusus. *Pedes* corpori concolores; femoribus tibiisque posticis paulo saturatioribus; tarsis iisdem medio depallescentibus, ungue fusco. *Alae* praecedentis; nervis fuscis, stigmate oblongo, pallido, nec puncto fusco notato.

Misit cl. *Gravenhorst*, *marem*, prope *Gottingam* captum. Ipse marem in Pruno Pado semel inveni, prope *Sickershausen* die 14. Maji a. 1814, *tempore* vespertino.

Adnotatio:

Transitum a praecedente ad sequentem indicat.

3. Rogas *chlorophthalmus.*

R. luteo-testaceus, pubescens, antennis obscurioribus; abdomine falcato, segmento secundo marginato; terebra non exserta. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon chlorophthalmus Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 133. *n.* 21.

Long. lin. 3. Statura omnino *Ophionis lutei*, nisi quod abdomen paulo latius sessile. Color testaceus, minus nitidus. *Caput* thorace fere latius, oculis stemmatibusque fuscis. *Antennae* longitudine corporis, apicem versus fuscae. *Metathorax* aequalis, convexus. *Abdomen*, a dorso visum, fere lineare, a basi ad apicem paulo dilatatum, postice valde compressum, deorsum dilatatum et re vera falcatum, terebra ascendente, pressione solum modo detegenda; primum segmentum in nonnullis basin versus obsolete sulcatum; secundum segmentum, postice praesertim, marginatum. *Pedes* anteriores, ut et palpi, flavescentes, postici colore corporis, femoribus subclavatis. *Alae* hyalinae, nervis fuscis, stigmate luteo.

Observatio:

Margines secundi segmenti abdominis in aliis minus discreti, tamen discernendi.

Mas, feminae simillimus, differt: ventre sub ano minus tumido.

Ex Italia a cl. *Bonellio* mihi individua feminea et mascula communicata sunt, prope *Taurinum* capta. In mon-

tibus *Orerii* unicum individuum fem. captum. (Spin.) Cl. *Dahl* prope *Viennam* et prope *Friburgum* cl. *Menzinger* ceperunt.

Varietas:

β. Stigmate paulo obscuriore, colore saturatiore. *Fem.*

Amiciss. *Gravenhorst* e *Silesia* transmisit, Julio mense prope *Scheidnich*, villam Vratislaviae vicinam, in gramine captum.

4. Rogas *pallipes.*

R. niger, pubescens, palpis, antennarum articulo primo, coxis trochanteribusque dilute flavis; ventre basi et pedibus luteis; terebra corpore longiore; alis hyalinis, nervis stigmateque pallide fuscis. *Fem.*

Synon. *Bracon pallipes N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 14. *n.* 16.

Long. lin. 2. *Antennae* corpore longiores, primo articulo crasso. *Abdomen* lineari-elongatum, apice subcompressum; segmentis tribus anterioribus majoribus, rugulosis; tertio lateribus rufescente. *Terebra* ferruginea, valvulis nigris.

Cepi mense Augusto in Pastinacca horti, prope *Sickershausen.*

Varietas:

β. Ventre basi concolore. *Mares* non vidi.

5. Rogas *infirmus.*

R. niger, pubescens, antennis breviusculis, mandibulis, palpis, pedibus totis, terebraque corpore longiore testaceis; abdomine lineari-subclavato, apice compresso, segmento secundo et tertio sordide piceis; alis hyalinis, nervis stigmateque luteis. *Fem.*

Long. lin. 2¼. A praecedente, cui admodum similis est, differt praecipue: *antennis* corpore brevioribus, validiusculis, articulis brevibus, cylindricis, testaceis, ultimis obscurioribus; *abdomine* postice paulo latiore, et magis compresso; segmento primo secundoque obsolete rimulosis, hoc postice et reliquis omnibus laevissimis. Color abdominis, nudo oculo adspecti, fusco-niger, segmentis anterioribus margine sordide rufescentibus; oculo armato vero segmentum secundum et tertium sordide piceo-rufa apparent. Venter basi late rufescit. *Femora*, quam in reliquis hujus sectionis, validiora, subclavata.

Misit cl. *Gravenhorst*, a cl. *Menzinger*, *Friburgensi*, sibi communicatum. Mas adhuc latet.

6. Rogas *thoracicus*.

R. niger, palpis pedibusque totis pallide luteis, thorace sordide rubro, dorso obscuriore; abdominis linearis subhamati segmento secundo striolato basi marginato; terebra corpore longiore.

Synon. *Bracon thoracicus N. ab E. Berl. Mag. V p.* 14. *n.* 17.

Long. lin. $3\frac{1}{4}$. Statura sequentis, a quo differt: *coloribus*, *segmento secundo abdominis* basi ultra medium, nec toto, marginato, *magnitudine*, *pedibus* totis pallidis. — *Antennae* corpore longiores, totae nigrae. *Alae* hyalinae, nervis fuscis; stigmate testaceo.

Cepi feminam inter frutices locis apricis editioribus, mense Septembre prope *Sickershausen*. Mas ignotus.

Observatio:

Descriptio *Braconis collaris* Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 140. n. 13. 14. huic quodammodo competit, sed ille *minimus*, long. lin. $1\frac{1}{2}$, nec nostro pectus postice nigrum.

7. Rogas *nidulator*.

R. ater, nitidus, palpis piceis, pedibus rufis, coxis trochanteribusque anticis, posteriorum apice infero, tibiis tarsisque posticis nigris; abdomine lineari-subclavato, segmento secundo laevissimo, lateribus marginato; terebra corpore longiore. *Mas. Fem.*

Long. lin. $3\frac{1}{2}$. Statura praecedentis, a quo differt: *abdomine* breviore et latiore; segmento secundo laevissimo, nec striolato; *thorace* concolore; *pedibus* saturatius rufis, coxis et trochanteribus anticis totis, posterioribus subtus apice plus minusve nigris. — Tibiae et tarsi postici nigra; illae basi rufae. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Mas feminae simillimus. Long. lin. $2\frac{1}{2}$.

Habitat *Helmstadii*, captus a cl. *Gravenhorst* mense Augusto in Umbellatis; *marem* cl. *Dahl* Vienna transmisit.

Varietates:

β. Coxis posterioribus superis totis piceis. *Fem.* E Sudetis a cl. *Manger* accepi.

8. Rogas *collaris*.

R. niger, hypostomate, ore, thorace antico, pedibusque totis rufo-testaceis; abdominis lineari-subclavati seg-

mento secundo basi marginato; terebra longitudine fere abdominis. *Fem.*

Synon. *Bracon collaris Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 140. *n.* 13—14.

Long. lin. 1½. *Antennae* nigrae, corpore longiores. Caput nigrum; fronte, clypeo, mandibulis, palpisque testaceis. *Thorax*; lobo collari toto rubro-testaceo; intermedio supra toto rubro, subtus antice rubro et postice nigro; metathorace toto nigro; pleuris antice rubris, medio brunneis, postice nigris. *Abdomen* nigrum, plus dimidio corpore metiens, depressum, lineare; segmento tertio obscure ferrugineo. *Terebra* longitudine fere abdominis, valvulis hirsutis. *Pedes*, debiles, elongati, testacei, femoribus attenuatis. *Alae* hyalinae, stigmate nervisque testaceis, macula parva albida in stigmate.

Adnotatio:

Descriptioni cl. *Spinolae*, l. c. exhibitae, cum sit accuratissima, nihil adjiciendum. *Abdominis* segmentum tertium in nostro vix parum in colorem piceum vergit. *Terebra* ¾ abdominis longitudinis parum superat, subrecurva. Statura corporis mensuram, a viro clarissimo datam, excedit.

Habitat *Viennae*, a cl. *Dahl* nobis traditus. In *Sudetis* cl. *Manger* cepit; in *Liguria* admodum rarus occurrit (*Spin.*). *Mas* nondum visus.

9. Rogas *marginator.*

R. niger, nitidus, palpis testaceis, pedibus rufis, tibiis posticis nigris; abdominis lineari-subclavati segmento secundo striolato, lateribus marginato; terebra corpore longiore; alis hyalinis, stigmate fusco. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon marginator N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 14. *n.* 18.

Long. lin. 2½—4. *Palpi maxillares* villosi, testacei. *Abdominis* segmenta tria anteriora planiuscula; secundo in medio ruguloso, sulco laterali, a basi ad apicem protenso, notato, quo margines ipsi, limbi laevigati specie, elevantur. *Terebra* corpore quarta parte longior, valvulis hirsutis. *Pedes* graciles, toti rufi; tibiae et tarsi postici nigra, illae basi rufae.

Mas differt a femina antennis paulo validioribus setaceis.

Observatio:

differt:

a *Roga thoracico*: *statura* majore; *antennis* totis nigris; *abdominis* segmento tertio marginato; *pedibus* saturatius rufis, tibiis et tarsis posticis nigris; *terebra* nigra;

a *Roga nidulatore*, cui propior: *palpis* pallidioribus; *abdomine* ratione reliqui corporis longiore, secundo segmento striolato nec laevissimo; *coxis* totis rufis.

Cepi *marem* et *feminam*, Majo et Julio mensibus in Ribe rubro et Pruno Pado horti prope *Sickershausen*. Alia exempla, feminei sexus, in *Sudetis* legit *Manger*, prope *Gottingam Gravenhorst*, *Viennae Dahl*, et in *Magno-Ducatu Badensi Menzinger*, (quae paulo majora reliquis, et 4 linearum longitudine).

SECTIO II.

Bracon Fam. III. Species genuinae. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 30. sqq.

Abdomen obconico-lanceolatum, capite et thorace raro longius. *Caput* thorace angustius. *Nervus recurrens* primae areolae cubitali insertus. *Terebra* plerisque recondita.

Character naturalis (a *Roga luteo* derivatus). *Antennae* elongatae, setaceae, secundo articulo valido cylindrico. *Clypeus* in medio emarginatus, margine semicirculari, elevato, obtuso, sub quo labrum inseritur. *Mandibulae* breves, obsoletius bifidae, hiatu inter earum bases medio relicto. *Maxillae* breves, fornicatae; *mala* rotundato-obtrigona, lata, hirta. *Palpi maxillares* mala triplo longiores, sexarticulati; articulo primo brevissimo, tenui, obtrigono; secundo ejusdem vix longitudinis, at latiore, subrhombeo; tertio multo longiore et latiore, compresso, introrsum angulato; tribus extimis filiformibus, longis, aequalibus. *Labium maxillarum* longitudine, *lingua* firma, rotundato-retusa, lateribus decurvis. *Palpi labiales* labio longiores, quadri-articulati; primo articulo clavato; secundo compresso, subcordato; tertio obconico, prominente; quarto filiformi, tertio longiore. *Alae* congenerum.

Habitus omnibus hujus sectionis speciebus communis, uniformis, peculiari sua nota easdem ab omnibus Ichneumonidibus distinguit. Corpus undique punctulatum et subrugosum, lineare quidem, tamen a capite inde ad tertii segmenti abdominalis marginem paulo latitudine crescens. *Caput* parvum, verticale, triangulare, fronte angusta. *Antennae* setaceae, longae; articulis plurimis,

contiguis, primo crasso, longiori. *Thorax* lobo collari humiliori, brevissimo, tum abrupte ascendens, a latere subcompressus; *scutello* obsoleto; *metathorace* utplurimum plano-convexo, impressionibus reticulato, et lineis tribus elevatis, media magis distincta, notato. *Abdomen* depressum, sessile, lateribus fere rectis, a basi ad finem tertii segmenti paulo divergentibus, tum reliquis segmentis parvis repente latitudine decrescentibus, brevi triangulo in *feminis* acuminatum, in *maribus* obsolete rotundatum. Segmentorum ratio haec est: segmentum primum tertiam circiter partem totius corporis longitudinis occupat, a basi ad apicem sensim dilatatum, lateribus rectis, proxime ad basin rotundato-incurvis, qua parte et basis ipsa segmenti ad insertionem paulo deflectitur. Dorsum hujus segmenti longitudinaliter rugulosum, linea media elevata in multis subcarinatum; segmentum secundum ejusdem structurae pauloque brevius primo, magis in latitudinem postice crescit, simili plerumque modo rugulosum et carinatum, margine postico depressiusculo, punctulato; segmentum tertium secundo longitudine inferius, crescere in latitudinem pergit; hoc semper dense punctatum, nusquam rugosum, margine laeve; longitudo secundi et tertii segmenti simul sumta paulo plus tertiam partem, mediumve abdomen constituit. Segmenta reliqua (quartum ad sextum aut septimum) transversa, longitudine aequalia, latitudine repente diminuuntur, subtilius punctata, margine laevia; quorum ultimum in femina ut brevis apicula conica terebrae incumbit, quae ipsa brevissima, crassiuscula, pubescens, paulo ultra istud extenditur. Venter planus, laeviusculus et magis nitens, ad basin quibusdam carinatus. *Pedes* satis longi, nec infirmi, structurae solitae, sed primo pare a secundo spatio majore remoto. *Alae* hyalinae, areolis Jurineano typo (Tab. 3. G. 3 et T. 8. G. 3.) maxime congruis.

Conf. Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 92. et 121. sqq.

10. Rogas *exsertor*.

R. niger pubescens, ore, palpis, orbita, litura hamata ante alas, abdominis segmenti tertii macula utriusque lateris, pedibusque totis rufis; terebra longitudine dimidii abdominis. *Fem.*

Synon. *Bracon exsertor N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 32. *n.* 48.

Bracon unicinctus Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p. 130. n. 19. (*An mas hujus speciei?*)

Long. lin. 2. A reliquis hujus sectionis *terebrae* longitudine recedit. *Abdominis* segmenta tria anteriora rugulosa, lineae elevatae vestigio vix ullo. *Venter* sordide rufus. *Terebra* longitudine dimidii abdominis. *Pedes* toti laete rufi, femoribus posticis apice nigris, tarsis iisdem nigro-annulatis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis, hoc puncto antico albo.

Cepi feminam mense Julio in Pruno armeniaca horti, prope *Sickershausen*. Marem non vidi.

11. Rogas *dissector.*

R. niger, ore, pedibusque totis rufis, tibiis posticis apice tarsisque iisdem nigris; abdomine basin versus attenuato, punctulato, tribus segmentis rugulosis, carinatisque primi margine postico secundoque in aliis toto rufis; alis hyalinis. *Mas.*

Long. lin. 3—4. *Abdominis* forma praesertim a reliquis hujus sectionis speciebus discrepat; quod quidem a basi primi segmenti, satis contracta, linea fere recta ad tertii apicem usque valde dilatatum, et ubi latitudo major, thorace latius, proxime ad anum rotundato demum circuitu terminatur. Dorsum convexiusculum, omnibus segmentis punctulatis quidem, sed anterioribus punctis confluentibus rugulosis; horum carina satis distincta, opaca, quae magis obsoleta et subnitida in quartum et quintum segmentum excurrit. Primi segmenti margines laterales acuti et subelevati, basis parum retusa. Caeterum pauca animadvertenda. *Mandibulae* saturatius rufae. *Palpi* pallidi. *Antennae* rectae, longitudine fere corporis, nigrae. *Thorax* antice paulo angustior. *Metathorax* satis prominens, punctulatus, aequalis, distincte carinatus, ruga transversali sub scutello rufescente. (Acuratius inspectum, hoc ipsum et partes confines sordide rufescentia apparent.) Venter concolor. *Pedes* validiusculi, toti rufi; tibiis posticis apice nigris; tarsis iisdem totis, anteriorum ungue, nigris. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Habitat in *Germania*; vidi in Museo Gravenhorstiano *marem*. Femina non nota.

Varietates:

α. Long. lin. 4. Abdominis solo primo segmento apice rufo-piceo, reliquis nigris.

β. Long.

β. Long. lin. 3. Abdominis primo segmento apice latius, secundo toto, tertio media basi laete rufis. *Mas.*

Habitat in Sudetis.

12. Rogas *coxalis.*

R. niger, coxis trochanteribusque piceis; alis hyalinis; terebra subexserta. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon coxalis Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 126. *n.* 17.

Long. lin. $2\frac{1}{2}$. *Antennae* nigrae, corpore longiores. *Caput* itidem nigrum, mandibulis palpisque concoloribus. *Thorax* niger. *Metathorax* rugosus, linea longitudinali media in carinam elevata. *Abdomen* nigrum; segmentis tribus anterioribus maximis, superficie inaequali, punctis plurimis elevatis; primo et secundo medio subcarinatis; reliquis laevibus, minimis. *Pedes* nigri; coxis, trochanteribus femorumque macula basilari piceis; tarsis apice brunneis. *Alae* hyalinae, rarius apice fuscescentes, stigmate nigro, macula nivea.

Femina terebra armatur, brevissima, vix exserta.

Mas femorum macula basilari picea multo majore. (Spin.)

Auctore clarissimo *Spinola* hanc speciem inserimus, a nobis non visam.

Habitat in agro *Arquatensi*, rarus.

13. Rogas *rugulosus.*

R. niger, palpis pedibusque rufis, tibiis posticis apice, tarsis iisdem totis, anteriorum ungue cum unguiculis nigris; alis hyalinis; terebra non exserta. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon rugulosus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 32. *n.* 49.

Long. lin. $3\frac{3}{4}$. *Mandibulae* piceo-rufae, apice fuscae. *Labrum* rufescit, supra concavum. *Palporum maxillarium* articuli primus et secundus nigri, reliqui, ut et *labiales* toti testacei. *Tibiae* posticae ab apice ad medium usque nigrae, basi tarsisque, apice excepto, magis testaceis, cum reliquus pes laete rufus. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Mas paulo minor, caeterum feminae omnino similis Genitalia mascula paulo prominula, bifida.

Cepi *marem* cum *femina* Augusto mense in pinetis prope *Sickershausen.* Vidi etiam *feminam*, prope *Norimbergam* captam, in Museo *Sturmiano.*

Varietas:

β. Abdominis segmento primo rufo, arcu postico nigro. *Fem.*

Prope *Sickershausen*, mense Junio.

14. Rogas *Zygaenae.*

R. niger, pedibus rufis, coxis nigris, alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Bracon assimilis N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 33. *n.* 50.

Statura omnino et sculptura praecedentis. *Abdomen* latius. *Mandibulae* et *palpi* rufo-fusca. *Antennae* setaceae. *Pedes* concolores.

Ex larva Zygaenae Filipendulae, quae, nondum adepta justam magnitudinem, pedibus anticis culmo graminis cujusdam adhaerens perierat et post mortem exuviis exsiccatis naturali sua forma et colore duraverat, per foramen dorsale supra anum irregulari exitu parato, prodiit imago die 7° Julii a. 1810.

Puppa folliculata, operculo secedente clausa, albida.

Varietas:

β. Orbita rufa, sub oculo interrupta. *Mas.*

Habitat in Italia, prope *Taurinum.* (*Bonelli.*)

Feminam non vidi.

15. Rogas *signatus.*

R. niger, punctulatus, pubescens, ore, pedibus totis, abdominisque segmentorum trium anteriorum marginibus omnibus rufis. *Mas.*

Synon. *Bracon signatus N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 33. *n.* 51.

Conf. Ichneumon mensurator F. apud Villers E. L. III. p. 177. *n.* 129. *nota.*

Long. lin. 3. *Mandibulae*, *labrum*, *palpi* toti et *labium* rufa. *Abdomen* magis oblongum; primo segmento basi, marginibus lateralibus postice, posticoque margine toto; secundo et tertio limbo omni rufis, ultimis minus abrupte abbreviatis et nitidis, quam in priore. Segmentum primum et secundum obsoletius carinata, rugis magis concretis subvariolosa. *Pedes* omnino immaculati.

Cepi Junio mense in horto prope *Sickershausen.* Feminam non vidi.

16. Rogas *geniculator.*

R. niger, palpis concoloribus, abdominis segmento primo apice, secundo toto, tertio basi rufis, pedibus totis rufis; abdomine apice opaco. *Mas.*

Synon. *Bracon rugulosus β. N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 33.

Long. lin. $2^3/_4$. Similis praecedenti, a quo differt *abdominis* segmentis anterioribus distincte carinatis, primo crasse quidem punctulato, sed reliquis subtilius. Os omnino nigrum. *Antennae* basi parumper picescentes. Variatur pedum colore:

α) Femora et tibiae posteriora apice nigra, tarsi fusci.

Cepi mense Augusto prope *Sickershausen.*

β. Pedes toti rufi, vix tarsis posticis parum infuscatis. Abdominis primum segmentum sola basi nigricans.

Habitat in *Italia*, Taurini a cl. *Bonelli* captus.

17. Rogas *reticulator.*

R. niger, mandibulis rufis, palpis fuscis, abdominis primo secundoque segmento totis, tertio basi rufis, hoc apice et reliquis laevibus, nitidissimis, pedibus nigris; abdomine basi ruguloso-striato; terebra recondita. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon Gasterator. Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 121. *n.* 14. *Var. I. et II.*

Mas feminae simillimus, antennis paulo longioribus.

Variationes:

α. Pedibus totis nigris. — *Spin.* l. c.

β. Pedibus nigris, tibiis anticis, femoribusque iisdem apice rufis. Spin. Var. II.

Species distinctissima. — Statura brevior, color magis nitens. *Metathorax* reticulato- punctatus, carinatus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, convexiusculum; segmentis anterioribus rugis longitudinalibus subreticulatis pulchre exaratis. Colores constantes.

Habitat in *Italia.* E collectionibus Virr. clariss. *Gravenhorst*, *Spinolae*, *Sanvitali*, *Bonelli* nobis communicatus.

Observatio:

A praecedente differt: *colore* mandibularum et palporum constante; *statura* paulo angustiore, *abdominis* segmentis anterioribus minus rugosis; *pedum* colore variabili

quidem, sed aliter distributo, nec tarsorum ungue ita incrassato, abrupte nigro.

18. Rogas *gasterator*.

R. niger, mandibulis rufis, palpis fuscis; abdominis primo et secundo segmento tertioque basi inordinate rugulosis, rufis, hoc apice et reliquis laevissimis, pedibus rufis, femoribus tibiisque posticis apice nigris: terebra recondita. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon gasterator Jur. Hym. tab.* 8. *Gen. III. Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 121. n. 14. *Var. III.*

Long. lin. 3. Differt a praecedente: *statura* magis elongata; *abdomine* magis lineari; *metathorace* dense punctulato, opaco, carinato, carina in aliis obsoleta; *abdominis* segmentis anterioribus absque ordine obiterque rugulosis, nec ruguloso-striatis; *pedibus* rufis. — *Tarsi* fusci. *Antennae* basi rufescentes.

Variat:

a. Coxis et trochanteribus anterioribus saltem nigris *Bracon gasterator Coll. cl. Bonelli.*
Mas idem omnino, ab eodem missus.

β. Coxis et trochanteribus omnibus rufis. Jur. l. c. *Mas.* Antennis longioribus; abdomine angustiore, primo segmento maculis duabus obsoletis nigris; femoribus tibiisque posticis apice latius nigris.

Habitat in *Italia.* Cl. *Gravenhorst* e coll. Spinolae. *Vienna* etiam a *Dahlio* missus est.

Observatio I.

A *Bracone geniculatore* differt: *statura* majore, *colore* mandibularum et palporum, *abdominis* apice laevi nitido, qui in illo obscurus, pubescit.

Observatio II.

Icon Jurineana pedes omnino nigros exhibet.

19. Rogas *cruentus*.

R. niger, mandibulis rufis, palpis piceo-fuscis, thoracis dorso (abdominis basi) pedibusque totis rufis; abdomine lineari lanceolato, basi striolato-ruguloso, apice laevissimo; terebra subexserta. *Mas. Fem.*

Long. lin. 3½. Gracilitate a cofamiliaribus distinguendus. *Caput* vertice paulo latiore quam praecedentium. *Antennae* corpore breviores, nigrae, setaceae. *Mandibulae*

laete rufae. *Thorax* ovalis, a latere compressus, punctulatus, niger; lobo medio toto, scutello et ruga subscutellari rubris. *Metathorax* ovatus, punctulato-rugulosus, niger, carinatus. *Abdomen* capite cum thorace longius, in femina apice compressum, nigrum; segmentis primo toto, secundo basi lato tractu rimulosis, carinatis, hinc laevissimis, nitidis; primo basi et apice rufescenti. *Terebra* vix prominens, compressa, lata. *Pedes* validi, toti rufi, tarsis posticis fuscis.

Alae obscure hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Mas. Exempla nostra, cum femineis ex *Italia* transmissa, differunt: abdomine latiore (quod per omne Genus iis, quae de aliis Ichneumonidibus valent, oppugnat); primo segmento toto, secundo basi media latius rufis, et, uti tertio, basi rimulosis, hinc apice breviori spatio nitente. Caetera feminae communia.

Habitat *Taurini*, *Italiae* (cl. *Bonelli*).

20. Rogas *alternator*.

R. niger, palpis, thorace abdomineque antice pedibusque totis rufis, femoribus tibiisque posticis apice nigris; ultimis segmentis abdominis punctulatis, opacis. *Mas.*

Long. lin. 3. *Rogae gasteratoris* Varietati *β* similis, sed differt: *antennis* graciliorihus, *colore* thoracis, ultimisque *abdominis* segmentis punctulatis.

A *Roga geniculatore* differt: *palpis* pallidis, *colore thoracis*, *abdominis* primo segmento immaculato, *femoribus* mediis apice concoloribus, *statura* denique majore.

Antennae longitudine corporis, subtus, excepto primo articulo, ferrugineo-fuscae. *Mandibulae* et *palpi* extrorsum testacea. *Caput* nigrum orbita postica rufa. *Thorax* niger, lobo antico et medio supra et ad latera rufis. *Metathorax* niger, subtiliter punctulato-rugulosus, linea media elevata. *Scutellum* nigrum. *Abdominis* segmenta tria anteriora rufa, leviter carinata, punctulata, tertio apice et reliquis nigris, etiam punctulatis. *Pedes* ut in definitione; *tarsi* apice fusci. *Alae* hyaliane, nervis et stigmate fuscis, hoc puncto parvo antico albo.

Circa *Norimbergam* cepit clarissim. *Sturm*. Feminam non vidi.

21. Rogas *bicolor*.

R. niger, capite, thorace antice cum scutello, pedibusque totis rufis; tarsis fuscis; terebra vix exserta. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon bicolor Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 128. *n.* 18.

Long. lin. 2⅓. *Palpi* pallidi. *Mandibulae* apice fuscae. *Antennae* longitudine corporis, nigrae; primo articulo basi apiceque parum rufescente. Macula verticis ab antennis haud raro ad occiput extensa. *Occiput* plus minus nigrum. *Thoracis* lobus anticus et medius cum scutello *pleuraeque anticae* rufa, lobi medii margine antico litura fuscescenti media dorsi. *Pectus* totum, pleurae posticae et *metathorax* nigra. Metathorax punctulato-rugulosus, linea media elevata. *Abdomen* lineari-oblongum, pubescens, punctulatum, nigrum; segmento tertio in nonnullis latere utroque macula obsoleta rufescente; primo et secundo distincte carinatis; tertio minus evidenter. *Pedes* toti rufo-testacei; femoribus posticis interdum apice parum nigricantibus; tarsis obscurioribus. *Alae* hyalinae, nervis pallide fuscis, stigmate testaceo.

Mas genis nigris, *femoribus* posterioribus apice fuscescentibus.

Habitat cum *femina* in *Italia* (cl. *Bonelli.*) *Feminam* in Anetho horti prope *Sickershausen* Julio mense cepi, vespere.

Varietates:

β. Niger, *capite fusco*, orbita et pedibus piceo-testaceis; *abdominis* segmentis tribus anterioribus distincte carinatis, primo margine piceo. *Fem.*

Mas idem, abdomine paulo angustiore, quam feminae.

Marem (nomine *Braconis bicoloris* Spin. adscripto) una cum *femina* ex Italia cl. *Bonellius* transmisit.

Conf. *Spin.* l. c. p. 129.

γ. Capite, macula verticis excepta, immaculato, abdominis segmentis tribus anterioribus angulis posticis rufis; secundo etiam limbo rufo. *Mas.*

Cepi in Anetho horti prope *Sickershausen*, Julio mense.

22. Rogas *dimidiatus.*

R. ferrugineus, abdomine thoraceque postice nigris; alis fuscis, lineola hyalina; terebra recondita. *Fem.*

Synon. *Bracon dimidiatus Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 123 *n.* 15.

Antennae corpore breviores, dimidiatim bicolores, basi ferrugineae, apice nigrae. Corpus punctis elevatis inaequalibus scabrum, oculo nudo glaberrimum; lente valida

perspiciuntur pili perpauci, cinerei, brevissimi et multum dissiti. *Caput* ferrugineum, immaculatum; *mandibulis* concoloribus; *oculis* stemmatibus, *palpisque* nigris. *Thorax* niger; dorso antice obscure ferrugineo. *Abdomen* depressum; segmentis tribus anterioribus maximis, rubris; reliquis nigris. *Pedes* rufi; femorum posticorum apice et tarsorum articulo ultimo cum unguiculis, nigris. *Alae* dilute fuscescentes; macula costali lineolaque obliqua hyalinis. *Terebra* hac in specie, ut in aliis ejusdem sectionis, brevissima, saepius subultimo segmento abscondita. (*Spin.*)

Habitat prope *Genuam*, rarus. Hunc ipse non vidi. Mas non notus.

23. Rogas *bifasciatus.*

R. capite thoraceque rufis; abdomine nigro; alis hyalinis fusco bifasciatis; terebra exserta. *Fem.*

Synon. *Bracon bifasciatus Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 125. *n.* 16.

Long. lin. 2. Habitus specierum ejusdem sectionis. *Antennae* ferrugineae. *Caput* cum thorace rubro-luteum, nitore fere metallico splendens. *Abdomen* nigrum, nitidum; segmentorum incisuris paulo coarctatis; *terebra* nigra, brevi, vix dimidia abdominis longitudine. *Pedes* nigri; tarsis omnibus ferrugineis; coxis femoribusque posticis nigro-annulatis. *Alae* hyalinae; superiores fasciis duabus fuscis, fascia exteriore dilatata et albo-maculata. *Mas* mihi invisus. *Spin.*

Habitat prope *Genuam*, rarior. Specimen unicum vidi, in Museo D^ni *Marchelli*, captum in loco dicto *Oh Regina.* (Spin.)

Ipse hunc non vidi.

24. Rogas *testaceus.*

R. rufo-testaceus, oculis, stemmatibus, terebraque brevissima nigris; metathorace subcylindrico punctulato truncato (abdominisque primo segmento), fusco terebra recondita. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon testaceus Spin. Ins. Lig. II. Fasc. III. p.* 131. *n.* 20. *N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 34. *n.* 53. *tab. II. fig.* 9 (*fem.*).

Ichneumon rufipedator Mus. Zigl. Vienn.

Cryptus alvearius Fabr. S. Piez. p. 90. *n.* 91. *c. synon.* ?

Long. lin. 2¼. *Antennae* apice obscuriores. *Abdo-*

minis segmenta duo anteriora distincte carinata; primum fuscum, apice, interdum limbo omni, rufo. *Ungues* fusci. *Alae* hyalinae, nervis fuscis, stigmate fusco, puncto magno luteo.

Mas. Idem omnino. *Metathoracis* dorsum et primum segmentum *abdominis* macula media fusca. Abdomen magis convexum; genitalia ut apicula nigro-fusca prominentia.

Habitat in *Germania*, *Italia*, *Suecia*. Marem accepi a cl. *Dahl*, Viennae captum; ipse Mensibus Majo et Septembre *marem* et *feminam* inter dumeta in quercu cepi prope *Sickershausen*.

Varietas:

*β. Metathorace abdominis*que primo segmento vix parum obscuratis. *Mas* Feminae simillimus. Feminam hujus varietatis a cl. *Gravenhorstio* accepi, mense Majo in Monte *Plesse*, *Gottingae* vicino, captam. *Marem* prope *Sickershausen* observavi.

25. Rogas *circumscriptus.*

R. testaceo-ferrugineus; metathoracis convexo-declivis subtilissime punctulati dorso, abdominis basi limboque (baseos in femina) nigris, terebra recondita. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2½. A praecedente *metathoracis* structura praecipue differt, qui illi longior, ubique fere aeque crassus, dorso parum convexus, crassius punctulatus et apice abrupte truncatus; — huic contra brevior, convexitate modica leniter ad abdominis originem descendit, superficie subtilissime punctulata, carina media, quae et in illo reperitur, instructus. *Abdomen* structura reliquorum, subtilius punctulatum, paulo angustius, quam idem praecedentis; segmentis tribus anterioribus subtiliter, varioque modo carinatis, primo saepius toto fusco, secundo in aliis limbo laterali fusco, qui nunquam observatur in exemplis metathorace productiori praeditis. Reliqua omnino cum praecedente congruunt. *Capitis* et *thoracis* structura congenerum. *Antennae* longitudine corporis. *Color* illi paulo saturatior, huic aliquanto magis depallens, praesertim in pedibus. *Alae* fusco-hyalinae, nervis fuscis, stigmate pallido, puncto fusco. *Palpi* pallidi.

Mas differt a femina: *antennis* gracilioribus, *abdomine* angustiore, *pedibus* immaculatis.

Varietates:

Variat colorum summa inconstantia, tum carinae quoque segmentorum abdominalium perfectione:

Femina. A. *Femora* postica ante apicem late fusca. *Segmenta duo abdominis* carinata.

α. *Caput* et *thorax* nigro-fusca, ore et orbita, tum thoracis lobo antico ferrugineis; *abdominis* primo segmento, extremisque nigris, apice rufis.

β. *Caput* ut in praecedente: *Thorax* lobo antico toto, *secundi lobi* et *metathoracis* dorso fuscis, plaga media cum scutello rufis. Reliqua ut in praecedente.

γ. *Caput* ut in β; *thorax* antice fuscus, postice rufus; *metathoracis* dorso fusco; *abdomen* totum ferrugineum.

B. *Pedibus* concoloribus, *primo segmento* solo carinato:

α. *Thorax* et *abdomen* obscuriora; *metathorax* et *primum segmentum abdominis* fusca.

β. Idem, *secundo segmento* margine juxta basin utroque fusco.

γ. Totum corpus laete ferrugineum, *metathoracis* dorso et primo segmento abdominis fuscis.

δ. Idem, *ano* (a quarto segmento) nigro.

ε. Idem, *metathorace* et *primo segmento* subimmaculatis.

ζ. Totus ferrugineus.

Mas. A. *Caput* et *thorax* ferrugineo-testacea; in illo *mandibularum apices* et macula *stemmatum* nigra, in hoc lineae tres latae, at obsoletae, dorsi fuscae. *Metathorax* fuscus, structurae ut in femina. *Abdomen* fuscum, in medio late luteum, lineolis nigro-fuscis; scilicet, segmento primo fusco, margine postico tenuissimo et macula semicirculari, margini composita, testaceis, segmento secundo et tertio luteis, singulo lineola laterali, posteriori etiam carina fuscis; reliquis segmentis sordide fuscis. Pictura ventris eadem.

B. Ferrugineus, *dorso metathoracis fusco. Abdomine*

α. nigro, *primo segmento* margine postico, *tertio* toto ferrugineis;

β. nigro, linea media ferruginea;

γ. idem, linea in vittam dilatata, quo species Varietatis α oritur;

δ. rufo, *primo segmento* et *secundi* marginibus lateralibus fuscis.

C. Ferrugineus concolor.

Adnotatio.

Individuum *feminei* sexus, quod primo loco descripsi, Varietatem B. β. exhibet.

Habitat in *Italia*, *Germania*. *Feminam* varietatis A. α et A. γ ex *Magno-Ducatu Badensi* cl. *Menzinger* misit. Varietates *feminae* A. β, B. δ et B. ε, tum *maris* B. α, β, γ et δ, *Mangeri* cura e *Sudetis* ad nos pervenere. *Feminas* varietatis B. α, B. γ et *Maris* C, in Italia captas, Museum *Bonellianum* servat; *feminae* varietatem B. ζ cl. *de Sanvitali* prope *Parmam* invenit mihique tradidit; denique marem unum varietatis A. ipse in Selino Oreoselino, locis sylvaticis prope *Sickershausen* cepi.

26. Rogas *luteus*.

R. luteus, antennis fuscis, primo articulo luteo; oculis et area stemmatum nigris, terebra longitudine trium ultimorum segmentorum abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus testaceus Fabr. S. Piez. p.* 101. *n.* 31.

Ichneumon testaceus Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 228. *n.* 189.

Long. lin. $5^3/_4$. Totum corpus luteum, unicolor, praeter partes indicatas, punctulatum, et pubescentia molli longiuscula cinerascente subvillosum. *Caput* transversum, latitudine thoracis, vertice angusto, hypostomate brevi. *Mandibulae* apice nigrae. *Oculi* magni, nigri, introrsum laevi sinu excisi; ocelli aequales, globosi, maculae nigrae innati. *Antennae* setaceae, corporis longitudine, fuscae; secundo articulo toto, tertio apice, quarto basi luteis. *Thorax* ovatus, a latere subcompressus; lobo antico humili; medio elevato, dorso quadrisulcato. *Metathorax* convexus, reticulatus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, oblongum seu obcuneiforme, a basi ad apicem sensim modiceque dilatatum, convexiusculum, ano rotundato; segmento primo basi lata, parum tamen contracta, metathoraci adnato; rimuloso-rugoso, basi carinulis duabus in triangulum conniventibus notato; secundo paulo breviori, simili ratione rimuloso-rugoso, et a sequentibus sulculo porcato imperfecte sejuncto; quae insequuntur segmenta longitudine paulatim decrescunt; tertium e rimuloso-inaequaliter punctulatum, reliqua punctulata, neque haec magis quam secundum a tertio inter se separata; septimum segmentum subreconditum. Venter concavus. *Terebra* e gibbo ventrali orta, longitudine trium ultimorum segmentorum, recta, firma, obscure testacea, pubescens. *Pedes* validiusculi, villosi, unguibus fuscis. *Alae* amplae, stigmate magno

ûteo, nervis fusco-testaceis, brachialibus interioribus fusco-limbatis. Costa lutea.

Mas. Feminae omnino similis, nec minor, antennis pallidioribus, terebra nulla.

Feminam cepi in quercu die 4° mensis Septembris prope *Sickershausen.* Marem ex *Italia* misit cl. *Bonelli, Braconis testacei* nomine adscripto.

27. ROGAS *praerogator.*

R. niger, pubescens, ore pedibusque luteo-testaceis, femoribus posticis apice fuscis; abdominis primo segmento tantum carinato, terebra recondita. *Mas. Fem.*

SYNON. *Bracon praerogator N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 33. *n.* 52.

Bassus praerogator Fabr. S. Piez. p. 99. *n.* 23?

Ichneumon praerogator Fabr. Ent. Syst. 2. *p.* 171. *n.* 158? *Vill. Ent. Lin. III. p.* 171. *n.* 109? *Schrank En. n.* 739. *Lin. S. Nat. II. p.* 936. *n.* 44. *Faun. Suec. n.* 1619. *Müll. Cl. Lin. nat. V. p.* 854?

Long. lin. $2^3/_4$. Statura *Rogae signati* n. 15. Clypei apex, labrum et oris partes sub orbita postica luteo-testacea, palpi antici basi fuscescentes. Abdominis segmenta anteriora subtilius rugulosa, carina obsoletiori; secundi et tertii margine laterali, praecipue basin versus, depressione quadam longitudinali elevato; ultima segmenta nitent. *Terebra* omnino recondita. Venter carina valde elevata longitudinaliter bipartitus. *Pedes* luteo-testacei; femoribus posticis apice plus minus fuscis, tibiisque iisdem postice cum tarsis, obscurioribus, horum articulis basi pallidis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis, hoc puncto albido.

Mas. Idem, paulo minor. *Abdomen* apice tenue, nec subtus incrassatum, genitalibus ut in Roga ruguloso n. 13, conspicuis. Venter in medio convexiusculus, nec carinatus. Color fuscus in apice tibiarum posticarum distinctior, breviori spatio annuliformis.

Legi *feminam* Julio mense in sepibus humidis; *marem* mense Junio etiam in sepibus. Ex *Italia Bonelli* illum misit. Metamorphosin subire in larva Bombycis Salicis, Linneus et Fabricius referunt.

Varietas:

β. Coxae posticae *fuscae*, trochanteres femorales postici

basi itidem fusci, et color fuscus femorum tibiarumque apices latius occupat. Caetera ut in praecedente. *Mas.*

Cepi Julio mense in dumetis udis prope *Sickershausen.*

SECTIO III.

Bracon Fam. III. Species heteroclitae A. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 34. sqq.

Abdomen obconico-lanceolatum, longitudine capitis et thoracis. *Caput* thorace latius. *Nervus recurrens* apici areolae cubitalis mediae, antrorsum acuminatae insertus. *Terebra* recondita.

Antennae graciles, filiformes. *Abdominis* segmentum primum basin versus magis, quam in praecedentibus, angustatum, rugulosum; secundum majus, punctulatum, lateribus baseos submarginatis, tertium ratione secundi brevissimum, basi punctulatum, postice laeve. Terebra brevissima. *Pedes* elongati graciles.

Alae angustiores, quam in praecedentibus, subcuneiformes. *Stigma* lineare. *Areola prima* cubitalis valde obliqua (nervo transversali magis antrorsum et interiora versus inclinato); secunda elongata, postice attenuata; tert a, ut et *radialis*, apicem non attingens. *Nervus recurrens* cum nervo primo transversali oblique junctus.

28. Rogas *decrescens.*

R. niger, mandibulis, palpis et pedibus rufo-piceis; abdominis segmento tertio transversim carinato, antice punctulato, postice laevi; terebra recondita. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon decrescens N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 35. *n.* 54. *tab. II. fig.* 10. *a, b, c.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. *Antennarum* articulus secundus crassus, tertius minutus rufescens. *Corpus* pubescens. *Abdominis* segmenta margine, et carina tertii segmenti ciliata, quae carina, latera attingens, campum rugosum et laevem dirimit. *Alae* obscure-hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

? *Mas.* Paulo major. Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Antennae* longiores; *os* et *pedes* laetius rufescentes; *abdominis* segmenta anteriora crassius rugulosa.

An distincta species?

Cepi Junio mense *feminam* in Sisymbrio Nasturtio circa *Sickershausen.* E Sudetis cl. Manger misit individuum femorum clava obscuriori differens. *Mas* ex *Italia* a cl. *Bonellio* missus est.

29. Rogas *mutuator.*

R. niger, pubescens, antennarum articulo tertio palpis pedibusque totis luteo-testaceis; abdominis primo secundoque segmento subrugulosis, tertio breviore et reliquis laevibus, margine albido-ciliatis, terebra recondita. *Mas. Fem.*

Synon. *Bracon mutuator N. ab E. Berl. Mag. V. p.* 35. *n.* 55.

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. *Caput* crassiusculum. *Antennae* graciles, corpore breviores. *Mandibulae* piceae. *Thorax* totus niger, pubescens. *Abdomen* sessile; segmento primo et secundo a basi latitudine crescentibus, rugulis seu strigis obsoletis exaratis; tertio longitudine vix dimidia secundi segmenti, eodemque, praecipue ad latera, obscure rufescente. Reliqua segmenta non tam abrupte decrescentia, quam in specie praecedente, linearia, margine crenulata, ciliata. *Femora* postica apice nigra. *Tarsi* posteriores obscuri. *Ungues* nigri. *Alae* non perfecte hyalinae, nervis et stigmate pallide fusco-testaceis.

Mas. Long. lin. 1. *Antennarum* articulis tribus anterioribus pallidis; femoribus posticis apice concoloribus.

Feminam Majo mense in pratis deprehendi; marem mense Julio in quercu, circa *Sickershausen.*

GENUS II.

CARDIOCHILES.

καρδία, cor, et *χεῖλος*, labium, ob labium cordiforme.

N. ab E. in Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 307. *Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 55.

Caput transversum, vertice rotundato angusto. *Abdomen* oblongum, planum, longitudine thoracis; primo segmento lato, basi parum angustato, impresso. *Pedes* validi, posteriores approximati. *Areolae cubitales* tres, prima triangulari, angulis truncatis. *Terebra* exserta, recta, clavato-compressa.

Antennae setaceae, multi-articulatae. *Palpi* inaequales, filiformes; *maxillares* sex-articulati, articulo primo breviori; *labiales* quadri-articulati. *Maxillae* lanceolatae, mala cultriformi erecta. *Lingua* porrecta, convoluta, apice bi-

fida. *Mandibulae* apice bifidae, dentibus acutis inaequalibus. *Alae:* areola radiali una; areolis cubitalibus tribus, prima majore nervum recurrentem solitarium excipiente.

Character naturalis.

Clypeus distinctus, superne linea semicirculari punctoque utrinque impresso discretus, planiusculus, laevis, pubescens, margine infero subtransverso in medio emarginato, seu potius tuberculis in medio approximatis aucto.

Antennae dimidio corpore longiores, setaceae, rectiusculae; pedicello brevissimo recondito; scapo brevi, crasso, subcylindrico, apice excavato; pedicello brevissimo, immerso, disciformi; reliquis articulis cylindricis, primo longiore, reliquis diametrum longitudine vix excedentibus, pube adpressa vestitis et ita contiguis, ut vix distinguantur; extremis parumper decrescentibus.

Mandibulae mediocres, basi rectiusculae, triquetrae, lateribus exteriori et superiori planiusculis, inferiori angustiori et convexiusculo, margine inferiore basin versus crinito, apice incurvo bifido, dentibus brevibus inaequalibus acutiusculis, infero duplo minore. *Labrum* sub clypeo inflexum, exsertum, transversum margine infero arcuato angulis rotundatis, coriaceum, pilosum, margine ciliatum, appendice media membranacea setacea villosa auctum.

Oris partes substantiae firmiores, opacae, ratione angustae et fulcris longioribus ultra clypeum exserendae. *Maxilla: stipes* oblique ovatus, coriaceus, apice oblique truncatus, facie inferiori planiuscula laevi pubescente, infra palpum linea obliqua pellucida transversim secta, margine exteriori ciliato; *mala* stipitis longitudine, coriacea, erecta, ad speciem simplex; cultriformis, seu oblonga, margine exteriori recto, interiori subsinuato-rotundato, ante basin in angulum obsoletum dilatato, apice obtuso magisque pellucido, exteriorique margine ciliatis. Accuratius inquirentes, lobulum interiorem minorem rotundatum, sub exterioris superficie supera penitus reconditum, detegimus, ab infera parte pellucentem. *Palpi maxillares* mala haud duplo longiores, filiformes, subincurvi, hirti, sexarticulati, articulis inaequalibus; primo brevissimo, obconico; secundo et tertio obconicis (illo praesertim), multo crassioribus; reliquis subcylindricis, quarto et quinto basin versus leniter attenuatis, ultimo obtuso; longitudinis ratio a longiori articulo ad breviorem haec est: 4. $\frac{3.}{6.}$. 2. 5. 1. (minimus).

Labium: Mentum corneum, ovale, basin versus parum angustius, convexum, a latere compressum, substriatum, parum pubescens, apice medio acute bidentatum denticulo utriusque lateris, infra palpum, humiliore auctum; *lingua* mento vix dimidio brevior, membranacea, satis densae texturae, punctulata, fere rectangula, apice bifida, sinu ad ¼ totius linguae longitudinis descendente acuto, lobis rotundatis subciliatis, marginibus rectiusculis, involutis, unde lingua fere dimidiato-tubulosa apparet limbo supero. *Palpi labiales* linguam non nisi ultimi articuli longitudine excedentes, filiformes, incurvi, hirti, quadriarticulati, articulis subaequalibus; primo obconico-clavato; secundo et tertio obconicis, illo paulo crassiore, hoc paulisper breviore reliquis; quarto cylindrico, basi et apice paulo angustiori, obtuso. *Alae* texturae firmioris, conicae. *Areolae brachiales* duae, longitudine aequales; exteriori latiori cuneiformi, interiori lineari subrectangula. Areola limbi interioris elongata, linearis, areolam discoidalem interiorem aequans, versus basin uniseptata. *Areola radialis* una oblongo-lanceolata, ante medium sinuato-angustata, in apicem acute excurrens. *Areolae cubitales* tres, inaequales; prima magna, triangulum referens aequilaterum, angulis truncatis, in angulo infero *nervum recurrentem* excipiens; secunda angustior, subrectangula, versus postica parum angustata; tertia incompleta, ob sinum areolae radialis praecedente areola paulo latior, subrectangula. *Areolae discoidales* tres; duae anteriores completae, subaequales, exteriori retrorsum angustiori, interiori oblique acuminata; postica elongata, excurrente. *Areola analis* incompleta, lanceolata. *Stigma* in media costa, oblongum.

Habitus microgasterum: *Caput* transversum, thorace paulo latius; hypostomate plano, subquadrato, obsolete carinato; vertice plano, lineari; occipite concavo; regione temporali tumida. *Thorax* ovatus, antice compressus; lobo antico humili, brevissimo; medio convexo, obovato, tricolli. *Scutellum* vix discretum, magnum, ovatum, obtusum. *Metathorax* brevis, truncatus, punctato-rugosus, areatus; areis quinque, media rhombica, lateralibus trapezoideis majoribus, quarum posticis verticalibus. *Abdomen* longitudine thoracis et eo angustius, oblongum, dorso planum, ventre carinato, ano obtuso, septem-annulatum; segmento primo et secundo subaequalibus, illo basin versus paulisper angustato, in dorso utrinque secundum longitudinem depresso, campo medio rotundato, elevato, ob-

conico; hoc subquadrato, sulco transverso basi propiori diviso, campo antico lineolis duabus impressis, antrorsum conniventibus, tripartito; reliquis segmentis cunctis transversis, decrescentibus. *Terebra* feminae lata, compressa, subdecurva, obtusa, valvulis hirsutis; inferne valvula anali fulcrata. *Pedes* validi, postici praesertim elongati, femoribus, abdominis longitudine, tibiisque compressis; tarsi longi.

1. Cardiochiles *saltator.*

Synon. *Ophion saltator Fabr. S. Piez. p.* 137. *n.* 34. *Ent. Syst. suppl. p.* 238. *n.* 13?
Ichneumon saltator Fabr. Ent. Syst. II. p. 175. *n.* 173?
(*Anne varietas thorace toto nigro? „Abdomen petiolatum" perhibetur ab auctore; quod quidem valde repugnat.*)

Long. lin. $2\frac{1}{2}$. Ater, nitidissimus, pubescens. *Mandibulae* piceae. *Thoracis* lobus medius totus, vel apice tantum, *scutellum femora* antica apice, *tibiae* eaedem et *tarsi toti* laete rufi. *Abdomen* laevissimum. *Terebra* longitudine circiter ⅓ abdominis. *Alae* obscure-hyalinae, apice late fuscae; nervis et stigmate nigro-fuscis. Reliqua videantur sub charactere naturali. *Mas* differt a femina *scutello* nigro; *terebra* nulla, genitalibus masculis forma apiculae prominulis.

Varietas:

β. Thorace nigro, solo apice colliculi medii lobi medii rufo. *Mas. Habitat* in *Italia* (*Bonelli*). Vidi exempla sexus masculini tria, feminini unum.

GENUS III.

HELCON.

ἕλκω, traho, ab ingressu gravi et lento, ac si currum traheret.

N. ab E. Nov. Act. Acad. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 307. *Berl. Mag. VI. p.* 216. *VIII. Tab. IV. fig.* 6. *a — d. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 55.

Caput transversum, crassum; fronte retusa cum acumine inter antennas; vertice lato plano. *Prothorax* produc-

ductus, tuberosus. *Abdomen* thorace longius, lineare, planiusculum, primo segmento longissimo rectangulo, basi contracto. *Pedes postici* validi. *Areolae cubitales* tres; prima triangulari, angulis omnibus truncatis. *Terebra* elongata, recta.

Antennae setaceae, multiarticulatae. *Mandibulae* breves, validae, apice subtruncatae, obtuse bidentatae. *Labium* breve, membranaceum, emarginatum. *Palpi* inaequales; *maxillares* elongati, sexarticulati, articulo tertio maximo, dilatato, subcompresso; *labiales* quadriarticulati, breves, articulis secundo et tertio dilatatis, subcordatis.

Character naturalis.

Antennae elongatae, ratione reliqui corporis minus validae, (in una specie albo-annulatae); articulo secundo crassissimo, cylindrico; reliquis versus apicem longitudine decrescentibus; apice ipso in femina in spiram revoluto, in mare recurvo. *Labrum* obtuse triangulum, setis longis dense ciliatum. *Mandibulae* uti in charactere essentiali supra jam descriptae sunt. *Maxillae* breves, corneae, compressae; *mala* membranacea, obtusa, fornicata, linguam tegente. *Palpi maxillares* sexarticulati; articulo primo brevissimo; secundo majore, obconico; tertio latissimo, secundo longiore, subrhombico, e margine exteriore apicis quartum articulum proferente; articuli tres ultimi longissimi, sensim attenuati; quo palpus apice setaceus. *Labium mento* brevi, lingua dilatata, subemarginata. *Palpi labiales* labio vix duplo longiores, quadriarticulati; articulo primo brevi, obconico; secundo dilatato, obcordato; tertio minore, subspathulato; quarto elongato, oblongo. *Palpi*, tam maxillares quam labiales, pilosi. *Alae: stigma* oblongum. *Areola radialis* una, ovato-lanceolata, acuminata alae apicem fere attingens. *Areolae cubitales* tres; prima majore, sexangulari, angulo interiori nervum recurrentem excipiente, secunda minore, late truncato-conica; tertia apicem attingente.

Habitus corporis singularis, in universum firmus, robur, agilitate privatum, exprimit. *Caput* crassum, antice visum subquadratum, hypostomate et vertice transversis, fronte subretusa, cujus inferiori margini *antennae* inseruntur. Inter antennas frons acumine brevi, compresso-mucronata. Oculi laterales, parvi, hemisphaerico-prominentes, et pone illos capitis latera plana, recta descendunt. Stemmata, in frontis et occipitis limitibus enata, triangulum formant, nitida. Frons et hypostoma varioloso-rugu-

losa; vertex capitis, latera pone oculos, et occiput laevia, hoc plano-concavum. Collum tenue, breve. *Thoracis* lobus anticus humilis, a latere valde compressus, et infra lobum medium versus originem alarum expansus, antice angustato-rotundatus, rugosissimus; lobus medius antice a lobo antico recta ascendens, sulculo continuo, ad alas utrinque excurrente, inferne a lobi antici expansione laterali discretus, dorso lineis duabus, ex utroque latere versus postica incurvis, et demum in fossulam latam, lineis transversis elevatis interstinctam, confluentibus, in tubera (seu lobulos) tria, laevia, convexa, divisus, quorum medium, obovatum, valde versus anteriora expellitur, lateralia vero obtuse rhombica, ad singulum latus, spatium inter alas et fossulam illam mediam dorsalem implent; quae quidem fossula paulo ante scutellum, parum angustata, desinit; tum, interjecto angusto laevi spatio, altera fossula semicircularis, satis profunda, lineis elevatis reticulata, scutellum, breve elevatum et rugulosum, recta discernit. Ad latus utrumque hujus fossulae, aequali fere spatio ab illa et ab alarum posticarum insertione remotus, dens compressus, acutiusculus exseritur, infra quem lobus medius ad angulum fere rectum ex latere utroque descendit in *Lobum posteriorem*, leniter metathoracem versus inclinatum. Idem lobus posticus, lineis elevatis valde reticulatus, costa arcuata media, in alarum posticarum articulationem, tegula propria supertectam, excurrente, transversim bipartitus, altera similique costa postice a metathorace distinguitur. *Metathorax* dorso leniter declivis, ad latera compressus, antice subretusus, rugis elevatis reticulatus, linea utrinque elevata subundulata marginatus, et carinis duabus mediis validis, itidem subundulatis, auctus, infra marginem posticum elevatum, rotundato-trilobum, truncatus est ad abdominis insertionem. *Pectus* medium gibbum, lateribus compresso-planis, punctulatis; superficie inferiori plana rectangula, laevissima, nitida. *Abdomen* lineare, longitudine thoracis, sessile, planum; primum segmentum longissimum, utplurimum subaeque latum, proxime a basi angustatum, ibidemque angulo minuto denticulatum, dorso varioloso-rugoso, carinulis duabas undulatis, remotiusculis, basi, ubi superficies subretusa, divergentibus, aucto, fossula utrinque depressa in margine postico. Segmenta secundum et tertium, primo parum breviora, longitudine decrescentia, illud quadratum, hoc subtransversum; reliqua (quartum ad octavum) decrescentia,

sublinearia, ultimo minuto. Haec omnia laevia. Segmenta ventralia in angulum plicata, omnia laevia, proportione eadem, qua dorsalia, sexto et septimo lamina obtusa vomeriformi terebram fulcientibus, *quae*, structurae communis, abdomen longitudine superat. *Pedes* inaequales; posteriores majores, validiores, coxis crassis, elongatis, conicis; femoribus clavatis. *Alae* validae, nervis crassis.

Metamorphosin in larvis Coleopterorum xylophagorum subire hujus generis species, verosimile est eo, quod feminae in truncis caesis putridisque plerumque inveniuntur obambulantes et terebra sua aditus ad larvarum habitacula pertractantes.

1. Helcon *carinator.*

H. niger, ore pedibusque totis rufis, tibiis tarsisque posticis nigris; abdomine lineari-oblongo, primo secundoque segmento subaequalibus, punctulato-rugosis, illo basi retuso, acute bicarinato; femoribus posticis inermibus; terebra longitudine corporis. *Mas. Fem.*

Synon. *Helcon carinator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 218. *n.* 1.

Long. lin. 4—5. *Mandibulae* et *palpi* testacea. *Antennae* nigrae. *Metathorax* breviusculus, convexus, postice retusus, grosse rugosus, in medio acute carinatus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque; primo segmento planiusculo, latitudine longiore, ad basin rotundato-angustiori, dorso rugosissimo, carinis duabus acutis, distantibus, e basi late retusa recta exeuntibus, nec marginem posticum attingentibus, foveis marginis postici rugis obliteratis; segmento secundo primo parum breviore, basi utrinque punctulato-rugoso, dorso medio, posticoque toto laevibus, reliquis segmentis laevibus, brevioribus. *Terebra* longitudine corporis. *Tibiae* posticae basi rufescentes.

Mas. Feminae congruus, differt: *antennis* basin versus rufis, primo et secundo articulo tamen nigris; *metathorace abdominis*que primo segmento multo crassius rugosis, acutius carinatis, secundo basi late crassiusque ruguloso, spatio dorsali antico non ita laevi; hoc et primo segmento subaequalibus, istoque latitudine parum longiore.

Feminae exemplum misit cl. *Menzinger*, in *Magno-Ducatu Badensi* captum. *Mas* captus prope *Viennam* a cl. *Dahl*, *Norimbergae* a cl. *Sturm*.

Adnotatio:

Proxime affinis sequenti.

2. Helcon *tardator.*

H. ater, nitidus, pedibus totis rufis, tibiis tarsisque posticis nigris; abdomine lineari, segmento primo rugoso-bicarinato secundo longiori; femoribus posticis inermibus; terebra corpore breviore. *Mas. Fem.*

Synon. *Helcon tardator N. ab E. Berl. Mag. VI.* p. 218. *n.* 2. *Tab. IV. fig.* 6. (*fem.*).

Ichneumon adulterator Villers Ent. Lin. III. p. 192. *n.* 187? (*Antennae annulatae, feminae in descriptione tributae, non tam coloris* (*quod quidem Familiae contrarium esset*) *diversitatem, sed apices articulorum, in femina revera magis, quam in mare, protuberantes, auctori significare existimo.*)

Long. lin. 6. *Mandibulae* et *palpi* picea. *Coxae* et *trochanteres* rufi. *Secundum segmentum abdominis* utrinque impressione lata, nec profunda, a basi versus apicem extrorsum versa, et angustata, marginem posticum vero non attingente, impressum. *Terebra* longitudine fere thoracis abdominisque. Tibiae posticae basin versus obscure rufescentes. *Alae* obscurae hyalinae, nervis et stigmate nigro-fuscis.

Mas. Long. lin. 5½. *Antennae* corpore longiores, subrectae. Acumen frontale brevius. *Abdomen* augustius, apice compressum. Tibiae posticae totae nigrae.

Cepi utriusque sexus exempla mensibus Majo et Junio, in ligno et truncis quercinis caesis, nec putrescentibus, quos femina obambulat lento gressu, veluti cuncta sollicite speculatura.

3. Helcon *angustator.*

H. ater, nitidus, abdomine lineari, basin versus angustato; segmento primo convexiusculo, punctato-ruguloso, obsolete canaliculato; pedibus totis rufo-testaceis, tibiis tarsisque posticis nigro-fuscis; femoribus posticis inermibus. *Mas. Fem.*

Synon. *Helcon angustator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 219. *n.* 3.

Long. lin. 3⅓—5. Structura partium et proportione praecedenti adeo similis, ut diu haeserim, an pro mera, memorabili licet, ejus varietate sumerem. Cum vero mas feminae omnino similis ad manus sit, et in

utrosque notae, quibus a *Helcone tardatore* distinguantur, conveniant, separatim edere malebam.

Caput, *thorax* omnino praecedentis. *Metathorax*, acutissime inspectus, simili quidem ratione sculptus, sed, sculptura omnino obsoleta, primo intuitu simplici modo reticulato-rugulosus, areolae mediae vestigiis. *Abdomen* ratione reliqui corporis angustius, basin versus multo magis angustatum; segmento primo lineari, basi parum retuso, ibidemque denticulo obsoleto utrinque aucto, dorso convexo, subaequali, punctulato, subruguloso, opaco, sulculo obtuso, obsoleto, basi apiceque abbreviato, impresso, impressioneque utrinque ante marginem posticum notato, ipso margine inter foveas hasce rufescente. Reliqua segmenta laevia. *Terebra*, ut in praecedente. *Pedes* magis testacei.

Mas, idem, areis *metathoracis* paulo distinctioribus, pedibus saturatioribus.

Misit *marem* et feminam cl. *de Sanvitali*, prope *Parmam* capta; cl. *Dhl*, *Vienna*, *feminam*.

Varietates feminae.

a. A longitudine terebrae:

α. Terebra longitudine corporis.
E collectione cl. *Dahl*, *Viennensis*.

β. Terebra longitudine capitis et thoracis.
E *Sudetis*; cl. *Manger*.

γ. Terebra longitudine capitis et metathoracis.
Ex *Italia* (de *Sanvitali*. *Bonelli*).

δ. Terebra longitudine abdominis.
Habitat in *Italia*. (*Bonelli.*)

b. *α.* Abdomine a secundo segmento laevissimo, in varietatibus *α.* et *γ.*

β. Secundo segmento basi punctulato-ruguloso in var. a. *β.* et a. *δ.*

c. Abdomine a secundo segmento piceo.
In var. a. *δ.* Sed reliquae notae non discrepant.

4. Helcon *aequator*.

H. ater, nitidus, abdomine lineari-subclavato, basin versus angustato; segmento primo subconico, convexiusculo, punctulato, obsolete, canaliculato; pedibus totis rufo-testaceis, tibiis tarsisque posticis nigro-fuscis, femoribus posticis unidentatis. *Fem.*

Synon. *Helcon aequator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 219. *n.* 4.

Long. lin. 5¾. Medius intercedit praecedentem speciem et sequentem, a cofamiliaribus omnibus corpore

laeviori, minusque ruguloso recedens. Structura partium omnino eadem, quae in reliquis, solo capite paulo crassiore, magis conico, adeoque vertice subquadrato, abludit. *Hypostoma* dense subtilissime punctulatum; vertex punctis sparsis, subtilissimis, fere laevigatus; acumen frontale valde conspicuum. *Mandibulae* piceo-fuscae. *Os* reliquum totum testaceum. *Antennarum* primi articuli picei. *Thorax* et *scutellum* subtilissime sparsim punctata, limbo pleurorum et lobi antici ruguloso. *Metathorax* punctato-rugulosus, subaequalis, rugula laterali et sulculo indeterminato medio, antice angustiore, notatus. *Abdominis* primum segmentum secundo longius, e basi latiuscula conico-ampliatum, dorso punctulato, convexiusculo, seu potius obtuse triquetro, angulo supero truncato, plano supero postice latiore, sulculo obsoleto impresso, apice plaga laevi; secundum et reliqua laevia, paulo sensim latitudine increscentia, secundo basi utrinque lineola impressa. *Terebra* corpore longior. Reliqua ut in praecedente, sed pedes toti coloris paulo saturatioris, femoribus posticis crassioribus, ante apicem dente valido, conico, compresso, armatis. *Alae* obscure hyalinae, basi pallidiores.

Prope Gottingam captus a cl. *Fehler.* (Mus. cl. Gravenhorst.) Habitat etiam in *Sudetis;* porro in *Italia*, unde cl. *Bonelli*, prope *Taurinum* captum, misit. Marem non vidi.

5. Helcon *ruspator.*

H. ater, nitidus; abdomine subclavato, primo segmento conico-angustato, rugoso, bicarinato; pedibus rufis, coxis nigris, femoribus posticis clavatis, valide unidentalis. *Fem.*

Synon. *Cryptus ruspator Fabr. syst. Piez. p.* 88. *n.* 77.

Ichneumon ruspator Lin. syst. nat. II. p. 937. *n.* 41. *Faun. Suec. n.* 1625. *Müll. cl. Lin. V. p.* 856. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 173. *n.* 16. *Fabr. Syst. ent. p.* 91. *Ent. syst. II. p.* 177. *n.* 181. *Gravenh. Verz. p.* 263. *n.* 3763. *Ichn. Eur. III. p.* 857. *nota.*

Ichneumon niger, pedibus ferrugineis: femoribus posticis crassis; denticulo armatis. Geoffr. Ins. Paris. II. p. 326. *n.* 12.

Helcon dentator N. ab E. Berl. Mag. VI. p. 220. *n.* 5.

Long. lin. $4\frac{1}{2}$. Species distinctissima. Habitus generalis omnino in eadem expressus, hinc pauca addenda. — *Labrum* rufum, sericeum, palpi fusco-picei. *Metathorax* pulchre reticulatus, area media distincta, inferne rectangula, antice triangulari-acuminata. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque; primo segmento longitudine fere reliqui voluminis, e basi angustiori recto tractu postice conico-dilatato, lateribus prope basin utrinque denticulo auctis, hinc paulo inflexis; dorso rugoso, acute bicarinato; segmento secundo primo dimidio breviore, subpunctato; reliquis gradatim decrescentibus, retractis, hinc apex abdominis rotundatus et subclavatus. *Terebra* longitudine corporis. *Pedum* forma qualis in reliquis. Coxae nigrae. Trochanteres rufi, posteriores basi fusci. *Femora* rufa, postica crassa, interne ultra medium dente crasso, acuto, recto, armata, eodem margine transversim ruguloso; tibiae anteriores luteo-rufae, posticae elongatae, fuscae; tarsi flavescentes, ungue fusco. *Alae* fusco-hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Feminam benigne tradidit *Gravenhorstius,* vir clariss. loco natali haud addito; est autem hoc idem exemplum, quod in catalogo, supra citato, *Ichneumonis ruspatoris* nomine inscripsit. *Sueciam, Galliam* incolere, testes sunt auctores citati. Marem non vidi.

Observatio:

Ichneumon ruspator Schrank. En. Diversus sane a nostro abdomine basi rufo, petiolato; femoribus posticis tridentatis, aliisque notis; *Odontomero dentipedi* Gravenh. autem seu *Anomalo ruspatori* Jur. proximus et ejusdem forte varietas.

6. Helcon *annulicornis.*

H. ater, nitidissimus; abdominis sublinearis primo segmento acute bicarinato, pedibus rufis, coxis trochanteribusque anterioribus tibiis tarsisque posticis nigris, his medio et antennarum annulo albis; femoribus posticis unidentatis. *Fem.*

Synon. *Ichneumon adulterator Vill. Ent. Lin. III. p.* 192. *n.* 187.? (*ubi ad calcem descriptionis, loco: „Mas feminae similis, exceptis antennis in primo annulatis" legendum „in prima" sc. femi-*

na.) — *Oliv. Enc. p.* 216. *n.* 53? *Gravenh. Ichn. Eur. III. p.* 904?

Long. lin. circiter 5¼. Statura praecedentis, a quo praeter alia jam abdomine minus ad basin attenuato recedit. *Hypostoma* valde rugosum. *Vertex* planus, transversus, laevis. *Antennae* nigrae, annulo albo apici propiori, articulos decimum tertium, quartum et quintum occupante. *Mandibulae* et *palpi* piceo-fusca. *Thorax* structurae communis, punctulatus et densius nigricanti-pubescens. *Metathorax* pulchre reticulatus, rugis quatuor longitudinalibus, binis utriusque lateris magis sibi approximatis, in areas tres divisus, media duplo majore, plaga centrali longitudinali, elevata, antrorsum attenuata, rugulosa partita; lateralibus bistransversim rugula divisis. *Abdominis* primum segmentum secundo longius, a basi ad apicem vix dilatatum, et sublineare, marginibus elevatis, carinisque duabus parallelis mediis in tres latiores areas seu sulcos divisum, medio punctulato ruguloso, lateralibus laeviusculis nitidissimis. Secundum segmentum laevissimum; reliqua in nostro exemplo desunt. (*Terebra* [sin vere Ichneumon adulterator Vill. hujus loci] corpore paulo brevior.) *Pedes* laete piceo-rubri, coxis et trochanteribus anterioribus, nigris, his apice rufis; coxis posticis rufis, trochanteribus iisdem superis fuscis, inferis piceis. *Femora* antica basi rufa; reliqua rufa; postica dente compresso marginis inferioris ante apicem armata. Tibiae anteriores piceo-rufae, basi obscuriores; posticae atrae. Tarsi antici rufi, apice fusci; medii albidi, primi articuli basi et ungue fuscis; postici albi, primo articulo basi et ungue nigris. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Habitat in *Episcopatu Hildeshemensi.* Captus mense Julio prope *Oedelein* a cl. *Gravenhorst.* In *Bressia* (Villers) circa Lugdunum (Oliv.).

Mas, secundum Villersium, antennis concoloribus differt.

GENUS IV.
EUBADIZON.

Εὖ, bene, et βαδίζω eo ob ingressum facilem et gracilem.

Eubazus (errore calami vel typographico, pro Eubadizus, quod nunc in Eubadizon mutavimus.) N. ab E. Nov. Act. Acad. Caes. L. C. Nat. Cur. Vol. IX. p. 307. — Berl. Mag. VI. p. 214. Gravenh. Ichn. Eur. I. p. 55.

Caput transversum, latum, fronte verticeque planiusculis. *Prothorax* brevis. *Abdomen* thorace longius, planum; segmentis tribus anterioribus aequalibus, primo conico. *Pedes* graciles. *Areolae cubitales* vel duae, prima trigona angulis omnibus truncatis, vel tres, media triangulari. *Terebra* recta, exserta, longa.

Antennae filiformes, multiarticulatae, primo articulo breviusculo. *Mandibulae* breves, tenues, apice fissae, laciniis obtusis. *Labium* breve, integrum, rotundatum. *Palpi* inaequales, filiformes, maxillares sexarticulati, labiales quadri-articulati, acuti.

Character naturalis.

Antennae filiformes; articulo secundo brevi, crassiori; reliquis elongatis, filiformibus; extremis hamato-recurvis. *Labrum* breve, transversum, semicirculare. *Mandibulae* laeves, breves, tenues, apice, nec profunde, bifidae; laciniis obtusiusculis, aequalibus. *Maxilla* brevis; *stipite* coriaceo, obconico; *mala* paulo longiore, quam stipite, suborbiculata, obliqua, membranacea fere, subtilissimeque ciliata, apice subtruncata. *Palpi maxillares* elongati, sexarticulati; articulo primo brevissimo, obconico; secundo paulo longiore, cylindrico; tertio longiore, subincrassato; reliquis longissimis, et inter se longitudine aequalibus, filiformibus, subciliatis. *Mentum* breve, coriaceum. Lingua lata, rotundata, integra, subciliata, membranacea. *Palpi labiales* breves, quadri-articulati; articulo primo brevissimo, vix distinguendo; ultimo elongato, acuto. *Alae: stigma* ovatum crassum. *Areola radialis* una, ovata, sat magna. *Cubitales* vel *duae*, prima majuscula sexangulari, nervum recurrentem excipiente, secunda in-

completa, postice dilatata; vel *tribus*, media triangulari sessili.

Habitus: Caput transversum, thorace paulo latius. *Hypostoma* perpendiculare, transversum, convexum. *Clypeus* discretus, supra labrum punctis duobus profundis impressus. *Vertex* transversus, obtusus. *Antennae* corporis vix longitudine. *Oris partes* non productae, mandibulis sub labro et clypeo latentibus. *Thorax* modice elevatus, pleuris planis. *Abdomen* longitudine vix capitis thoracisque, dorso planiusculo, laevi; primo segmento parum angustato, striolato, ano rotundato. Segmenta tria anteriora abdominis reliquis majora, invicem subaequalia; reliqua transversa, lineari-brevissima, retracta. Ventris structura ad *Microgasterum* habitum efficta, omnibus partibus contractis magis et volumine diminutis; segmenta nempe duo baseos majora oblique ad latera ascendunt, tertium breve, carinam efformat parvam, vix conspicuam, apiceque truncatam, e cujus sinu terebra prodit tenuis, elongata, corpus longitudine saepe aequans, aut superans; et ventri medio, excavato, incumbens. *Pedes* inaequales; antici remotiusculi; postici longiores, femoribus compressis, subclavatis.

SECTIO I.

Areolis cubitalibus duabus.

1. Eubadizon *macrocephalus.*

E. ater, nitidus, pedibus piceo-rufis; abdominis primo segmento rugoso; terebra corpore sesqui-longiore; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Eubazus macrocephalus N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 215. *n.* 1.

Long. lin. 1⅓ — 2. *Caput* latitudine thoracis transversum. *Mandibulae* in hoc pro genere satis conspicuae. Hypostoma verticale, convexiusculum, punctis clypei impressis, levioribus. *Thorax* suturis punctulatis, scutello fovea discreto. *Metathorax* valde rugosus. *Abdomen* longitudine thoracis; primo segmento basi parum angustato, lateribus versus basin sinu excisis, quo dens satis prominens exoritur, dorso plano, rugoso, basi retuso, utrinque linea elevata notato; secundo et tertio majoribus; reliquis minutis, laevibus, nitidissimis. *Terebra* laevis, picea, falvulis nigris, pubescentibus. *Pedes* validi; coxis, fe-

moribus tibiisque posticis apice, tarsisque iisdem totis, nigro-fuscis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate nigris. *Stigma* magnum, ovatum. *Areola* radialis ovata, magna; *cubitalis prima* sexangularis, lateribus alternis minoribus.

Cepi in umbellatis, mense Majo, prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

Varietas:

β. Paulo minor, coxis nigro-piceis. *Fem.*

Habitat prope *Viennam* (cl. *Dahl*).

Observatio:

In hac Varietate *metathoracis* area media semicircularis, laeviuscula, secundum longitudinem bipartita, segmenta *ventralia* posteriora acute carinata, carina submembranacea remote serrata.

An species distincta?

2. EUBADIZON *pallipes.*

E. niger, nitidus, ore pedibusque totis luteis; abdomine basi subtiliter ruguloso; terebra corpore sesquilongiore; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Eubazus pallipes N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 215. *n.* 2. (*excl. mare.*)

Long. lin. $1\frac{3}{4}$. Praecedente statura simillimus. *Mandibulae* et *palpi* lutea. *Abdominis* segmentum primum ad basin dentatum, ut in praecedente, sed dorso medio convexiusculum, linea longitudinali excavata in carinas duas obsoletas approximatas subdivisum; segmentum secundum basi leviter striato-rugulosum, apicem versus, ut reliqua, laeve; sulcus nullus partem rugosam a laevi dirimit. Reliqua omnia, ut in illo. Habitus paulo gracilior. *Mas. Antennis* longioribus, *abdomine* angustiore, reliquis omnibus ut in femina.

Cepi mense Julio *feminam* unacum *mare*, in horto prope *Sickershausen*; vidi etiam feminam in collectione *Gravenhorstiana*, captam mense Julio prope *Helmstadium* in umbellatis.

3. EUBADIZON *coxalis.*

E. niger, nitidus, pedibus luteis coxis fuscis; abdominis primo segmento conico-angustato rimuloso; alis hyalinis. *Mas.*

SYNON. *Eubazus pallipes mas? N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 215.

Statura et magnitudo praecedentis, a quo differt: *Mandibulis* piceis, *abdominis* primo segmento longiore,

conico-angustato, subtilissime rimuloso-striato; *coxis* nigro-fuscis. — *Metathorax* rugulosus, area media triangulari, parva, obsoleta, rugulosa. *Abdomen* thorace vix longius; segmentis, praeter primum, laevissimis; genitalibus masculis acutis, subuncinatis, decurvis. Tibiae posticae apice fuscae.

Feminam non vidi.

Semel cepi die 17. Septembris in Evonymo Europaeo, ad ripas rivuli prope *Sickershausen.*

4. Eubadizon *pectoralis.*

E. ater, orbita, pectore scutelloque rufis, pedibus totis pallidis; abdominis primo segmento striolato; terebra corpore paulo longiore; alis hyalinis.

Long. lin. $2\frac{1}{2}$. Statura reliquorum, paulo graciliori. *Caput* et *antennae* structurae ejusdem omnino. *Antennae* longitudine corporis, pedicello basi pallido. *Palpi* lutei; *mandibulae* piceae. Color *capitis* niger, orbita indeterminata rubro-ferruginea. *Thorax* ovatus, dorso niger, laeviusculus, pubescens. *Scutellum* et ruga subscutellaris laevia. *Metathorax* ovatus, rotundatus, punctulatus, sulculo medio lanceolato impressus; dorso niger, subtus cum pectore laete rufus. *Abdomen* caput et thoracem aequans, a basi ad apicem magis, quam in reliquis, dilatatum; ipsa basi seu primo segmento angustiori, conico, rectilatero, subtiliter rimuloso; reliquis segmentis laevissimis, subciliatis; omnibus nigris. Venter carinatus. *Terebra* recta, corpore parum longior, picea, valvis nigris, ciliatis. *Pedes* graciles, toti lutei. *Alae* amplae, hyalinae, nervis fuscis, stigmate paulo angustiore, quam in praecedentibus, pallide luteo.

Unum individuum, a cl. *Manger* e *Sudetis* missum, vidimus. *Mas* non notus.

SECTIO II.

Areolis cubitalibus tribus.

5. Eubadizon *trigonus.*

E. niger, pubescens, ore, orbita pedibusque piceo-rufis; terebra corpore paulo breviore; alis areolis cubitalibus tribus. *Fem.*

Long. lin. $2\frac{1}{4}$. *Caput* structurae reliquorum, sed sectione thoracis paulo angustius. *Antennae* setaceae, cor-

pus aequantes. *Thorax* compressus. *Metathorax* ovatus, subrugulosus, areis multis. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, lineari-cultratum, apice compressiusculum, et hamato-truncatum; primo segmento conico, lateribus sinuatis, quo angulus prope basin extollitur, margine ciliato, dorso substriolato, basi retuso, et foveola oblonga ante apicem impresso; reliquis segmentis laevibus, secundo et tertio elongatis. *Terebra* caput cum thorace aequans, subadscendens, tenuis, nigra. *Pedes* mediocres. *Alae* amplae, nitentes, hyalinae, nervis et stigmate fuscis, hoc crasso; *areolis radiali* et *prima cubitali* ut in reliquis, tum accedente parva *media* areola triangulari, radio brevi pedicello innata. Corporis color niger cum nitore. Superficies laevior, pubescens. Mandibulae, palpi, orbita supera media, et pedes e piceo testacea sunt, sed coxae et femora omnia in medio, tum tibiae posticae et tarsi subfusca.

Cepi unum individuum sexus *feminei* in sylvis prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

G E N U S V.

A L Y S I A Latr.

An ab ἅλυσις, catena, ob antennas quorundam catenulatas seu moniliformes?

Latr. Gen. Crust. et Ins. IV. p. 14 *et* 15. *n. CCCCXLVI. N. ab E. in Nov. Act. Ac. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p.* 308. *n.* 5. *Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 55. *Bassus N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 201. *Bassi sp. Panz. Spin. Cryptus sp. Fabr. Bracon sp. Jur. Hymen. tab. VIII. f.* 3. *N. ab E. Cechenus Ill. Ichneumon Panz. F. Germ.*

Caput transversum, crassum, genis verticeque latis, rotundatis, occipite concavo. *Prothorax* brevis. *Abdomen* vel sessile vel petiolatum, thorace longius, depressiusculum, laeve; secundo segmento maximo, primo magis minusve conico-attenuato. *Pedes* graciles. *Areolae cubitales* vel tres, proportione variae, vel *duae*, vel alae *nullae* omnino. *Terebra* plerisque exserta, recta, villosa.

Antennae multiarticulatae. *Mandibulae* breves, latae, subquadratae, trilobae, lobis devaricatis (post mortem saepe

hiantes). *Labium* breve membranaceum, integrum. *Palpi* inaequales, filiformes, anteriores sex-articulati, posteriores quadri-articulati.

Character naturalis.

Labrum parvum, subtrigonum. *Mandibulae* subquadratae, compressae, plerisque magnae, capitis lateribus secundum latitudinem adpressae, extrorsum convexo-carinatae, subtus fornicatae, apicibus etiam in quiete dissitis tricuspidatis, altero dente in nonnullis obsoleto. *Maxillae* apice membranaceae, integrae. *Mentum* integrum. *Lingua* membranacea integra, rotundata. *Palporum maxillarium* articuli duo anteriores subaequales, tum tertius dilatatus compressus, iis, qui hos sequuntur, elongatis. *Palporum labialium* articuli omnes subaequales, singuli a basi ad apicem subincrassati, linguam parum superantes. *Alarum* areolae, in diversis sectionibus aliquantum diversae, suo loco aptius explicentur. Unam speciem omnino apertam invenimus.

Habitus: *Caput* crassum, fronte lata convexa laevi, medio ad insertionem antennarum subdepressa, pone oculos protuberante; genae obsoletae; hypostoma transversum. *Mandibulae* saepe ad latera reflexae et hiantes, si clauduntur, dentibus alternantes. *Antennae* ciliatae. *Occiput* excavatum; collum breve, tenue. *Thorax* obovatus, convexus, antice utrinque impressus, lineola curva, nec ultra, ut in Braconibus, continuata. *Scutellum* impressione, saepe porcata, ad basin discretum. *Metathorax* brevis, declivis, rugosissimus. *Abdomen* planiusculum; primo segmento ruguloso, basin versus conico-angustato, vel magis in speciem petioli contracto; reliquis laevibus; secundo maximo, plus tertia parte abdominis occupante, *) tertio usque ad sextum brevibus, transversis, arcte incumbentibus, sexto subconico. *Terebra* exserta, abdomine vix unquam longior, ratione tenuis, valvulis pilis longis, sparsis, hirtis. Venter in angulum membranaceum elevatus, segmento quinto processu brevi, obtuso, terebram fulciente. *Pedes* mediocres; femoribus subclavatis. *Alae* plus minus hyalinae, stigmate mediocri, oblongo, aut lineari.

---

*) Caveas, ne impressionis mediae transversae, in lineolae subtilissimae speciem contractae, vestigio deceptus, hoc segmentum pro duobus accipias.

SECTIO I.

Areola radialis ovata, ad apicem alae acute clausa. *Areolae cubitales* tres, prima majore, nervum recurrentem excipiente. *Antennae* mediocres, articulis brevibus. *Abdomen* subsessile.

Areolae cubitales tres; prima major, pentagona, nervum recurrentem excipit; secunda minor, trapeziformis, angulo interiori protracto. *Stigma* subovatum. *Mandibulae* lobis lateralibus obtusis. *Antennae* filiformes, validiusculae, corpore breviores, articulis transversis. *Abdomen* sessile, segmento primo ruguloso, basin versus recta angustato. *Alae* textura firmiore.

Habitatio in larvis coleoptrorum Coprophagorum, hinc et imago gregaria saepe in stercore, sparsa vero in floribus umbellatis deprehenditur.

1. Alysia *manducator.*

A. ater, nitidus, mandibulis pedibusque totis piceorufis; terebra longitudine trium ultimorum segmentorum abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Alysia manducator Latr. Gen. Crust. et Ins. IV. p.* 15.
Cryptus manducator Fabr. S. Piez. p. 87. *n.* 73.
Bassus manducator Panz. Krit. Rev. p. 75. *N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 202. *n.* 1.
Ichneumon manducator Panz. Faun. Germ. LXXII. 4.

Magnitudine a longitudine linearum 2⅙ — 3¾ variat. *Caput* thorace latius, crassum, pubescens; vertice transverso, rotundato, sparsis punctis impresso, pubescens; hypostomate brevi, convexo, sub antennis brevi obtusaque carinula notato, punctulato ruguloso; clypeo late trigono, apice rotundato, hirsuto; occipite retuso, acute sub-didymo. Capitis color niger, nitidus; ore rufo. Mandibulae in genere maximae piceae, obtuse trilobae. *Antennae* longitudine corporis, graciles, pubescentes; primis tribus articulis, inferne praecipue, piceis. *Thorax* brevis, ovatus, niger, sparse punctatus, nitidus, pubescens; scutello rotundato, fovea profunda, punctulata discreto; plagis ejus lateralibus porcatis. — *Metathorax* brevis, postice subtruncatus, margine supero subelevato, densissime rugoso-reticulatus, niger, opacus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque obovatum, planiusculum, laeve, nitidum, ni-

grum; primo segmento postice subquadrato, hinc antrorsum repente angustato, angulo utrinque obtuso conspicuo, dorso pubescente, ruguloso, in medio obtuse carinato; reliquis segmentis laevibus. Anus rotundatus. *Terebra* longitudine trium ultimorum segmentorum abdominis, recta, satis firma, villosa, nigra; seta picea. *Pedes* toti laete rufi, tarsis posticis fuscis. *Alae* membrana firmiore constructae, obscure hyalinae, seu fuscescentes, nervis et stigmate fuscis.

Mas. Antennae graciliores, longiores, articulo primo et secundo, subtus praesertim, rufis. *Abdomen* basi paulo magis angustatum, septem-annulatum, ventre plano. *Pedes* laetius rufi.

Habitat in stercore humano, copiosus, tum etiam in floribus umbellatis. Vidi exempla utriusque sexus prope *Sickershausen* capta; tum alia multa in *Magno-Ducatu Badensi* a *Menzingero*, in *Sudetis* a *Mangero*, prope *Helmstadium* a *Gravenhorstio*, *Parisiis* a *Brongniarto* collecta.

2. Alysia *truncator.*

A. ater subobscurus, mandibulis pedibusque totis piceo-rufis; terebra abdominis apicem non superante; alis albidis. *Fem.*

Long. lin. 3. Individuum unicum, quod vidi, hic ut speciem enumerabo, donec data occasione plura comparandi dubia solvantur. Omnibus notis cum *Alysia manducatore* congruens, differre videtur solis hisce: *color* cœcior. *Antennae* ratione corporis firmiores. *Metathorax* non adeo rugulosus et cicatricosus, sed punctis latis, superficialibus, sparis impressus. *Abdominis* primum segmentum sculpturae, quae in praecedente invenitur, sed subtilioris, basin versus leniori tractu decrescens. *Terebra* anum non superans, gracilis. *Pedes* dilutioris coloris. *Alae* albidae, in disco vix obfuscatae.

Habitat prope *Parmam*. E collectione cl. *de Sanvitali.*

3. Alysia *similis.*

A. nigra, nitida, mandibulis pedibusque piceo-rufis, femoribus fuscis; terebra longitudine dimidii abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus similis N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 203. *n.* 2.

Long. lin. 2. *Alysiae manducatori* similis, sed differt: *statura* minore, *metathorace* puncta*o-ruguloso, nec rugosis-

sissimo; *abdominis* segmento primo striis regularibus, subparallelis exarato, carinulis nullis; *terebrae* longitudine; *coxis* et *trochanteribus* nigro-piceis, *femoribus* piceo-fuscis, solis anticis infra rufis. — *Tarsi* fusci. Nervus recurrens interstitialis.

Mas. Idem omnino. *Antennae* piceae. *Trochanteres* pallidiores.

Cepi *feminam* mense Aprili sub muscis ad radices arborum; *marem* eodem tempore in Pruno Ceraso, locis sylvaticis, prope *Sickershausen.*

4. Alysia *rufidens.*

A. atra, nitida, pedibus fuscis, mandibulis tibiisque posticis basi piceis; terebra longitudine $^1/_3$ abdominis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^1/_4$. Habitus praecedentis, sed paulo tenuior. *Color* corporis ater, cum nitore. *Antennae* longitudine dimidii corporis. *Mandibulae* laete piceo-rufae. *Metathorax* subrugosus. *Abdominis* primum segmentum subtilissime striolatum, basi subcarinatum. *Pedes* fusco-nigri; trochanteribus inferis et tibiis posticis versus basin, his obsoletius, piceo-rufis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis; areolis ut in praecedentibus.

Mas. Feminae similis. *Femora* antica rufo-picea, basi obscuriora; posteriora fusca; *tibiae* anticae totae testaceae, posteriores basi rufo-piceae, apice fuscae; *tarsi* iidem fusci, antici rufi. *Metathoracis* area nulla.

Cepi *marem* et *feminam* prope *Sickershausen.*

5. Alysia *cingulata.*

A. atra, ore, antennarum basi pedibusque totis rufis; abdominis secundo segmento rufo-piceo; antennis gracilibus. *Mas.*

Long. lin. $1^1/_4$. Statura praecedentium. *Caput* crassum, laeve, nitens, mandibulis, palpis et genis rufis. *Antennae* graciles, articulis magis quam in cofamiliaribus elongatis, nigrae, primis quatuor articulis testaceis. *Thorax* ovatus, brevis, laevis, niger, lobo antico rufo. *Metathorax* brevis, rugulosus. *Abdomen* lanceolatum, thorace angustius, laeve; primo segmento lineari-conico, striolato, nigro-piceo, basi rufescente; secundo toto laete at saturate e piceo-rufo. Venter compresso-carinatus, basi late rufus. *Pedes* toti rufi, tarsis posticis obscurioribus. *Alae* cuneiformes, obscure hyalinae; stigmate ovali, pallide fusco; nervis

fuscis; areola radiali oblongo-ovata, apicem alae non attingente; areola cubitali prima secunda majore, nervum recurrentem fere in medio excipiente.

Habitat in *Italia*, *mas* captus prope *Valentiam* die 2° Maji a cl. *Bonelli*.

Femina ignota.

SECTIO II.

Areola radialis plerumque effusa (rarius in apice alae acute clausa). *Areolae cubitales* tres; prima minore, secunda postice attenuata; nervus recurrens interstitialis. *Antennae* graciles, longae, articulis elongatis. *Abdomen* sessile aut subpetiolatum.

Alae ratione corporis elongatae, subcuneiformes, texturae membranaceae tenuis; superficie pubescente, marginibusque ciliatis. *Areola radialis* raro in apice alae acute clausa, utplurimum situ potius subparallelo effusa. *Areola cubitalis* prima secunda minor, subrhombica; secunda major, postice sensim angustata; tertia ut in praecedentibus. *Nervus recurrens* ipsis *limitibus* primae et secundae areolae cubitalis exceptus, obliquus. Stigma oblongum sublineare.

Antennae plus minus elongatae, corpore saepe longiores, subsetaceae, articulis elongatis. *Mandibulae* dentibus lateralibus utplurimum acutis. *Abdomen* in pluribus subpetiolatum, segmento primo basin versus magis contracto. *Terebra* longius exserta.

Habitatio in Fungis putridis, iis praecipue, quae larvis Mycetophilarum Meig. scatent.

6. Alysia *mandibulator*.

A. atra; mandibulis rufis, pedibus totis piceis; terebra longitudine ⅓ abdominis; areola radiali in apice alae acute clausa. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus mandibulator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 204. *n.* 3.

Long. lin. 2. Palpi picei. *Mandibularum* lobi quam in reliquis magis obtusi, margine tenui piceo. *Antennae* longitudine corporis, fuscae, pedicello piceo. *Caput* laevissimum. *Thorax* laevis, ovatus. *Metathorax* brevis, rotundatus, punctulatus; area dorsali minuta, orbiculata, laeviuscula. *Abdominis* obovati segmentum primum subangustatum, rugulosum. *Terebrae* valvulae, ut in sequen-

tibus, valde ciliatae. *Alae* obscure-hyalinae, nervis et stigmate fuscis, ut in omnibus sequentibus, ubi mentio horum non fit.

Areola radialis in apice alae acute clausa et antennae validiores, licet elongatae, copulam cum sectione antecedente efficiunt.

Cepi feminam die 11° Junii in Hieracio murorum locis sylvaticis, ubi Telephora laciniata Pers. copiosa spargebatur, aestatis vi maximam partem dissoluto. Mense Junio in Rhamno Frangula, locis humidulis nemorosis, prope *Sickershausen.*

Varietas:

β. Long. lin. 1½. *Mandibulis* pedibusque totis piceo-nigris, solis trochanteribus inferis piceo-rufis; *metathorace* carinato, nec areato; *alis* nigricantibus. *Fem.*

Color aterrimus. *Pedes* multo obscuriores, quam in *Alysia mandibulatore* communi.

Mas feminae simillimus, long. lin. 2. Habitat *Taurini, Italiae.* (*Bonelli.*) Prope *Helmstadium* cl. *Gravenhorst* die 22° mensis Augusti in Apio Petroselino *feminam* cepit. Marem cum femina, in Italia captum, in Museo Bonelliano vidi.

7. Alysia *truncator.*

A. atra; mandibulis, palpis, pedibusque totis rufotestaceis; terebra longitudine ⅓ abdominis apice compressi; areola radiali in apice acute clausa. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus truncator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 204. *n.* 4.

Long. lin. 2. A praecedente, cui statura et forma areolae radialis maxime accedit, differt: *palpis* et *pedibus* rufo-testaceis; *antennarum* articulo primo et secundo rufis; *metathorace* subtilius punctulato, areae nullo vestigio; *abdominis* segmento primo minus angustato; *terebra* breviore. Ab omnibus sequentibus: areola radiali in apicem alae non effusa.

Mandibularum margines apicales fusci. *Antennae* longitudine corporis, nigrae, primis duobus articulis testaceis. *Metathorax* subtilissime punctulatus. *Abdominis* primum segmentum basin versus parum angustius, dorso plano ruguloso. Reliqua segmenta laevia, a latere compressa, subtriangularia; anus truncatus. *Tarsi* apice fusci. *Alae* albo-hyalinae, nervis et stigmate fuscis. Areolae cubitales ut in praecedente.

? *Mas*? Differt: *abdominis* primo segmento lineari, utrinque dente distincto armato; *femoribus*, *tibiis*que postices apice et *tarsis* iisdem totis fuscis. Reliqua ut in femina. *Antennae* corpore longiores.

Habitat prope *Gottingam*, ubi femina a cl. *Gravenhorst* sub finem mensis Maji in valle paludosa capta est. *Mas* mihi a cl. *Manger* e *Sudetis* communicatus.

8. Alysia *triangulator*.

A. nigra, mandibulis abdominisque primo segmento rufo-piceis, palpis, antennarum basi, pedibusque testaceis; terebra longitudine dimidii abdominis truncato-triangularis. *Fem.*

Synon. *Bassus triangulator* N. ab E. *Berl. Mag. VI. p.* 205. *n.* 5.

Long. lin. 1½. *Antennae* corporis longitudine, articulis primo et secundo testaceis, crassioribus, reliquis tenuibus. *Palpi* pallidi. *Abdomen* thorace paulo longius, dorso ut in reliquis; primo segmento satis elongato, striatulo, rufescente. Ventris carina postice in angulum dilatata, ut abdomen, a latere visum, fere formam trianguli exhibeat. *Pedes* toti rufo-testacei. Stigma subtestaceum.

Cepi in sepibus mense Junio prope *Sickershausen*. *Mas* ignotus.

9. Alysia *pumilio*.

A. atra, mandibulis, pedibusque piceo-rufis, femoribus tibiisque apice obscurioribus; terebra longitudine dimidii abdominis obovati. *Fem.*

Synon. *Bassus pumilio N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 205. *n.* 6.

Long. lin. 1. *Antennae* nigrae. *Palpi* fusco-testacei. *Abdominis* segmentum primum conicum, utrinque sulculo obsoleto. *Tarsi* anteriores fusco rufoque annulati. Reliqua congenerum.

Cepi mense Julio in horto prope *Sickershausen*. Mas non notus.

10. Alysia *incongrua*.

A. nigra, ore, pedibus totis, antennarumque primo et secundo articulo subtus testaceis; terebra longitudine ⅖ abdominis nigri; tibiis posticis apice et tarsis iisdem fuscis. *Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Abdomen* concolor, apicem versus obscure piceum, subtus gibbum. *Pedes* pallide testacei. *Tibiae* posticae apice fuscae. *Stigma* crassum, fuscum; qua nota praecipue ab *Alysia gracilicorni* discrepat.

Variat antennarum articulis secundo et tertio subtus rufis, supra fuscis.

Ab *Alysia triangulatore* differt: stigmate crassiori, et areola radiali magis acute clausa.

Cepi prope *Sickerskausen*. *Marem* non vidi.

11. Alysia *abdominator.*

A. nigra, mandibulis abdomineque postico rufo-piceis, palpis pedibusque totis pallide testaceis; terebra longitudine $\frac{2}{3}$ abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus abdominator N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 205. *n.* 7.

Long. lin. $1\frac{3}{4}$. *Antennae* setaceae, articulis primo et secundo rufis. Genae saepius piceo-rufae. *Thoracis* lobus collaris piceus. *Abdominis* segmentum primum nigrum, conico-angustatum, rugulosum, basi carinis duabus divergentibus notatum, marginibus lateralibus a medio lineola impressa discretis; ante medium utrinque denticulo parvo. Reliqua segmenta laevia. *Ungues* nigri. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Habitat in Boletis (v. g. circinante annulato) rarius in Agaricis putridis, vere et autumno prope *Sickershausen*.

Varietates:

Variat magnitudine et colore segmentorum abdominis.

α. Secundum segmentum obscure e fusco-piceum, reliqua nigra; major et minor. Fem.

β. Secundum segmentum rufo-piceum, reliqua fusca; minor. *Fem.*

Mas. Feminae simillimus.

Ex *Magno-Ducatu Badensi* a cl. *Menzinger* mihi missus est.

γ. Segmenta omnia, primo excepto, rufo-picea. Fem.

Cepi minorem mensibus Martio et Septembre prope Sickershausen. E *Sudetis* a cl. *Manger* individuum long. lin. 2. accepi.

Adnot. *Genae* nigrae in hac varietate. Abdominis segmenta duo ultima sinu rotundato emarginata.

An species propria?

12. Alysia *ruficeps.*

A. nigro-fusca, capite (thoracis dorso in aliis) rufo; palpis et pedibus totis testaceis; terebra longitudine abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus ruficeps N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 205. *n.* 8.

Long. lin. $1^1/_4$ — 2. Coloris rufi, distributio in hac specie aliis individuis alia; idem color et in aliis laetior, in aliis obscurior. *Caput* omnibus rufum, obscurius in individuis minoribus, macula verticis nigra, quae magis contrahitur in exemplis majoribus, capitis colore laetiore conspicuis, in nonnullis plane deletur. *Antennae* graciles, fuscae, articulis primis saepe testaceis. *Thorax* fuscus, collo plus minus e testaceo picescente; lobo antico lineis tribus mediis impresso (lateralibus postice coëuntibus), coloris in minoribus tum reliquo trunco similis, tum plus minusve e fusco-nigro in piceum et piceo-rufum vergentis; in quibusdam majoribus denique thorax laete rufus, immaculatus, vel maculis tribus fuscis obscuratus; illis *scutellum* quoque rufum, sulco nigricante discretum, quod reliquis omnibus nigro-fuscum. *Metathorax* parum rugosus, ut pectus, niger. *Abdomen* structura praecedentis, petiolo rugosiusculo, marginato, basi vix carinato et denticulato, eodemque obscuriore; reliquis segmentis plus minus fusco-piceis. *Terebra* nigra. *Pedes* toti rufo-testacei, unguibus nigris. *Alae* ut in praecedente.

Mas. Idem, sed multo rarius, quam femina, reperitur.

Habitat prope *Sickershausen* in Boletis putridis. Semel quoque cepi feminam in Russula rosea, autumno. Post frigus sub foliis deciduis. In *Italia* frequentem reperiri in stercore affirmat cl. *Spinola* in litteris.

E *Sudetis* accepimus mascula individua plura, variae magnitudinis, nulla feminea; illis caput plus minus nigrum et rufum; thorax saepius niger, et sola plaga dorsali media notatus, scutellum nunquam rufescens.

13. Alysia *testacea.*

A. rufo-testacea, oculis et ocellis nigris, antennis abdomineque, petiolo excepto, fuscis. *Mas.*

Synon. *Bassus testaceus N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 206. *n.* 9.

Long. lin. $1^1/_4$. *Alysiae ruficipiti* mari statura, abdominis petioli forma et sculptura similis, sed color con-

stans et nitidus. *Antennarum* articuli tres baseos testacei. *Caput* laevissimum. Circumscriptio *abdominis* spathulam referens, ano obtuso; ejusdem primum segmentum distinctius carinatum, et semper testaceum, cum in praecedente reliquo abdomine obscurius sit. *Alarum* nervi validiores.

Deprehendi in floribus, locis sylvaticis, autumnali tempore, prope *Sickershausen*.

14. Alysia *gracilicornis*.

A. nigra, nitida; antennarum articulo secundo, palpis et pedibus testaceis, mandibulis piceis; abdomine subpetiolato; terebra longitudine abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus gracilicornis N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 206. *n.* 10.

Long. lin. $2^1/_4$. *Antennae* graciles, nigrae, ciliatae, articulo secundo crassiore testaceo. *Abdominis* segmentum primum ratione longitudinis angustius, basin versus sensim magis attenuatum, convexum, rugulosum, lateribus tenuissime marginatum, carinis duabus dorsalibus distinctis, ante apicem desinentibus, basi divergentibus; reliqua segmenta laevia, nitidissima. *Terebra* pulchre ciliata. *Ungues* nigri. *Alae* ut in praecedentibus; stigmate subtestaceo, lineari, magis elongato.

Mas. Antennis corpore dimidio longioribus; *abdominis* secundo segmento dorso picescente.

Cepi feminam et marem mense Octobre in Boleto circinante, et in sepibus, prope *Sickershausen*.

Varietates:

β. Long. lin. $1^1/_8$. *Antennarum* articuli secundus et tertius rufo-testacei. *Stigma* brevius. *Genae* rufo-piceae. *Orbita* quoque supera obscure picea. *Abdominis* primum segmentum basin versus minus angustatum, rimulosum, carinis obsoletis.

Mas feminae omnino congruus. *Marem* hujus varietates una cum femina mense Octobre prope *Sickershausen* cepi.

15. Alysia *bicolor*.

A. atra, nitida, ore, pedibus, abdomineque subpetiolato toto rufis, terebra longitudine dimidii abdominis. *Fem.*

Synon. *Bassus bicolor N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 207. *n.* 11.

Long. lin. $1^1/_6$. Statura praecedentis. *Caput* ratione

reliquorum hujus Sectionis minus crassum. *Mandibulae* rufo-piceae; *palpi* testacei. *Antennae* corpore duplo longiores, setaceae, graciles, fuscae; articulis primo, secundo et tertio testaceis. *Thorax* gibbus, ater, nitidus, subpubescens. *Abdomen* forma praecedentis, postice paulo compressum; primo segmento angusto, vix ruguloso, ascendente. *Terebra* abdomine concolor. *Coxae*, *trochanteres* et *pedes* anteriores abdomine pallidiores; pedes postici (demtis coxis et trochanteribus) colore abdominis; *ungues* fusci. *Alae* praecedentis, stigmate etiam lineari-elongato; areola vero cubitalis secunda postice non angustata et fere rectangula. *Feminam* unam cepi die 13 mensis Julii in dumetis prope *Sickershausen*. Marem non vidi.

SECTIO III.

Areola radialis effusa. *Areolae cubitales* tres; prima minore subquadrata; media basin versus nervum recurrentem excipiente. Stigma lineare, obsoletum. *Abdomen* plerisque subsessile.

Antennae filiformes, articulis quindecim ad triginta; secundo crasso, reliquis distinctis vel subcylindricis ciliatis, ad illas Sectionis primae accedentes; vel tenuioribus, et subfiliformibus, fere ut in secunda Sectione. *Mandibulae* minores, quam in praecedentibus, obovatae, post mortem hiantes, apice subrectae, dentibus tribus parvis; acutis, aequalibus.

Corporis *habitus* omnino fere, qualis in speciebus primae et secundae Sectionis. *Caput* crassum, fronte brevi. *Abdomen* breve, subsessile; segmento primo conico-angustato. Terebra exserta.

16. Alysia *ruficornis.*

A. aterrima nitida; mandibulis, palpis, antennarum basi, pedibus totis, abdomineque subpetiolato compresso. triangulo piceo-rufis, petiolo nigro; terebra longitudine ultimi segmenti, antennis brevibus, submoniliformibus. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Habitus omnino Alysiarum primae Sectionis. *Caput* transversum, subcubicum, atrum, laevissimum, glabrum, vertice lato, hypostomate brevi, tumido, subbicarinato. *Mandibulae* hiantes, magnae, trilobae, lobis obtusis, rufo-piceae. *Palpi* testacei. *Antennae* longitudine capitis et thoracis, articulis viginti quin-

que; secundo crassiori brevi; tertio, quarto, quinto subcylindricis, decrescentibus, piceo-rufis; reliquis omnibus, extremis praesertim, subglobosis, fuscis, pilosulis. *Thorax* ater, ovato-subglobosus, laevis, pubescens. *Metathorax* brevis, rugulosus, truncatus, niger, plaga dorsali obsoleta triangula. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, compresso-trigonum; primo segmento a basi conico-dilatato, plano, ruguloso, nigro-piceo; reliquis piceo-rufis, secundo maximo, dilutiori. Venter maxime gibbus, compressus. Anus oblique truncatus. *Terebra* subadscendens, ultimum segmentum vix excedens, nigra. *Pedes* validiusculi, toti laete piceo-rufi, unguibus nigris. *Alae* obscurae, firmiores, areolis omnino ut in reliquis hujus Sectionis, stigmate lineari, obsoleto, et nervis fuscis.

Mas. Feminae respondet. *Antennae* setaceae, longitudine corporis, nigrae, articulis cylindricis (viginti-quinque) primo ad quartum rufis. Statura gracilior; Metathorax minus rugosus, plaga dorsali deorsum dilatata, in planum descendente. *Abdomen* oblongum, obtusum; primo segmento secundoque piceo-rufis, reliquis nigris. Pedes pallidiores.

Feminam ipse prope *Sickershausen* cepi; *marem* e *Sudetis* cl. *Manger* transmisit.

17. Alysia *brevicornis.*

A. atra, mandibulis, palpis pedibusque-rufo-piceis; abdomine subpetiolato, compresso, triangulo; terebra longitudine ⅓ abdominis; antennis quindecim — sedecimarticulatis.

Synon. *Bassus brevicornis N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 211. *n.* 19.

Long. lin. 1. Species distincta et attentione dignissima, media quasi inter Alysias Sectionis secundae et tertiae. *Caput* crassum, structura eadem, quam in prima Sectione observamus, thorace latius; hypostoma brevissimum; vertex latus, convexus. Totum caput atrum, laevissimum, nitidum, vix pubescens. *Mandibulae* hiant, obtrigonae, truncatae, tridentatae, dentibus medio et infero distinctis, supero obsoleto, rufae. *Palpi* obscuriores, non valde elongati, subcapitali. *Antennae* crassiusculae, longitudine vix dimidii corporis, recurvae, filiformes; articulis quindecim; primo et tertio minutissimis; secundo crassiore, cylindrico; quarto, quinto, sexto subcylindricis, arctius contiguis; reliquis ovato-oblongis, discretis, pubescentibus, ultimo vix

acuto. Color antennarum fuscus. *Thorax* subglobosus, laevissimus, nitidus, ater; scutello foveola transversa, sat conspicua, discreto. *Metathorax* hemisphaericus, obsolete rugulosus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque; primo segmento angusto, conico-angustato, ruguloso; secundo maximo, a latere valde compresso, imprimis versus postica dorso ascendente, laevissimo; reliquis segmentis minimis, sub secundum maximam partem retractis, decrescentibus, quo abdomen arcu descendente abrupte terminatur, fere ut in *Figitibus*. Color abdominis ad piceum vergit. *Terebra* gracilis, longitudine $1/3$ circiter abdominis, pubescens, nigra. *Pedes* graciles, rufo-picei; trochanteribus inferis tibiisque pallidioribus. *Alae* obscure hyalinae, nervis fuscis. Textura omnino reliquorum hujus Sectionis, stigmate lineari, breviusculo, testaceo.

Mas. Long. lin. $1/2$—$2/3$. *Antennae* filiformes, articulis sedecim subcylindricis, totae et pedes fusci, hi trochanteribus inferis et tibiis basi piceis.

Cepi *feminam* mense Majo, marem Septembre in Pruno Pado, locis humidiusculis, prope *Sickershausen*. Marem etiam cl. *Manger* e *Sudetis* misit.

V a r i e t a t e s:

β. Long. lin. $1/2$ reliquis omnibus notis congruum. *Fem.* E Sudetis accepimus.

γ. Prima areola cubitali obsoleta. *Mas.*

Cepi mense Septembre in horto, prope *Sickershausen*.

18. Alysia *castanea*.

A. castanea, pedibus piceis, capite abdominisque ovati sessilis posterioribus segmentis nigris; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum. *Fem.*

Long. lin. $1\,1/4$. Species habitu brevi, coacto, capite ratione reliqui corporis mediocri, transverso, distincta. Superficies glabra, laevis, nitida, pingui nitore. *Caput* cum *antennis* et *terebra* nigra, *thorax* et *abdomen* saturate castanea, hoc apicem versus obfuscatum et fere nigrum. *Pedes* picei, femorum clava obscuriore. *Antennae* longitudine corporis, setaceae, graciles, totae nigrae, articulis triginta (?) brevibus. *Mandibulae* piceae. *Metathorax* laevis, convexus, sulculo arcuato transversali sub scutello. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, convexum, obtusum, ovatum; primo segmento vix longitudine secundi, conico, latiusculo, laevi; reliquis margine ciliatis. *Alae* obscure hya-

linae, nervis et stigmate fuscis, hoc lineari, distincto. *Areolae* cofamiliarium.

Habitat in *Sudetis*. Non nisi unum exemplum, idque *feminei* sexus, vidi.

19. Alysia *pumila*.

A. atra, mandibulis, palpis, abdominis compressi primo segmento pedibusque totis piceo-rufis; terebra longitudine vix duorum ultimorum segmentorum abdominis; antennis articulis undeviginti. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Statura omnino cofamiliarium. *Mandibulae* dentibus tribus, acutis. *Antennae* validae, nigrae, dimidio corpore longiores. *Metathorax* punctulatus, convexus, rugis duabus arcuatis. Primum segmentum *abdominis* anguste conicum, striatum, rufum; reliqua segmenta piceo-nigra, valde compressa. *Terebra* ascendens, nigra, ultimum segmentum vix superans. *Pedes* piceo-rufi, femoribus tibiisque basi pallidioribus, tarsorum articulis apice extremo-fuscis. *Alae* hyalinae, nervis fuscis, stigmate lineari, distincto, saturatiore.

Mas. Idem, *antennis* elongatis, corpus aequantibus, articulis viginti uno, magis cylindricis, primo et secundo rufis; *abdomine* spathulato, depresso, segmento secundo itidem piceo; *pedibus* dilutioribus.

Cepi *marem* cum *femina* in copula in Selino Oreoselino, mense Augusto, prope *Sickershausen*.

Varietates:

? β. *Antennarum* articulis primo et secundo piceo-testaceis; *metathorace* magis nitido, rugoso; *abdominis* petiolo paulo obscuriore; *terebra* longitudine duorum ultimorum segmentorum; *pedibus* pallidioribus, alarum stigmate pallidiore et angustiore. *Fem.*

Mas ut in praecedente.

Cepi cum *femina* in copula, mense Augusto, prope *Sickershausen*. Tum feminam quoque e Sudetis, a cl. *Manger*, et ex *Italia*, a cl. *Bonelli* obtinui.

20. Alysia *minuta*.

A. nigra, mandibulis, palpis, antennarum articulo secundo pedibusque rufis, abdominis primis duobus segmentis obscure piceis; terebra abdomine breviore. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus minutus N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 212. *n.* 20.

Long. lin. 1. *Antennae* fusco-piceae, longitudine cor-

poris, articulis viginti et uno, cylindricis, tertio longiore. *Abdominis* primum segmentum versus basin conico-angustatum, subbicarinatum, rugulosum; reliqua segmenta laevia a latere subcompressa. Color primi segmenti et secundi ex nigro obsolete piceus. *Terebra* picea, longitudine ²/₃ abdominis. *Pedes* rufi toti. *Palpi* his pallidiores. *Ungues* nigricant. *Alae* obscure hyalinae, stigmate vix ex intumescentia levi radii determinando.

Mas. Idem, minor, *antennis* magis elongatis (secundo articulo concolore); *abdominis* segmentis duobus anterioribus distinctius rufescentibus.

Feminam cepi ad fenestras, mense Septembre; *marem* eodem mense in dumetis, mense Majo vero in Pruno Pado prope *Sickershausen.*

V a r i e t a t e s:

β. *Antennis* gracilioribus; *abdomine* basi subconcolore. Mense Septembre prope *Sickershausen* in Agarico campestri, in Vaporario nascente, gregarium cepi, sed omnia individua *feminei* sexus erant.

γ. *Areola cubitali prima* in discoidalem effusa, caeteris ut in var. β. *Fem.*

E *Sudetis* cl. *Manger* transmisit.

21. ALYSIA *tabida.*

A. fusca, capite abdomineque postico nigris, antennarum basi, petiolo abdominis pedibusque totis luteo-testaceis; terebra longitudine dimidii abdominis lanceolato cultrati. *Fem.*

Long. lin. 1. A praecedente, cui proxima, differt: *antennis* gracilioribus, quarto articulo imprimis multo magis elongato, eodem cum primo ad tertium rufo testaceo, reliquis fusco-testaceis; *thorace* fusco; *abdominis* primo segmento angustiore, laeviusculo, distincte rufo, reliquo abdomine e fusco in nigredinem ani sensim obscurato, angustiori, nec a latere adeo complanato-dilatato. Reliqua praecedentis. *Mandibulae* et *palpi* rufa. *Metathorax* laevis, brevis, rugis duabus arcuatis. *Pedes* toti pallide rufi. *Alae* hyalinae.

Habitat in *Sudetis*, unde individua duo. *Mangeri* cura ad nos pervenere. *Mas* ignotus.

22. ALYSIA *pusilla.*

A. nigra, nitida, ore, antennarum articulis primo et secundo, abdominis petiolo pedibusque totis rufis; terebra longitudine abdominis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Bassus pusillus N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 212. *n.* 21.

Long. lin. ⅔ *Mandibulae* et *palpi* pallide-rufa. *Antennae* corpore longiores, articulis elongatis; primo et secundo brevioribus, crassioribus, rufis. *Corpus* pubescens. *Abdomen* ovatum; primo segmento conico, brevi, laeviusculo, testaceo-rufo; reliquis segmentis margine ciliatis. *Terebra* ciliata, apice subincrassata. *Pedes* toti rufo-testacei, tibiis posticis et unguibus omnium fuscis. *Alae* omnino praecedentis. Mandibulae, quae angustiores, quam in praecedente, majorem cum Braconibus affinitatem produnt.

Mas feminae omnino similis. *Antennae* articulis viginti, radicula computata. *Metathorax* laevis, nitens, devexitate postica carinae longitudinalis ope subbiareata. *Abdomen* apice depressiusculum. *Tibiae* posticae solo apice paulo obscuriores. Stigma vix indicatum; areola cubitalis prima nervo tenuiori indicata, minor; secunda antrorsum valde producta.

Cepi *marem* et *feminam* in dumetis sepibusque mense Augusto prope *Sickershausen*.

23. ALYSIA *rufiventris*.

A. atra, nitida, palpis, antennarum primo et secundo articulo subtus, abdomine pedibusque totis rufo-testaceis, petiolo nigro; terebra longitudine ultimi segmenti, nigra. *Fem.*

SYNON. *Bassus rufiventris N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 213. *n.* 22.

Long. vix lin. 1. *Antennae* praecedentis. *Os* laete rufum. *Thorax* ater, nitidissimus. *Metathorax* punctulatus. *Abdominis* ovati primum segmentum planiusculum, conicum, punctulatum, nigrum; reliqua segmenta laevissima, nitida, paulo saturatius rufa; posteriora margine dorsali obsolete piceo. *Terebra* vix conspicua, pubescens. *Venter* et *pedes* omnino pallide rufo-testacei; *ungues* fusci. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate fuscescentibus, nervo recurrente fere interstitiali, ut itaque Sectioni secundae maxime accederet, nisi mandibularum structura et forma areolae secundae cubitalis valde elongatae obstarent. Areola radialis extrorsum laevi sinu angustior in alae apicem acute excurrit.

Habitat prope *Gottingam*, captus in fruticibus ad prata, a cl. *Gravenhorst*. *Mas* non notus.

24. Alysia *fuscipes.*

A. nigra, nitida, laevis; antennis et pedibus fuscis; abdomine ovali, depresso; areola cubitali prima in areolam discoidalem exteriorem effusa. *Fem.*

Synon. *Stephanus minutus N. ab E. Berl. Mag V. p. 5. n. 3. mas.*

Long. lin. 1. Statura cofamiliarium. *Caput* crassum. *Antennae* corpore longiores, filiformes, articulis distinctis, cylindricis (viginti tribus), subaequalibus; pedicello brevi piceo. *Metathorax* brevis, devexus, subpunctulatus. Reliquum corpus totum laeve, atrum nitens. *Pedes* fusci, trochanteribus inferis piceo-rufis. *Alae* sat firmae, nervis distinctis, stigmate subnullo, areolae cubitalis primae et discoidalis conterminae finibus plane sublatis, et nervo antrorsum terminante abrupto.

Cepi mense Octobre prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

SECTIO IV.

Areola radialis magna, effusa. *Areolae cubitales* duae, prima elongata postice attenuata. *Stigma* lineare, obsoletum. *Antennae* breves.

Corporis habitus omnino praecedentium. *Antennae* ejusdem structurae, ex octodecim articulis constant (radicula non computata), vix corporis longitudine. *Mandibulae* apice distincte tridentatae, dentibus lateralibus obtusis medio acuto. *Caput* crassum. *Abdomen* lineari-oblongum, a latere compressum; primo segmento angusto, conico. Anus subincurvus. *Terebra* exserta. *Alarum* textura e praecedentium typo derivanda, limitibus *primae* et *secundae areolae cubitalis* solutis, unde *areolae* cubitales duae oriuntur, quarum prima elongata, postice attenuata, nervum primum recurrentem excipit, secunda introrsum evanescit.

25. Alysia *concolor.*

A. nigra, nitida, mandibulis et pedibus fusco-piceis, tibiis basi pallidioribus; terebra longitudine ⅓ abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus concolor N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 213. *n.* 23. (*mas.*)

Long. lin. ¾. *Antennae* validae, articulis sedecim, subpaterae-formibus, brevibus, pedicello rufescente. Corpo-

ris color ater, nitens. Abdominis primum segmentum et metathorax laeviuscula. *Terebra* recurva. *Pedes* picei, tibiis omnibus et tarsis, tum trochanteribus inferis rufescentibus. *Alae* hyalinae, nervis expallidis, stigmate lineari, obsoleto, fusco.

Mas tibiis vix basi parum picescentibus, *alarum* nervis distinctioribus fuscis differt.

Capta femina in quercu mense Julio, mas mense Aprili in sepibus humidis, alterum individuum autem Julio mense in Anethi graveolentis floribus, prope *Sickershausen.*

26. Alysia *distracta.*

A. atra, nitida, ore pedibusque totis rufis; abdominis compressi petiolo piceo (femina) vel rufo (mas) terebra longitudine 1/3 abdominis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 3/4. Corpus laevissimum. *Abdominis* primum segmentum laeviusculum, conicum, obscure rufescens; reliquum abdomen dorso convexo, a latere compressum, ano obtuso, hinc fere cultratum. *Terebra* pubescens. Venter basi carinatus, piceus. *Pedes* toti fere testacei, femoribus posterioribus paulo obscurioris coloris. *Alae* hyalinae, nervis fuscis.

Observatio:

Differt a praecedente: *mandibulis* majoribus, dente medio magis producto; *antennis* validioribus, undeviginti-articulatis; *petiolo* abdominis breviori; pedum colore dilutiore; *stigmate* minus distincto.

Mas. Long. lin. 1/2, *antennis* basi distincte rufis; *femorum* et tibiarum apicibus fuscis.

Cepi *feminam*, Julio mense, prope *Sickershausen* in anethi graveolentis floribus; *marem* mense Augusto ibidem in dumetis.

SECTIO V.

Areola radialis magna, ante apicem alae sinuato-clausa. *Areolae cubitales* duae, prima minore. Nervus recurrens interstitialis. *Stigma* elongatum. *Abdomen* breve, angusta basi sessile vel petiolatum. *Terebra* in nonnullis.

Oris partes omnino ut in Alysiis Sectionis secundae. *Habitus* corporis non minus cum iisdem congruit. *Antennae* filiformes, revolutae, seu apice hamatae. *Caput* minus incrassatum. *Abdomen* in plurimis petiolatum; petiolo sublineari, ruguloso; reliquis segmentis simul sumtis oblongis,

structurae ejusdem, qualem in reliquis observamus. *Alae* circumscriptione ut in praecedentibus, stigmate maxime elongato, angusto; ramo, areolam radialem efformante, paulo pone stigma radium arcu petente, nec attingente, interjecto arcto spatio apicem versus excurrente, tum denique radio juncto; quo forma fere parabolica hujus areolae efficitur. *Areola* cubitalis prima subhexagona, nervum recurrentem ita proximum margini excipit, ut is potius interstitialis dicendus sit; areola secunda ad marginem effunditur, interne brevi spatio clausa, distincta nervo, qui brevi post colorem perdit.

27. Alysia *annulata.*

A. atra, ore, antennarum basi, pedibus anterioribus totis posticorum geniculis rufis; abdomine obovato, plaga media rufescente. *Fem.*

Long. lin. 2. *Caput* haud ita incrassatum, ac in plerique, atrum, laeve, ore pallido. *Antennae* corpore longiores, setaceae, nigrae, quatuor anterioribus articulis rufis. *Thorax* laevis, ovatus, ater. *Metathorax* leniter descendens, laeviusculus, rugulis duabus transversis notatus. *Abdomen* obovatum, laeve; primo segmento angusto, conico, rimuloso, nigro; reliquis nigro-fuscis, plaga in medio margine postico pallida. Terebra exserta, sed in exemplo nostro mutila. *Pedes* anteriores toti pallide rufo-testacei; postici fusci, coxis, trochanteribus, femoribus, tibiis tarsisque basi testaceis. *Alae* obscurae, in nostro mutilae, unde dubia de sede.

Habitat in *Sudetis*. Unum individuum, a cl. *Manger* captum, examini subjeci. Marem ignoro.

28. Alysia *petiolata.*

A. atra, pedibus anterioribus totis abdomineque petiolato postice rufis; pedibus posticis fuscis, trochanteribus tibiisque basi, piceis. *Mas.*

Long. lin. 2¼. Plura praecedentis habet, cujus forte mas, sed abdominis colores et structura repugnare videntur. *Caput* crassius, quam in praecedente. *Antennae* corpore longiores, totae fusco-nigrae. *Thorax* niger. *Metathorax* truncatus, utrinque obtusangulus, in medio carinatus, opacus, pubescens. *Abdominis* primum segmentum longum, lineare, ante medium utrinque denticulo auctum, dorso subsulcato, et striolato, nigro; reliquis segmentis laevibus. *Pedes* ut in praecedente, sed coxae posticae nigrae, et trochanteres iidem fusco-picei. *Alae* sectionis, cinerascentes, ner-

nervis validis; areola radiali sinuato-clausa; stigmate angusto, ferrugineo.

E *Sudetis* cum praecedente.

29. Alysia *gracilis.*

A. nigra, antennarum basi, ore, pedibus totis abdominisque petiolati cingulo rufis; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum. *Mas. Fem.*

Long. lin 1½. Habitus omnino praecedentis, quo duplo minor. *Antennae* corpus aequant, graciles, filiformi-setaceae, a basi longo tractu rufae, dein fuscae; *os* rufum. *Thorax* et *metathorax* nigri; hic carinatus, truncatus, et magis pubescens, vix rugulosus. *Abdomen* capite et thorace longius, subspathulatum, ventre apice compresso; primo segmento fere lineari, rimuloso, inermi, nigro; secundo rufo, reliquis fuscis, extremis iterum pallidioribus. *Terebra* brevis, parum exserta, recurva. *Pedes* toti laete rufi. *Alae* cinerascenti-hyalinae, nervis et stigmate pallide fuscis; forma areolarum praecedentis. *Mas* a femina vix nisi defectu terebrae discernendus.

Marem cum femina a cl. *Manger* e *Sudetis* accepi.

30. Alysia *navicularis.*

A. nigra, palpis pedibusque piceo-rufis, femoribus posterioribus tibiisque posticis apice, fuscis; abdomine sessili, truncato; terebra valvula anali magna recondita; antennis elongatis.

Synon. *Bassus navicularis N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 208. *n.* 13.

Long. lin. 2. *Caput* transverse cubicum, crassum. Clypeus brevis semicircularis, elevatus. *Antennae* corporis longitudine, graciles, fuscae, articulis in femina viginti quatuor in mare triginta sex, articulo primo et secundo rufis. *Thorax* nitidus, pubescens. *Metathorax* sulculis duobus arcuatis laevibus sub scutello, tum devexus, punctulatus, opacus, densius pubescens. *Abdominis* segmentum primum rectangulum, convexiusculum, lateribus prope basin convergentibus, punctulatum, opacum, pubescens; secundum obscure piceo-rufum, ut reliqua laeve, nitidum. Lamina ventralis magna, navicularis, *terebram* fulcit vix prominulam, ut in nonnullis Microgasteribus.

Coxae omnes nigrae; *trochanteres femorales* rufo-picei; *pedes antici* toti rufo-picei, *medii* ejusmodi, femoribus tamen margine supero late fusco-piceo, *postici* fusco-picei,

tibiis basi pallidioribus. *Alae* obscure hyalinae, nervis validis fuscis; stigmate lineari, pallidiore. Areola radialis subparabolica; cubitalis prima paulo minor, quam in sequentibus, nervum recurrentem accipit.

Mas, feminae omnino simillimus, *antennis* totis nigris, articulis triginta sex; *abdomine* planiusculo, non carinato; petiolo ut in praecedente. *Feminam* cum mare prope *Sickershausen* in horto cepi, tum aliud individuum feminei sexus cl. *Gravenhorst* in *villa Sibyllenort Silesiae* die 21° mensis Junii, loco aprico graminoso cepit.

E Sudetis etiam a cl. *Manger* marem et feminam accepi.

V a r i a t:

Mas, pedibus totis piceo-rufis pallidioribus. E *Sudetis*.

31. Alysia *tristis*.

A. nigra, albido-pubescens, palpis, tibiis anticis totis, posterioribus basi piceis; abdomine sessili, ano rotundato, obliquo; terebra recondita.

Long. lin. $1^1/_4$. Differt a praecedente: *Statura* minore; *palpis* obscurioribus; *antennis* totis nigro-fuscis, solo pedicello piceo; *abdominis* segmento secundo obscurius piceo; *pedum* colore saturatiore, femoribus anticis basi, mediis ultra medium fuscis.

Mas. Long. lin. $1^1/_6$. *Antennae* graciliores, articulis viginti quatuor-qninque, ut in illa. *Abdominis* segmenti petiolaris tubercula lateralia, jam in femina observanda, evidentiora. *Pedes* dilutioris coloris. *Marem* et *feminam* prope *Sickershausen* cepi.

32. Alysia *ampliator*.

A. atra, nitida, mandibulis rufis, pedibus nigro-piceis, tibiis anticis totis, posterioribus basi pallidioribus; abdomine ovato, primo segmento conico, rugoso; antennis corpore brevioribus (septemdecim vel vigintiuniarticulatis). *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Statura omnino praecedentis, qua paulo minor. *Caput* thorace fere latius, transversum, cubicum, hypostomate brevi transverso convexiusculo, atrum, laeve, nitidum, subpubescens. *Mandibulae* rufae, acute trifidae; *palpi* fusci. *Antennae* filiformes, longitudine capitis thoracisque, apice revolutae, e septemdecim articulis compositae; primo crasso ovato, secundo (pedicello) minuto rufescente, reliquis omnibus, uti primo, nigris, tertio longiore et proximis cylindricis, extremis subglobosis, omni-

bus discretis et pubescentibus. *Thorax* ovatus, gibbus, laevis, parum pubescens. *Metathorax* ovatus, pubescens et magis obscurus, obtusus, areis duabus ovatis transversis juxta positis in dorso. *Abdomen* obovatum; primo segmento conico, planiusculo, ruguloso, pubescente, marginibus subelevatis; secundo maximo et reliquis laevissimis, aterrimis, nitidissimis. *Pedes* e piceo nigri; femoribus anticis subtus, tibiis iisdem totis, tibiisque posterioribus basi piceo-testaceis; trochanteribus inferis rufescentibus. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis, hoc breviusculo lineari. Areola radialis ut in praecedente; cubitalis prima nervum recurrentem excipit.

Mas. Antennae articulis viginti et duobus. *Abdomen* ventre carinato, sed terebra nulla.

Cepi *marem* et *feminam* locis humidis, inter frutices mense Augusto prope *Sickershausen.*

V a r i e t a t e s:

β. Long. lin. 1. Pedibus ut in femina, antennis paulo gracilioribus. *Mas.*

γ. Long. lin. 1⅛. Femoribus et tibiis anterioribus totis piceo-rufis. *Mas.*

Cepi utramque varietatem iisdem locis cum praecedente.

33. Alysia *cingulator.*

A. nigra, nitidula, mandibulis, palpis, abdominis obovato-spathulati secundo segmento pedibusque piceo-rufis, coxis posterioribus fusco-piceis; terebra recondita. *Mas. Fem.*

Long. lin. ¾. Differt a binis praecedentibus *pedum* colore rufo laetiore, *statura* minore, *abdominis* cingulo. Habitus cofamiliarium, nitor idem, et eadem pubescentia. *Mandibulae* rufo-piceae, *palpi* dilutioris coloris. *Antennae* rectae, setaceae, longitudine corporis, articulis viginti tribus cum radicula, nigro-fuscae. *Metathorax* devexus, subtilissime punctulatus, pubescentia densiore. *Primum segmentum abdominis* lineari-conicum, striolatum, piceo-nigricans; secundum piceo-rufum, margine postico obscuriori; reliqua segmenta nigro-picea; anus rotundatus. *Pedes* toti laete piceo-rufi; femoribus posterioribus saturatioribus. *Terebra* recondita. *Alae* omnino congenerum, nervis fuscis, stigmate lineari, angusto, ad apicem fere areolae radialis ducto; ista ante apicem distincte sinuata.

Mas, feminae persimilis, differt: *antennis* concoloribus et *abdomine* latiore.

Feminam mihi cl. *Manger*, in *Sudetis* captam, communicavit; *marem* unum mense Augusto in quercu prope *Sickershausen* cepi.

34. Alysia *rufipes.*

A. atra, albido-pubescens, mandibulis et antennis fuscis, palpis pedibusque rufis; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum abdominis obovato-oblongi. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus rufipes N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 208. *n.* 14.

Long. lin. 2. *Palpi maxillares* longissimi. *Antennae* longitudine corporis, basin versus paulo pallidiores. *Thorax* pubescens, pubescentia in metathorace condensata, adpressa. *Abdominis* segmentum petiolare basin versus angustius ante apicem parum dilatatum, rugulosum, subpubescens; reliqua segmenta laevia, margine ciliata. *Pedes* toti rufi, ungue fusco. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate testaceis.

Mas. Antennis longioribus, *thorace abdominis*que gracilioris petiolo magis pubescentibus.

Cepi *feminam* mensibus Aprili et Julio in floribus; *marem* mensibus Majo et Augusto in dumetis prope *Sickershausen.* Ex *Italia* misit cl. *Bonelli*, individuum sexus feminei.

35. Alysia *senilis.*

A. nigra, palpis pedibusque testaceo-rufis, femoribus margine superiore fusco; abdominis spathulati petiolo et metathorace cinerea pubescentia tectis. *Mas.*

Synon. *Bassus senilis N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 209. *n.* 15.

Long. lin. 2. Statura omnino praecedentis. *Mandibulae* piceae; *palpi* testacei. *Antennae* totae nigrae. *Thorax* antice glabriusculus, sub scutello dense albido-pubescens, subtiliter rugulosus, sulculo transverso obsoleto sub scutello impressus. *Abdominis* primum segmentum basin versus minus angustatum, hinc firmius aspectu, ubique fere aeque latum, densa pubescentia cinerascente ita obtectum, ut sculptura oculis determinari non queat. Abdomen reliquum laeve, obovatum, ano rotundato, genitalibus masculinis uti apicula prominentibus. *Pedes* ex rufo testacei; coxis, trochanteribus, femorumque omnium marginibus superis fuscis, quae nota satis singularis. Tarsi apice fusci. *Alae* praecedentis, sed paulo obscuriores. Femina ignota.

Cepi mense Octobre in dumetis prope *Sickershausen.*

36. Alysia *limnicola.*

A. nigra, albido-pubescens; mandibulis, palpis, pedibusque pallide testaceis; abdominis spathulati petiolo lineari metathoraceque albido-tomentosis; areola radiali parabolico-acuminata.

Synon. *Bassus limnicola N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 209. *n.* 16.

Long. lin. 1. Accedit ad praecedentem, a quo praecipue statura duplo minore differt.

Antennae elongatae, fuscae, basin versus rufescentes. *Mandibulae* et *palpi* pallide testacea. *Thorax* albido-pubescens. Segmentum primum *abdominis* exacte lineare, dense albo-tomentosum. Reliquum abdomen obovatum, ano rotundato, nigrum. *Alae* hyalinae, areola radiali acuminata (qua nota praecipue a sequente differt); stigmate angustissimo, per totam fere longitudinem areolae radialis continuato, cum praecedenti in medio ejus tractu terminatur.

Habitat cum *Alysia affini* in Lemna (gibba et minore), Aphidibus aliisque larvis et vermibus scatente, prope *Sickershausen*, verno tempore. Feminam ignoro.

37. Alysia *affinis.*

A. nigra pubescens, mandibulis piceis, palpis pedibusque totis luteis; abdominis spathulati petiolo conico-angustato, rimuloso; areola radiali lanceolata; terebra recondita.

Synon. *Bassus affinis N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 209. *n.* 17 *(mas).*

Bracon longicornis Var. β. N. ab E. Berl. Mag. V. p. 20. *n.* 28 *(mas).*

Bracon longicornis var. α. N. ab E. l. c. (fem.)

Long. lin. $1^1/_4$. Statura praecedentis, color niger obscurus. *Palpi longi. Antennae* longitudine corporis, graciles, nigri, articulo tertio minuto rufo. *Metathorax* albido-tomentosus. *Abdominis* segmentum petiolare, quam in praecedente brevius, a basi apicem versus recta dilatatum, dorso subtilissime striatum, pubescentia minus densa, quam idem praecedentis, tectum, reliqua segmenta laevia, subciliata. *Pedes* ut in praecedente. *Alae* angustiores, membrana paulo firmiore conflatae; stigmate ut in praecedente; areola radiali vero angustiore, lanceolata, nec parabolico-acuminata. Areola cubitalis prima rhombea parva. Nervus recurrens interstitialis, ut reliqui, crassior et saturatior, quam in praecedente.

Mas paulo minor, pedibus obscurioribus, subpiceis.

Marem et *feminam* inter Apides Lemnarum prope *Sickershausen*. Majo et Augusto mensibus cepi.

38. Alysia *exserens*.

A. nigra, albido-subpubescens, mandibulis, palpis pedibusque totis rufis; abdominis ovati petiolo conico metathoraceque pubescentibus; areola radiali parabolico-oblonga; terebra longitudine duorum ultimorum segmentorum. *Mas. Fem.*

Statura omnino praecedentium, sed brevior. Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Antennae* articulis viginti quatuor, graciles, longitudine corporis, fuscae, pedicello piceo. *Abdominis* segmentum petiolare exacte conicum, planum, rugulosum, albida pubescentia tectum. Stigma pallidum, lineare, longitudine $\frac{3}{4}$ areolae radialis.

Mas feminae persimilis, *abdomine* non minus ovato, ano rotundato.

Cepi *feminam* in Anetho graveolente horti prope *Sickershausen*, Julio mense; *marem* in dumetis Septembre.

39. Alysia *diremta*.

A. nigra, antennarum gracilium basi, ore, pedibus totis, abdomineque demto petiolo rufis; terebra longitudine ultimi segmenti; petiolo lineari-conico, metathoraceque pubescentibus. *Mas. Fem.*

Long. lin $\frac{2}{3}$. Paulo minor praecedente, a qua differt: *Antennarum* articulis quatuor anterioribus pallide testaceis; *metathorace* paulo breviore, subretuso; *abdominis* segmento petiolari in femina ad speciem breviore et magis lineari; reliqua abdomine toto, petiolo demto, piceo aut rufo; *terebra* breviore.

Mas, idem; *abdominis* petiolo longiore, reliquo abdomine pallidiore.

Feminam Julio mense prope *Sickershausen* cepi; marem e *Sudetis* cl. Manger transmisit.

40. Alysia *areolaris*.

A. nigra, pubescens, mandibulis pedibusque (totis vel aliqua parte) rufis; abdominis oblongi primo segmento brevi conico-angustato, rimuloso, subtomentoso; terebra recondita; areola cubitali sinuato-oblonga, nervo crassiori indicata. *Mas. Fem.*

Synon. *Bassus areolaris N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 210. *n.* 18.

Bracon areolaris N. ab E. Berl. Mag. V. p. 20. *n.* 29. *tab. I. fig.* 5. *a, b, c.*

Long. lin. ½ — 1. Statura ad praecedentem accedit. *Corpus* nigrum, pubescens. *Mandibulae* acute tridentatae dentibus subaequalibus et *palpi* rufa. *Caput* transversum, thoraci arcte contiguum. *Antennae* subfiliformes, corpore longiores, pubescentes; articulo primo et secundo plerumque piceis. *Thorax* subglobosus. *Metathorax* brevis, rugulosus, densius albido-pubescens. *Abdomen* dorso planiusculum, oblongum, longitudine vix capitis thoracisque; segmento primo plano, ruguloso, basin versus parum attenuato, albido-pubescente; reliquis segmentis laevigatis, margine postico ciliatis, subaequalibus, ultimis a latere subcompressis, apice recta fere truncato. *Terebra* oblique adscendens, tenuis, pubescens, vix conspicua. Venter basi concavus, ante anum tumens. *Pedes* vel toti rufi, vel rufi, coxis trochanteribus superis, femoribus medio, tibiisque apicem versus fusco-piceis. *Alae* magnae, hyalinae. Areolae et stigma in universum, qualia in reliquis hujus sectionis. Stigma lineare, tertiam mediamque partem radii occupat. Areola radialis nervo valido indicata, oblonga, apicem versus laevi sinu contracta, aequo fere spatio paulo ante apicem alae clausa (qua nota hic maxime differt a praecedente). Areola cubitalis prima parva, quadrata; secunda interne ad originem primo brevi spatio clausa, tum alae apex omnino hyalinus, quo areolae radialis circumscriptio obscura oculis magis exposita. Nervus recurrens interstitialis. Areola media prima sub prima cubitali, sed magis antica, subquadrata, nervis nigro fuscis limitata.

Mas. Feminae structura similis, *antennis* differt longioribus, e filiformi setaceis. Secundum colores pedum diversos, feminae varietatibus, infra exponendis respondet.

Variationes:

Variat pedum colore, cui alia quaedam in reliquo corpore respondent, distinctionem ulteriorem forte probantia.

α. Coxae nigrae; *trochanteres* testacei; *femora* medio fusca, basi apiceque testacea, antica sola macula media fusca; *tibiae* anticae testaceae, posteriores basi testaceae, apice fuscae; *tarsi* testacei. His *mandibulae* magis piceae, et *nervi alarum* cum *stigmate* profundius fusci.

Berl. Mag. l. c. Tab. I. fig. 5.

Cepi *marem* et *feminam* mensibus Majo et Julio in sepibus humidis prope *Sickershausen.* Misit etiam cl. *Gra-*

venhorst feminam, medio Mense Majo in vallo Gottingensi captam.

β. *Pedes* toti laete testacei. His *mandibulae* laete testaceae; *alarum nervi* et stigma pallide testacea; *abdomen* apice magis compressum.

Cepi *feminam* cum *mare* in copula ad margines fossae in gramine humido mense Octobre, mense Aprili in Syringa horti, prope *Sickershausen*. Cl. *Gravenhorst* sub finem mensis Maji *Gottingae* in horto. E *Sudetis* cl. *Manger* transmisit, et inter alia marem vix dimidia linea longiorem.

β * medius quasi inter *α* et *β*. Coxae fuscae. Femora, imprimis postica, reliquo pede paulo obscuriora. *Mas.*

Cepi mense Majo in Pruno Bado, locis udis, prope *Sickershausen*.

? *γ*. Colores praecedentis. Differt: *Abdominis* primo segmento conico-angustato; *terebra* sub valvula ventrali abdominis obtusiusculi minus recondita, acuta. *Fem.*

Cepi mense Octobre prope *Sickershausen*.

SECTIO VI.

Apterae:

41. Alysia *aptera*.

A. rufa, capite anoque nigris. *Mas.*

Synon. *Bassus apterus N. ab E. Berl. Mag. VI. p.* 207. *n.* 12.

Long. lin. $^2/_3$. Os omnino generis. *Mandibulae* acute tridentatae, basi extus denticulo. *Caput* crassum; fronte infra antennas tumida; clypeo brevissimo transverso. Genae sub oculis protuberantes. *Antennae* structura congenerum, rufae, apice obscuriores. *Palpi* pallidi. *Thorax* ut in Ichneumonibus apteris, lobo antico distinctissimo. *Abdomen* obovatum; primo segmento brevi, conico, striolato. *Pedes* graciles, pubescentes, reliquo corpore paulo pallidiores.

Cepi mense Septembre locis umbrosis humidis, prope Sickershausen. *Feminam* ignoro.

GENUS VI.
SIGALPHUS Latr.

Etymologia nominis, a cl. Latreillio inventi, me fugit. N. ab E. Nov. Act. Acad. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 309. VI. Gravenh. Ichn. Eur. I. p. 56. Sigalphi Fam. I. a. N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 247. sqq. tab. VIII. fig. 1. a, b. Sigalphi specc. Latr. Spin.

Caput transversum, vertice plano, occipite recto. *Abdomen* thorace vix longius, sessile, planum, triannulatum, segmentis plus minus coalitis. *Areolae cubitales* duae. *Terebra* exserta, brevis, recta. *Antennae* setaceae, multiarticulatae. *Mandibulae* bi- vel quadridentatae, dentibus aequalibus. *Lingua* membranacea, dilatata, cucullata, rotundata. *Palpi* filiformes, inaequales; maxillares longiores, sexarticulati (articulo secundo brevissimo) labiales *triarticulati.*

Character naturalis.

Clypeus brevis, transversus, linea media arcuata discretus, planiusculus, punctulatus, pubescens, margine infero subsemicirculari, apice truncato. *Antennae* setaceae, longitudine variae, rectiusculae apiceque recurvae aut subrevolutae, articulis viginti et uno ad viginti et octo; radicula minuta, vix exserta; scapa duobus insequentibus articulis breviore, obconico, teretiusculo, extrorsum parumper curvo; pedicello exserto, crassitie fere scapi, cylindrico, brevi; reliquis articulis distinctis, longitudine maximopere decrescentibus, anterioribus elongatis, cylindricis, basin versus paulisper attenuatis, tum pluribus apicem versus longitudine et crassitie aequalibus, extremis paterae-formibus, ultimo parvo, ovato, acuto. *Labrum* brevissimum, sub clypeo reconditum, membranaceum, transversale. *Mandibulae* sub clypeo reconditae, breves, parum vel non arcuatae, subtetragonae, superficie exteriori plana, laevi, interiori concava, infera itidem plana, angusta; plerisque mandibulae apice *bifidae*, dentibus brevibus, aequalibus, acutis, nonnullis latiores, *quadridentatae.* *Maxillae* labii longitudine, idque arcte amplectentes: *stipes* fere membranaceus, compressiusculus, subrectangulus, superficie inferiori crassiori et subcoriacea oblique ovata laevi glabra, margine supero

oblique in malae laciniam exteriorem continuato; *mala* stipitis fere longitudine, nec multo tenerior, bipartita, laciniis fastigiatis, exteriori majori, securiformi, angulo exteriori valde prominente, rotundato, margine supero rectiusculo, ad spatium quoddam obscuriori, dense ciliato; interiori minori, ovata, in apicem obtusum attenuata. *Palpi maxillares* mala triplo longiores, incurvi, filiformes, subpilosi, sexarticulati; articulis inaequalibus, sequenti ferme ratione decrescentibus: $4^3/_5$, 6, 1, 2; primo obconico, secundo subcylindrico cum praecedente arcte juncto, tertio subcultrato, parumper tamen compresso, margine exteriori recto, interiori arcuato, reliquis cylindricis, crassitie subaequalibus, quarto paulo crassiore. *Labium: mentum* corneum, obovatum, convexum, laeve, glabrum; *lingua* labii fere longitudine et ad basin ejusdem latitudine, extrorsum autem dilatata, membranacea, cucullato-infundibuliformis, scilicet descriptione fere orbiculata, marginibus omnibus deorsum curvis, ut discus medius supra in gibbositatem emineat. *Palpi labiales* lingua vix duplo longiores, filiformes, rectiusculi, triarticulati; articulis primo et secundo obconicis, subaequalibus, hoc aliquanto crassiore, apice concavo, tertio antecedente tenuiori, at longiori, oblongo-cylindrico obtuso; — cunctis pilosulis. Articuli basilaris (seu quarti) minutissimi, stipiti maxillae quasi immersi vestigia in nonnullis observavi.

Habitus. Caput crassiusculum, vertice latiore. *Antennae* elongatae, articulis apicem versus decrescentibus, ultimis minimis, utplurimum viginti septem; primo longiore, ascendente, a quo antenna leniter decurva, apice plerumque retrorsum ascendit. *Metathorax* utrinque obsolete dentatus. *Abdomen* dorso planiusculo, punctulato, triannulato, punctura subtiliore; ano emarginato; ventre in medio gibbo. *Terebra* exserta. *Pedes* mediocres. *Alae: areola radialis* una, oblonga, in apice alae acute clausa. *Areolae cubitales* duae; prima satis magna, oblique obtrigona, in angulo infero nervum recurrentem excipiente; secunda elongata, ad alae marginem dilatata. *Areolae discoidales* duae; exteriori magna, trapeziformi, postice angustiori, quoad situm magis antica; secunda minore angusta, subrhombica, nervo postico obliqua ascensione excurrente. *Stigma* satis magnum, ovatum.

SECTIO I.

Mandibulis bifidis.

1. Sigalphus *carinatus.*

S. ater, ore pedibusque rufis, tibiis posticis, basi excepta, nigris; abdominis segmento secundo et tertio subcarinatis; terebra recta, longitudine dimidii abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus carinatus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 249. *n.* 1.

Long. lin. 2. *Labrum, mandibulae* et *palpi* rufa. *Antennae* longitudine corporis. *Caput* et *thorax* subtiliter punctata. *Metathorax* et *abdomen* rugulosa, hoc basi angustius, postice dilatatum; secundo segmento majore; tertio breviore, minus ruguloso, utroque linea media elevata, postice obsoletiore, laeviuscula. *Terebra* tenuis, recta. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus flavescentibus, tibiis posticis subclavatis, nigro-fuscis, basi piceo-rufis; tarsis iisdem fuscis. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Mas. Long. lin. 2⅓. Feminae simillimus, paulo major; *abdominis* carinula dorsali distinctiore, *tarsis* posticis rufis. Cepi in hortis, prope *Sickershausen*, aestate.

2. Sigalphus *semirugosus.*

S. ater, nitidus, ore pedibusque totis rufis; abdominis obovati primo segmento bicarinato, secundoque punctulato-rugulosis, reliquis laevissimis; terebra longitudine abdominis. *Fem.*

Synon. *Sigalphus semirugosus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 249. *n.* 2. *tab. VII. fig.* 1.

Long. lin. 2. A praecedente, cui plurimis congruit, differt praecipue: primis segmentis *abdominis* multo minus rugulosis, tertio segmento toto laevi; carina ubique fere nulla; spatio medio secundi segmenti paulo elevato et laeviori; *terebra* denique duplo longiore. *Mandibulae* piceae. *Palpi* pallidi. *Antennae* subtus, basi praecipue fusco-testaceae. *Caput* et *thorax* subtilissime sparsim punctata. *Metathorax* rugosus, utrinque unidentatus. *Abdominis* primum segmentum late conicum, basi retusum, carinis e margine retrorsum convergentibus, pone medium desinentibus. Anus rotundatus, ultimis segmentis subprominulis. *Terebra* apice parum decurva. Venter angulatus. *Pedes* toti

rufi, tarsis posticis vix apice obscurioribus. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate nigro-fuscis.

Habitat *Norimbergae*, a cl. *Sturm* mihi communicatus. *Marem* non vidi.

3. Sigalphus *striatulus*.

S. ater, pedibus rufis, palpis, coxis, trochanteribus, femorumque basi fusco-piceis; abdomine obovato, ruguloso-striato, segmentis aequalibus; terebra longitudine corporis. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus striatulus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 249. *n.* 3.

Long. lin. $1^1/_2$. *Palpi* picei. *Mandibulae* nigrae. Reliqua ut in praecedente, sed punctura subtilior. *Abdomen* eleganter rimulosum, segmentis secundo et tertio non carinatis, hoc laeviore et magis nitido. *Coxae* et *trochanteres* nigro-picea, *femora* posteriora margine supero obsolete piceo; *tibiae* posticae piceo-fuscae, basi pallidiores; *tarsi* iidem fusco-rufoque annulati. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate nigro-fuscis. *Pedes* graciliores, quam in praecedente.

Mas feminae simillimus, abdominis striolis paulo profundius exaratis.

Masculum individuum cepi mense Majo in horto prope *Sickershausen*. *Feminam* e *Sudetis* accepimus, cui femora dilutius rufa, solo margine supero et infero versus basin fuscescentibus.

4. Sigalphus *caudatus*.

S. niger, subobscurus, pedibus piceis, tibiis rufis; femoribus subclavatis, compressis; terebra corpore longiore. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus caudatus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 250. *n.* 4.

Long. lin. 1. *Palpi* picei. *Antennae* articulis viginti et uno, apice submoniliformes. *Caput* et *thorax* subtilissime, nec dense, punctulata, hic lineis duabus convergentibus dorsi, foveolaque scutellum discernente. *Metathorax* subrugulosus. *Abdomen* ovatum, convexum; segmentis tribus distinctis, aequalibus, primo et secundo subtilissime rimulosis, tertio nitidulo integro. Venter concavus. *Terebra* e tuberculo squamato prodit, corpore parum longior, valvulis pilosiusculis. *Pedes* validi; femoribus omnibus latiusculis, compressis, piceis, anticis apice, tibiis-

que rufis; tibiis posterioribus apice et tarsis fuscescentibus. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate nigro-fuscis.

Mas. Long. lin. 1. *Femoribus* posticis subaequalibus, *stigmate* crassiore. *Antennae* itidem articulis viginti et uno.

Habitat in floribus umbellatis hortorum, pratorum, prope *Sickershausen*, autumno.

Varietas:

β. Minor, *tibiis* apice late piceis, *femoribusque* anticis vix apice rufescentibus. *Fem.*

Cepi in sylvis prope *Sickershausen*, autumno.

5. SIGALPHUS *fasciatus*.

S. niger, nitidus; abdomine obovato, laevi, primo segmento striolato, bicarinato; pedibus piceo-rufis, coxis nigris; terebra longitudine abdominis, rectiuscula; alis obscuris, litura hyalina sub stigmate.

SYNON. *Sigalphus fasciatus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 250. *n.* 5.

Long. lin. ⅔ — 1. Statura cum praecedente convenit. *Caput* transversum, laeve; hypostomate inaequali. *Antennae* longitudine corporis, tenues, articulis discretis, totae nigrae. *Palpi* et *mandibulae* testacea. *Metathorax* brevis, truncatus, nitidulus; areis tribus subscutello angustis, transversis, media postice rotundata. *Abdomen* depressiusculum, ano rotundato; primo segmento late conico, planiusculo, in femina subruguloso, carinulis duabus parallelis, postica versus evanescentibus notato, in mare cum reliquis laevissimo, nitido, pilis adpressis scabro. In *femina terebra* prominet longitudine abdominis, tenuis, subdecurva, picea, in *mare* genitalia mascula sunt conspicua. *Pedes* validi, *feminae* saturate piceo-rufi, coxis nigris, trochanteribus superis fuscis; mari pedes anteriores rufescenti-picei, femoribus tibiisque basi pallidis, tarsis pallidis, apice fuscis, postici fusco-picei, femoribus tibiisque clavatis basi rufescentibus. *Alae feminae* obscure-hyalinae, litura pallida, obsoleta ante stigma; *maris* albidae, disco, seu campo medio, obsolete fuscescente, litura sub stigmate paulo distinctiore, obscura. Nervi et stigma fusca; fascia pallida, e stigmate orta, discum obscuratum externe dirimit, in medio cursu evanescens.

Mas paulo minor; *abdomine* toto fere laevi; *pedibus* piceis, posticis fuscis, elongatis, incrassatis; *alis* hyalino-albis, fascia distinctiori, lata, fusca, sub stigmate obscuriori.

Habitat in Germania. Cepi in dumetis, mares plures, feminam semel, media aestate, prope *Sickershausen.*

6. Sigalphus *pallipes.*

S. niger, pedibus rufis; abdominis ovati segmentis duobus anterioribus discretis, rugulosis, tertio laevi, concreto; ano rotundato; terebra longitudine corporis. *Fem.*

Synon. *Sigalphus pallipes N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 251. *n.* 6. *tab. VII. fig.* 2.

Long. lin. 1. Similis *Sigalpho caudato* No. 4, a quo differt: *statura* latiore; *abdomine* subovato, segmento tertio cum secundo confluente; *pedibus* rufis, coxis, femorum posticorum margine supero, tibiis iisdem apice fuscescentibus; femoribus non incrassatis. *Alae* hyalinae, nervis pallidis, stigmate fusco. Venter cavus. Transitus perspicuus ex hac in duas sequentes species.

Habitat prope *Sickershausen* in floribus umbellatis. Aestate. Semel quoque deprehendi in trunco decorticato populi nigrae, rimulas ligni, inchoante putredine exortas, terebra sedulo explorantem.

Observatio:

A cl. *Gravenhorstio* tria quoque specimina accepi, sub finem mensis Junii in Philadelpho coronario horti cujusdam *Brunsvicensis* capta, quorum *bina* omnino nostris congrua, *palpis* pallidis, *mandibulis* piceis, *terebra* longitudine corporis; *alterum* vero *mandibulis* dilutioribus, abdominis tertio segmento magis striolato et arctius concreto, *terebra* corpore paulo breviore; vix tamen differre videtur.

7. Sigalphus *obscurellus.*

S. niger, obscurus, pedibus fuscis, tibiis anticis totis, posterioribus basi piceo-rufis; abdomine obovato depressiusculo, cataphracto, segmentis subdiscretis, primo et secundo subtilissime irregulariter rimuloso-striatis, tertio laeviusculo integro nitidulo; terebra longitudine abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus obscurator N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 252. *n.* 7.

Long. lin. 1 — ³/₄. A sequente caute distinguenda species. Color niger, subnitidulus; puncta corpori impressa subtilissima. Os omnino nigrum. Arcus profunde impressus clypeum definit. *Abdomen* longius, quam sequentis, magis convexum, segmentis lineis tribus transversis rectis

striolatis subsejunctis; primo et secundo subtilissime rimulosis, rimulis intricatis; tertio itidem ruguloso, at rugulis multo magis dispersis et ob subtilitatem saepe vix discernendis, ideoque hoc segmento nitidiusculo et ad speciem laevi; ano rotundato. *Pedes* fusci, seu fusco-picei, trochanteribus femoralibus, femoribus anterioribus apice, anticis latius, rufis, tibiis iisdem totis rufis, posterioribus basi ad quartam tertiamve partem longitudinis, tarsis fuscis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Mas feminae simillimus, paulo major, et pedibus haud raro dilutioris coloris; tum *abdominis* tertio segmento distinctius ruguloso.

Varietates:

Fem. β. *Pedibus* dilutioribus, piceo-rufis, femoribus tibiisque posterioribus apice piceis.

Mas. β. Abdominis segmento tertio magis laevi et nitido.

Cepi in floribus Anethi graveolentis horti, feminas perpaucas innumeris maribus sociatas, media aestate, prope *Sickershausen.*

8. Sigalphus *obscurus.*

S. niger, obscurus, pedibus piceis, tibiis anticis totis, posterioribus basi rufis; abdomine obscuro, subtilissime intricato-rimuloso, convexo, primo secundoque segmento subdiscretis, ano emarginato; terebra abdomine breviore. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus obscurus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 252. *n.* 8.

Long. lin. 1. Chelonis Jurineanis hic gradu propiore accedit. Statura *Sigalphi pallipedis. Abdomen* fere totum cataphractum convexum, undique subtilissime rimulosum, et obscurum; segmentis jam connatis quidem sed primo et secundo linea transversa impressa angustissima laevi indicatis, hoc vero cum tertio intime conjuncto; anus late emarginatus. *Pedes* obscure picei, femoribus anticis apice, tibiis iisdem totis, posterioribus versus basin latiore vel breviore spatio rufis, tarsis fuscescentibus. *Alae* Sigalphi pallipedis, sed nervi distinctiores.

Differt a praecedente, *statura* majore; *abdomine* magis convexo intricatim-rimuloso, tertio segmento conformi; *terebra* breviore; opacitate colorum.

Mas feminae similis in omnibus, differt *ano* rotundato, nec emarginato.

Habitat prope *Sickershausen* in hortis et nemoribus, e floribus umbellatarum praecipuum victum quaerens. Captus etiam *Berolini* mense Augusto in gramine. (Mus. Klug.)

9. Sigalphus *ambiguus.*

S. niger, obscurus, pedibus rufis, fuscove variis, abdomine subintegro, punctato-ruguloso, ano emarginato; terebra abdomine breviore. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus ambiguus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 253. *n.* 9.

Long. lin. 1½. Praecedenti simillimus, sed magnitudo subdupla. *Antennae* articulis viginti duobus. *Abdominis* punctura crassior et distincta; segmenta connata et vix impressione laevi inaequali discernenda, qualis et in veris Chelonis observatur. Anus profunde retusus. Venter cavus. Reliqua praecedentis. *Mas* feminae simillimus, solo terebrae defectu discernitur.

Habitat in sepibus et dumetis *Germaniae. Marem* et *feminam* e Museo Klugiano accepimus.

Varietates:

Variat quoad *pedum* colorem: Pedes enim sunt:

α. rufi, coxis, trochanteribus, femoribus anterioribus basi, tibiis posticis apice et tarsis fuscescentibus;

Quale specimen femineum e Museo cl. Klugii accepi;

β. fusci, femoribus anterioribus apice, tibiis iisdem totis, posterioribus basi rufis.

Marem et *feminam* hujus Varietatis coram habeo.

Adnot. Conf. cum hac Varietate Latreillii nota ad *Sigalphum rufipedem*, Gen. Crust. et Ins. Tom. IV. p. 14. n. 2.

Observatio:

Individuum quoddam masculi generis e ditissimo penu *Klugiano* nobis accessit, de quo, utrum sit proprii loci habendum, an hujus speciei varietas tantum, dubito. Est longe minoris staturae, lin. scilicet 1¼, et quod forte maximi momenti, *antennis* viginti-articulatis, nec, ut reliqui, vigintiduoarticulatis gaudet. Reliqua ei cum Varietate β modo descripta conveniunt. Tibiae omnes concolores. Alarum nervi pallidi.

SEC-

SECTIO II.

Mandibulis quadrifidis.

10. Sigalphus *hians.*

S. niger, pedibus rufis; abdomine basin versus angustato, segmentis subdiscretis, posterioribus exsertis laevibus; terebra subexserta; mandibulis hiantibus, quadrilobis. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus hians N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 253. *n.* 10.

Long. lin. 1½—2. Statura medius quasi inter *Alysias* et *Sigalphos*, Ichneuten reunitorem, quodammodo referens. *Caput* structurae capitis Alysiarum, thorace paulo latius; hypostomate brevi convexo; clypeo elevato, lineari-truncato; vertice lato, antrorsum leniter declivi; occipite sinuato-concavo. Totum *caput* sparsim punctatum, albido-pubescens. *Mandibulae* latissimae, hiantes, nigro-piceae, quadrilobae, lobis duobus superis magis distantibus subovatis, duobus inferis rotundatis. *Palpi* breviusculi, filiformes; *maxillares* sexarticulati, articulis primo et secundo brevioribus, reliquis subaequalibus, tertio paulo crassiore; *labialibus* quadriarticulatis, articulis tribus exterioribus aequalibus. Color palporum testaceus. *Antennae* porrectae, setaceae, nigrae, tertio articulo minutissimo, reliquis subaequalibus, cylindricis. *Thorax* globosus, gibbus, punctulatus, niger, pubescens. *Scutellum* ovatum, linea crenulata transversa discretum. *Metathorax* rotundatus, rugulosus, spinula erecta brevi sub scutello auctus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, convexiusculum, a basi angusta ad apicem secundi segmenti recto tractu dilatatum, tertio segmento aeque lato, dein abdomen repente rotundato-conicum. Primum segmentum conicum, rugulosum, in medio quoque latere denticulo auctum, carinula media ad basin furcata notatum, a secundo discretum. Hoc et tertium connata, impressione transversali obsoleta limites indicante, partem maximam abdominis occupant, rimuloso-punctata, opaca; quartum et quintum segmentum multo minora, laevissima, nitida, in apicem brevem connivent. Venter fornicatus. *Terebra* revera retractilis, in specimine quodam ad extensionem ultimi segmenti prominet, recta, acutiuscula, laevis. Color abdominis niger. *Pedes* rufi; coxis modo nigris, anticis subpiceis, modo concoloribus; femoribus posticis paulo crassioribus, obscurioribus; tarsis posticis unguibusque pedum

anteriorum in quibusdam fuscis. *Alae* texturae communis, hyalinae, nervis et stigmate fuscis, areola prima cubitali nervum recurrentem accipiente.

Mas differt a femina *abdomine* angustiore magis oblongo, segmentis extremis majoribus, neque adeo coangustatis.

Habitat in Germania. Captus d. 1 Maji in Pruno Pado locis udis prope *Sickershausen*. E *Sudetis* a cl. Manger habui marem et feminam, long. lin. 2 et utrumque coxis concoloribus conspicuum, caeteroquin nullo alio modo a reliquis distinguendos.

11. SIGALPHUS *mandibularis.*

S. ater, pedibus rufis; abdomine obovato, subintegro, crasse punctato-ruguloso; terebra recondita; mandibulis hiantibus, quadridentatis. *Fem.*

SYNON. *Sigalphus mandibularis N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 254. *n.* 11.

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. Affinis praecedenti, habitu veris Sigalphis reliquis magis conformis. *Palpi* fusco-testacei. *Mandibulae* post mortem late hiantes, subspathulatae, quadridentatae, dentibus exteriori et interiori minoribus, nigro-piceae. *Antennae* nigrae, articulis viginti et octo cylindricis brevibus. *Caput* latitudine thoracis, laeviusculum. *Thorax* gibbus, crasse punctatus. *Metathorax* rugosus, sub scutello spina ascendente armatus. *Abdomen* obovatum, apice rotundatum; segmento primo sulculo transversali indicato; reliquis abolitis, omnibus rugulosis, ultimis sub tertio reconditis. Color corporis pubescentis ater, nitore carbonis. *Pedes* antici testacei, coxis trochanteribusque nigris; posteriores picei, tibiis mediis subtestaceis. *Alae* hyalinae, stigmate nigro.

Habitat in Germania. Cepi mense Junio in Corylo avellana prope *Sickershausen*.

Varietates:

β. Pedibus totis testaceis; *abdomine* obscure piceo. *Fem.*

E *Sudetis* a cl. *Manger* accepi. Marem non vidi.

GENUS VII.

CHELONUS Jur.

a *Χελώνη, testudo; ob abdomen cataphractum.*

N. ab E. Nov. Act. Acad. Caes. L. C. Nat. Cur. IX. p. 309. *n. VII. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 57. *Jur. Hymen.* p. 289. *n. XLI. Tab. XII. n.* 41. *Panz. Krit. Rev. p.* 99. *Ill. Spin. Sigalphus Fallen. Nov. Meth. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 61. *Sigalphus Fam. I. b. et Fam. II. N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 255. *sqq. tab. VIII. fig.* 2. *a. b. et* 3. *a. b.* | *Sigalphus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV.* 12. *n. CCCCXLV. Cryptus Fabr. Bracon specc. Jur. Sphaeropyx Hoffm. Ichneumon specc. Fabr. Vill. Oliv. Rossi, Geoffr. De Geer, Cynips specc. Lin.*

Caput transversum, superne retusum, vertice angusto, occipite concavo. *Abdomen* sessile, convexum, cataphractum, segmentis tribus anterioribus, vel cunctis segmentis in unum connatis, nullo vestigio incisurarum superstite, vel sulculis tantum transversis indicatis, reliquis minutis, sub ventrem retractis. *Areolae cubitales* tres. *Terebra* recondita rariusve exserta, tum plerisque recurva.

Antennae setaceae, multiarticulatae, articulo primo elongato. *Mandibulae* acute bidentatae. *Lingua* brevis, membranacea integra. *Palpi* filiformes, inaequales; *maxillares* longiores sexarticulati, articulis inaequalibus, tertio cultriformi; *labiales* breviores, quadri-articulati.

Adnotatio:

Character naturalis et *habitus*, in diversis sectionibus aliquantum diversi, suo loco aptius exponentur.

SECTIO I.

Abdomen clavatum, triannulatum. *Areolae disci* anteriores aequales.

Sigalphus Fam. I. b. *α*. N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 255. Sigalphi Div. I. Latr.

Character naturalis, quantum ex oris fabrica pendet, fere Sigalphorum, sed *palpi labiales* distincte *quadriarticulati*. *Areolae cubitales* prima et secunda subaequales, ista postice angustior.

1. Chelonus *alternipes.*

Ch. niger pubescens, pedibus rufis, coxis trochanteribus, femoribus anterioribus basi, posticis apice tarsisque iisdem totis nigris; alis hyalinis; terebra longitudine tertii segmenti, ensiformi. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus alternipes N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 255. *n.* 12. *Tab. VIII. fig.* 4.

Long. lin. $2\frac{3}{4}$—3. *Caput* latitudine thoracis, depresso-cubicum; hypostomate lato, sulculis duobus, superne convergentibus, obsoletis impresso. *Scutellum* fovea porcata discretum. *Metathorax* rugulosus, area media lineari, obsoleta. *Abdomen* oblongum, basin versus paulo angustatum, apice rotundatum, e tribus segmentis maximam partem constructum; primo lineis tribus approximatis elevatis carinulato, quarum media obsoletior; secundo tertioque rimuloso-punctulatis, obscuris; quarto laevi, angustissimo, vix prominente; reliquis retractis. Venter basi carinatus, apice planiusculus. *Terebra* ensiformis, obtusa. *Coxae* et *trochanteres* nigra. *Pedes* rufi; femoribus anticis basi ad $\frac{1}{4}$ longitudinis, posticis apice nigris; tibiis posticis apice, tarsis iisdem totis nigris, mediis fuscescentibus. *Alae* obscure hyalinae, nervis stigmateque fuscis.

Mas, omnino simillimus, *antennis* longioribus, gracilioribus. *Femora* media basi late nigra, apiceque supero macula nigra.

Cepi in Salice aurita, locis humidis, mense Aprili prope *Sickershausen.* Misit quoque *Vienna* vir acutissimus *Dahl*, individuum masculum.

2. Chelonus *irrorator.*

Ch. ater, pubescens; abdomine rugosissimo, clavato, macula tertii segmenti aureo-sericea; tibiis posticis pallidis, apice fuscis; terebra recondita. *Fem.*

Synon. *Sigalphus irrorator N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 255. *n.* 13. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 13. *Hist. des Crust. et des Ins. t.* 13. *p.* 189.

Cryptus irrorator Fabr. Syst. Piez. p. 88. *n.* 76.

Ichneumon irrorator Fabr. Ent. Syst. II. p. 177. *n.* 180. *De Geer Mem. I. IV. p.* 29. *tab.* 36. *fig.* 12. 13. (*Ex larva Noctuae pyramideae.*)

Ichneumon ater, alis extremo fuscis, ab-

dominis apice villoso ferrugineo. Geoffr. *Ins. II. p.* 337. *n.* 36.

Long. lin. 4—4¼. *Antennae* longitudine corporis, setaceae. *Palpi maxillares* longissimi, primo et secundo articulo brevissimis, tertio longiori compressiusculo sublanceolato. Hypostoma carinatum. *Scutellum* fovea porcata discretum. *Metathorax* rugosus, areis tribus dorsalibus distinctis, lateralibus magnis, media lineari. *Abdomen* capite thoraceque plus dimidio longius; primo segmento conico, rugosissimo, basi utrinque dentato, medio carinis duabus acutis, basi divergentibus, interjecta minore, praedito; secundo truncato-conico, rimuloso-rugoso, carinis ejusmodi, quibus illud, humilioribus tamen conspicuo; tertio convexo, ovato, antice truncato, postice rotundato, punctulato-rugoso, macula dorsali indeterminata, e pilis decumbentibus sericeis aureis, pulcherrime micante. Venter profunde excavato-fornicatus, lamina carinali media basi latissima, dein attenuata, et sub terebra in fulcrum breve producta. *Terebra* brevis, in meo exemplo deflexa, valvulis latis, ovatis, obtusis, concavis, setaque acutissima exserta, piceis; pone terebram dentes duo, unus ex utroque latere, retrorsum spectantes. *Pedes* nigri, nitidi, femoribus mediocribus; anticis apice antico, tibiis iisdem latere toto antico, mediisque basi piceis; tibiis posticis longioribus lutescentibus, apice tarsisque omnibus nigris. *Alae* obscurae; anticae apice late fuscae, anastomosi inter areolam cubitalem secundam et tertiam nimbo hyalino cincta; nervis fuscis; stigmate ferrugineo. Areola cubitalis prima in limite interiori ramulo introrsum spectante notata.

Habitat in *Europa*, praesertim *australiori*, sed etiam in Europa boreali, v. c. in *Suecia*, invenitur. *Vienna* a cl. *Dahl* missus est. De Mare nihil mihi constat.

SECTIO II.

Sigalphi Fam. I. b. β. N. ab E. l. c. Sigalphi Div. II. Latr. l. c.

Abdomen ovato-oblongum, planiusculum, segmentis punctorum transversorum seriebus geminis obsoletis indicatis. *Areola disci* supera exterior major. *Terebra* brevissima, recta.

Character naturalis (*a Chelono dentatore derivatus. Berl. Mag. VII. p.* 256. *tab. VIII. fig.* 2. *a. b*).

Antennae setaceae, a scapo decurvae (fracturam inchoantes), dein retrorsum arcu ascendentes, articulis in utroque sexu viginti quatuor; radicula brevi-exserta subcylindrica; scapo crasso, elongato, binorum articulorum insequentium longitudinem aequante, obconico, supra convexo, subtus plano; pedicello exserto, obconico, brevi; reliquis articulis subcylindricis, apice paulisper incrassatis, longitudine simul et crassitie decrescentibus, exterioribus, in *mare* oblongo-cylindricis, in *femina* minoribus, subovalibus; extimo ovato acuto. *Clypeus* indistinctus, fossulis duabus confluentibus ab hypostomate obiter discretus, margine infero rotundato, convexiusculus, tuberculoque parvo medio auctus. *Mandibulae* sub clypeo arcuatim cruciatae, reconditae, tenues, compressae; facie exteriori convexiuscula, laevi; interiori concava; margine infero obtuso, supero acuto; apice bifido, dentibus acutis, supero duplo longiore. *Labrum* sub clypeo plane reconditum, introflexum, totum membranaceum, transversum, margine infero recto subtrilobo, junctura supera, ubi clypeo annectitur, pulchre ciliata. *Maxilla* fere tota membranacea, pellucida, labii longitudine; *stipes* subrectangulus, basi parum angustatus, paulo crassior mala, marginibus rectis, exteriori acuto obscuriori setis strictis ciliato, interiori spatio quodam hyalino-pellucido tenuissimo, altius ascendente; *mala* stipite duplo fere brevior, oblique obovata, scilicet margine exteriori rectiusculo rotundato, ad medium bifida, laciniis inaequalibus, interiori breviori, obovatis, apice rotundatis, ita invicem incumbentibus, ut mala primo intuitu leviter emarginata appareat; margo exterior longe crinitus. *Palpi maxillares* mala triplo longiores, crassiusculi, incurvi, sexarticulati, pilosi; articulis inaequalibus; primo et secundo brevioribus, inter se aequalibus, illo obconico, hoc subcylindrico, compressiusculo, basi obliquo, apice truncato; tertio cultriformi, seu compresso-dilatato, margine exteriori paulo extrorsum concavo, interiori arcuato, apice oblique truncato, basi angustato, reliquis ampliori; quarto subcylindrico, apice paulo angustiore; quinto et sexto oblongis, basi et apice evidenter attenuatis, sexto obtuso; hi articuli longitudine subaequales, tamen quartus reliquis paulo brevior, quintus et sextus tantillo longiores.

Labium: mentum coriaceum, conicum, convexum, laeve, apice emarginatum; *lingua* mento duplo brevior, membranacea, recta, subquadrata, lateribus rectis, apicem versus convergentibus, et tractu parallelo ita deorsum involutis, ut lingua basi fere tubulosa evadat; margine supero recto, angulis obtusis, pilis quibusdam elongatis ciliata. *Palpi labiales* lingua quatruplo longiores, filiformes, recurvi, quadriarticulati, ciliati; articulo primo elongato, obconico; secundo compressiusculo, latiori et breviori reliquis, apice obliquo; tertio subclavato; quarto oblongo-subcylindrico, versus basin magis attenuato, obtuso. (Berl. Mag. l. c. Tab. VIII. fig. 2. a. b.)

3. Chelonus *dentator.*

Ch. subferrugineus; abdomine obovato, postice obscuriore, subtriannulato, ano emarginato; tibiis posticis pallidis, annulo versus basin apiceque late fuscis. *Mas. Fem.*

Synon. *Chelonus dentatus Panz. Faun. Germ. LXXXVIII. 14. Idem krit. Rev. p. 100.*
Sigalphus dentator N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 257. n. 14. tab. VIII. fig. 2. a. b. (Maxilla et labium).
Sigalphus rufescens Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 13. n. 1. *)

Long. lin. 3. *Antennarum* articuli apicis contigui, repente decrescentes. *Abdomen* oblongo-ovatum, planiusculum, segmentis punctorum impressorum seriebus duabus indicatis. Superficies rugulosa. Anus leviter emarginatus, *terebra* ut brevi apicula prominente, hinc subtridentatus. *Tibiae* mediae extus subgibbae. *Alae* cinerascentes, litura stigma dirimente, et altera pone stigma, obsoletissimis, albidis. Nervi fusci. Oculi et stemmata nigra in omnibus. Color variabilis, in *femina* magis constans, quae paulo major mare. *Caput* et *thorax*

---

*) *Sigalphum rufescentem* clarissimi *Latreille* hic, tanquam synonymon, inferre nullus dubito; nam descriptio non solum ad amussim nostrum exhibet, sed etiam citatus ab ipso, *Chelonus dentator* Panz. ut species maxime affinis, quae videantur contradicere cuncta solvit. *Chelono dentato* Panzeri areolae discoidales semper sunt *duae superae* perfectae, quarum exterior interiori duplo fere major reperitur, et unica infera, eaque incompleta. Fieri tamen potuit, ut virum peracutum areola discoidalis supera interior, ob umbram alam mediam plus minusve infuscantem, in minori individuo effugerit.

plerumque testacea; *metathorax* sub scutello et *abdominis segmentum tertium* dorso, cum *terebra*, fusca; segmenta anteriora et pedes toti lutescentia, solis femoribus posticis apice tarsisque posticis totis fuscis. *Tibiae* regulam servant, coloribus minus distincte expressis.

Mas antennarum articulis discretis, ultimis non adeo diminutis; *carina ventrali* nulla, aut obsoleta.

Varietates notabiles hujus speciei sunt:

a) Fusco-ferrugineus, unicolor; *antennae* apice nigricantes. *Hypostoma orbita* et *pedes* ex piceo-rufescunt, *trochanteribus* omnibus et *tibiis* anterioribus basi, pallidis. *Tibiae posticae* latius fuscae, pictura minus distincta. Anus fere rotundatus; *alae* obscure hyalinae; lituris nullis. Ocelli, ut in reliquis, luteo-hyalini, sed maculae obscuriori innatae, hinc primo intuitu nigri. *Mares.*

b) Ferrugineus, *thoracis* dorso fuscescente, macula media, antrorsum bifida, ferruginea; *abdominis* dorso fusco, primo segmento toto, secundo basi media plus minus rufescentibus. Long. lin. 2 — 2½. *Mares.* Feminam coloris magis diluti neque in dorso thoracis obscurati, benigne tradidit vir amicissimus *Klug.*

c) Ferrugineus, *vertice, thoracis* et *abdominis* dorso, *pectore* saepius, obscurioribus, subfuscis, hujus primis segmentis medio, pedibusque luteis, *femorum posticorum* clava rufo-picea. Reliqua ut in praecedente, sed colores tibiarum posticarum laetius expressi. Long. lin. fere 3.

α. *Thoracis macula* media, antrorsum bifida, lutescente vel ferruginea. *Mares* et *feminae.*

β. *Thorace immaculato*, ad summum punctis duobus fusco-ferrugineis, difficillime distinguendis, notato. *Mares.*

Adnot. Color pallidus segmentorum anteriorum abdominis, modo luteus, modo ferrugineus, indeterminatus, aut arcte circumscriptus, utplurimum tamen maculam utrinque incisam, et inde subdidymam, efficit.

d) Colores ut in Varietate c. *Thorax* saepe macula bifida; pectus late fuscum; *abdominis* primum segmentum media basi, praesertim spatio carinis interjecto, ferrugineo, plus minusve distincto; reliqua segmenta concolora fusca; *coxae* posticae in plerisque piceae. *Mares.*

e) Colores praecedentium, *thorace abdomineque* omnino immaculatis, obscuris. *Coxae* posticae fuscae. *Mares.*

Observatio:

Alae in obscurioribus individuis plerumque distinctius variegatae, sicuti et tibiae posticae. Orbita etiam in his rufescens et ferruginea.

Habitat in *Germaniae*, *Italiae* locis apricis, herbidis, Umbellatarum flores, Athamantae, Pimpinellae depascens. *Mares* multo frequentiores feminis occurrunt, quarum vitam sobolis minus patentibus locis exponendae curae destinatam esse ex eo concludimus, quod nulli hucusque, quantum scio, naturae scrutatorum contigerit, metamorphosin hujus speciei et vitae decursum inde a primis gradibus explorare. Magnam copiam exemplorum liberalitati debemus cl. *Bonellii*, Professoris Taurinensis, e quibus inter se collatis omnem varietatum seriem, in antecedentibus expositam, traximus.

4. Chelonus *planifrons.*

Ch. niger, capite thoraceque cum scutello et pleuris ferrugineo-rubris, abdomine triannulato; vertice capitis depresso-plano, subquadrato. *Mas.*

Synon. *Sigalphus planifrons N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 259. *n.* 15. *tab. VII. fig.* 3.

Long. lin. 2¼. *Caput* thoracis latitudine, circumscriptione fere circulari, aut obsolete pentagona. *Hypostoma* brevissimum, subcarinatum et punctis duobus impressis supra clypeum notatum; clypeus discretus, subtriangulus, in medio gibbus; vertex planiusculus, latus, subquadratus. Color capitis ferrugineo-ruber, genis et clypei limbo fuscescentibus; superficies omnis subtilissime punctulato-rugulosa et, ut reliquum corpus, pubescentia tenui adspersa. *Mandibulae* angustae, piceae. *Palpi* rufescentes. *Oculi* parvi, hemisphaerici, laterales, nigri. *Antennae* nigrae, scapo crasso obconico, pedicello brevi, reliquis omnibus articulis cylindricis, longitudine decrescentibus. *Thorax* ovato-subrotundus, dorso planus, punctulatus, lobo antico lineis tribus abbreviatis impresso, rubro-ferrugineus; *scutellum* ejusdem coloris, late triangulum, planum, acutum, linea recta transversali discretum, et juxta basin arcu punctulato impressum; *pleurae* rubro-ferrugineae, ante alas et sub iis obscuriores; *pectus* nigrum. *Metathorax* leniter convexus, utrinque tuberculo

parvo, rugaque media transversali arcuata auctus, rugulosus, niger. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, ovale, basi retusum et subbicarinatum, convexum, integrum; segmentis strigis solitis crenulatis notatis; ano rotundato; totum nigrum, punctulato-rugulosum. Venter fornicatus; carina nulla. *Pedes* structurae solitae, nigri; antici magis fuscescentes; tibiae posticae annulo obsoleto albido. *Alae* cinerascentes, nervis et stigmate nigris, fasciae hyalinae vestigiis sub stigmate.

Habitat in Gallia. Captus semel prope Montem pessulanum. E museo Gravenhorstiano. Femina latet.

SECTIO III.

Sigalphi Fam. II. a. N. ab E. l. c. p. 260. tab. VIII. fig. 3. a, b. Sigalphi Div. III. 2. Latr. l. c.

Abdomen ovatum vel oblongum, integrum. *Areolae disci* anteriores *duae.* Terebra recondita.

Character naturalis hujus et sequentis Sectionis (a *Chelono oculato*, sequentis sectionis derivatus).

Antennae setaceae, longitudine et numero articulorum vario. Longitudine corpus dimidium vel totum aequant, immo superant. Articulorum numerus a viginti quinque ad triginta tres diversus, inaequalis semper, et in sexu sequiori binis articulis diminutus. Radicula perbrevis, vix exserta, disciformis; scapus longitudine duorum insequentium articulorum, reliquis articulis crassior, subcylindricus, basi parum contractus, extrorsum modice curvus; pedicellus exsertus, brevis, disciformis; reliqui articuli arcte contigui, sericei, cylindrici, longitudine et crassitudine notabiliter decrescentes, extremis in *femina* magis ovalibus, imo ovatis, subglobosis, et transversis, in *mare* leniter e cylindrico-oblongis, diametrum parum excedentes crassitie; ultimo parvo, ovato acutiusculo. *Clypeus* ab hypostomate superficie laeviori et arcu impresso discretus, suborbiculatus, paulo tamen latior, convexiusculus, inermis, margine infero rotundato, integro. *Mandibulae* sub clypeo cruciatim junctae, modice arcuatae, compressae, apicem versus vix attenuatae; extus convexae, subpubescentes, intus concavae, marginibus supero et infero obtusis, hoc apicem versus acutiori. *Labrum* brevissimum, sub clypeo reconditum, membranaceum, mar-

gine infero subsinuato, transverso. *Oris* partes inferae in cavitatem retractae. *Maxillae* labium amplectentes et illo paulo breviores; *stipes* coriaceus, compressus, subrectangulus, basi attenuatus et incurvus, supra concavus, subtus convexiusculus, laevis, glaber, marginibus acutis, exteriori parum arcuato, pilis brevibus ciliato, interiori concavo, membrana tenui, adscendente (ligamento), aucto: ante apicem, ubi palpus inseritur, margo exterior ad angulum obtusum inflectitur, et stipes hinc magis contractus, parte ipsius subquadrata pellucidiore truncata malae adjungitur; *mala* stipite dimidio brevior, profunde bifida, laciniis subfastigiatis: exteriori coriacea, opaca oblique subquadrata, angulis rotundatis, praecipue interiori et infero, unde lacinia haec ad insertionem introrsum angustata; lacinia interiori membranacea, tenui, apice paulo obscuriori et crassiori, introrsum rotundato-expansa, ascendente, basi altius decurrente *) et superne a lacinia exteriori dehiscente; utraque harum margine ciliato. *Palpi maxillares* mala triplo longiores, incurvi, filiformi-setacei, subpilosi, sexarticulati; articulis inaequalibus, longitudine hoc ordine decrescente: $^3/_5$, aequalibus $^4/_6$, acqualibus 2, 1; articulo scilicet primo brevissimo, secundoque obconicis, tertio reliquis crassiori rectiusculo obconico parum compresso apice extrorsum modice obliquo, reliquis cylindricis, sexto paulo tenuiori. *Labium: mentum,* subcorneum, obconicum, seu potius lineare, basi paulo angustatum, compressum, prona facie convexum, laeve, glabrum, apice truncatum; *lingua* mento plus duplo brevior, membranacea, satis solidae texturae et subopaca, integerrima, rotundata, lateribus deorsum curvis, hinc subtus fornicata, supra convexiuscula, margine ciliata. *Palpi labiales* lingua haud triplo longiores, incurvi, filiformes, pilosuli, quadriarticulati; articulis primo, secundo et quarto subaequalibus, tertio singulo reliquorum fere dimidio breviore; tribus anterioribus obconicis subaequalis crassitiei, quarto cylindrico basi et apice paulisper attenuato obtusiusculo. (L. c. Tab. VIII. fig. 3. a, b.)

5. Chelonus *rufipes.*

Ch. niger, mandibulis, antennarum articulis anterioribus subtus pedibusque rufis; abdomine obovato. *Mas.*

---

*) Ad basin hujus laciniae, ubi margini interiori stipitis adnectitur, in plerisque annulum obscurum, in disco hyalinum, observo. —

Synon. *Sigalphus rufipes* Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 14. n. 2. *Sigalphus rufipes* N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 262. n. 16.

Long. lin. 2. *Caput* thorace paulo angustius, hypostomate verticeque subaequalibus, planiusculis, e quadrato transversis, punctulatis, pubescentibus; colore nigrum. *Mandibulae* et *palpi* laete rufa. *Antennae* graciles, longitudine corporis, setaceae, articulis omnibus cylindricis, apicem versus decrescentibus; pedicello brevissimo, scapo ut in congeneribus, colore rufo, dorso fusco, tum quarto, quinto sextoque insequentium subtus rufis. *Thorax* structurae ejusdem; ut in reliquis hujus sectionis, tamen dorso magis depresso et lineis duabus punctulato-excavatis, a margine antico retrorsum conniventibus, ante scutellum arcu conjunctis, distinctioribus notatus, punctulatus, niger, pubescens. *Scutellum* punctis rarioribus adspersum, basi nitidulum. *Metathorax* rugulosus, utrinque unidentatus, apice truncatus. *Abdomen* capite thoraceque brevius, annulatum, convexum, recticulato-rugulosum, basi carinulis duabus divergentibus auctum, apice rotundatum. Venter fornicatus. *Pedes* formae solitae, rufae, solis coxis posterioribus basi nigris, tibiisque posticis apice fuscescentibus, tarsis posterioribus etiam obscuris. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis. Areolae omnino, quales supra in universum descripsimus, discoidalibus anterioribus distinctissimis.

Habitat *Parisiis*, Latreille. Eundem e *Sudetis* accepimus. Alterum individuum, idemque masculum, Museum *Klugianum* servat. Feminam non vidi.

6. Chelonus *similis.*

Ch. niger, femoribus anticis apice tibiisque piceo-testaceis; abdomine oblongo, punctulato-ruguloso. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus similis* N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 262. n. 17.

Long. lin. $1^3/_4$. *Femina*: *antennis* validiusculis, longitudine dimidii corporis, scapo et pedicello subtus testaceis, extremis articulis, ut in reliquis, abrupte decrescentibus.

Mas. Antennis elongatis, corpus aequantibus, tenuibus, nigris vel subtus basin versus, rarius tota inferiori facie, rufis.

Structura corporis ut in praecedente et reliquis omnibus hujus sectionis; statura graciliore ab illo praesertim discrepans. Color niger, nitidiusculus; pubescentia tenuis, rara. *Palpi* fusco-testacei. *Hypostoma* inferne albo-seri-

ceum, sub antennis tuberculo plus minus distincto. *Antennae feminae* breviusculae, articulo secundo magno, tertioque subtus rufis, quarto, quinto et sexto basi infera parum rufescentibus; *maris* elongatae, subtus plus minus rufae. *Thorax* cum *scutello* subtilissime consertissimeque punctulatus. *Metathorax* truncatus, obiter rugulosus, rugis reticulatis. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, oblongo-subcylindricum, basi subretusum, neque ibi bicarinatum, consertissime punctulato-rugulosum, punctis intricatis, *Coxae* nigrae, posticae apice rufae; *trochanteres* anteriores basi fusco-picei, apice rufi: postici toti rufi. *Tibiae* anticae totae, posteriores basi rufae. *Tarsi* fusci, antici basi dilutiores, posteriores articulo primo vix basi rufo. In iis masculis individuis, quorum antennae latius rufescunt, trochanteres omnes et ipsam femorum anticorum faciem anteriorem testacea invenies.

Habitat in floribus, praecipue plantarum umbelliferarum, *Silesiae* (*Gravenhorst*), *Magdeburgi*, *Berolini*, Julio mense in graminosis (*Klug*) *Galliae* (e collectione *Desmarestiana*) — *Italiae*, a cl. *Bonellio*.

O b s e r v a t i o:

Chelono fenestrato mari, n. 15, adeo similis, ut, nisi ad alas attendere velis, vix distinguas; at vero areola cubitalis prima a discoidali exteriori nervo valido est discreta; differt insuper ab illo: scutello confertissime punctato, nec laevi, et sexu utroque concolore. Etiam tibiae mediae in nostro semper apice nigrae sunt, in illo non ita. A *Chelono sulcato Jur.*, n. 16, cujus minoribus individuis species nostra etiam accedit, praeter alas, praesertim sculptura multo densiore et subtiliore differt.

7. Chelonus *Klugii*.

Ch. niger, opacus, antennis basi infera, genis, hypostomateve toto, pedibusque rufis, variis; abdomine obovato-oblongo, subtilissime ruguloso. *Mas. Fem.*

Synon. *Sigalphus Klugii N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 263. *n.* 18. *tab. VIII. fig.* 5.

Long. lin. 2. *Femina:* Genis, antennarum articulis quatuor anterioribus subtus, trochanteribus, femoribus anterioribus apice, tibiis anticis totis, posterioribus basi rufis, ventre carinato, terebra recondita.

Mas. Genis, hypostomate toto, orbita quoque, antennis secundum totam longitudinem inferius, pedibusque

totis laetius rufis, tibiis posticis tarsisque omnibus apice fuscis, ventre fornicato.

Caput thorace latius, transversum; vertice angusto; occipite concavo. Clypeus linea distinctus recta, impressa. Hypostoma latum transversum, subtilissime punctulatum, pubescens. *Antennae* feminae corpore paulo breviores, validiusculae, setaceae, articulis viginti septem, extremis minutis, repente decrescentibus revolutis; *maris* corpus aequantes, rectae, leniter attenuatae, articulis triginta, plerisque cylindricis. *Thorax* ovatus, convexus, subtilissime punctulatus, lineis duabus mediis convergentibus obiter impressus; *scutellum* linea transversa tenui discretum. *Metathorax* productus, convexus, lateribus rotundatis, hinc subovatus, nec posteriori parte repente detruncatus, tuberculo laterali vix conspicuo, superficie rugulosa, lineisque duabus dorsalibus elevatis undulatis parallelis antrorsum abbreviatis subdivisa, pubescente. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, ovali-oblongum, postice paulo latius, apice in utroque sexu rotundato, subtilissime intricatim ruguloso-punctulatum, nigrum opacum. *Pedes* ratione corporis graciliores, tibiis, posticis praesertim, minus quam in *Chelono simili* aliisque incrassatis. Colorum tam pedum quam reliqui corporis in his, quae sexu differre vidimus, diversitatem supra indicavimus. *Mandibulae* piceo-rufae. *Alae* hyalinae, cum umbra quadam ad venas, quae ipsae et stigma fusca. Stigma dimidiato-ovale.

Habitat in *Germania*, *Italia*. *Marem* et *feminam* descripsimus, a *Klugio*, viro clarissimo, benigne concessa. Mas in sylva prope *Tegel* captus; femina missa ex *Italia*, Max. *Spinolae* donum.

O b s e r v a t i o:

A reliquis cofamiliaribus cunctis differt: *metathoracis* postice leniter decurvi et rotundati structura.

8. Chelonus *annularis*.

Ch. niger, nitidulus; abdomine oblongo subtilissime punctulato-ruguloso (basi punctis duobus pallidis notato); pedibus rufis, tibiis posticis fusco-alboque-annulatis. *Mas.* (Scutellum laeve.)

Synon. *Sigalphus annularis N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 264. *n.* 19.

Long. lin. 1½. *Antennae* filiformes, longitudine corporis; articulis viginti tribus subcylindricis, contiguis, ex-

tremis minutis, leniter decrescentibus, paulo magis discretis, anterioribus subtus rufescentibus. *Caput* thorace paulo latius, vertice plano, magisque dilatato, quam in plerisque hujus familiae. *Thorax* depressiusculus, subtilissime punctulatus, subpubescens. *Scutellum* fovea angusta, subtiliter porcata discretum, acutum, laeve. *Metathorax* productus, convexus, rugis subtilibus inaequalis, infra scutellum sulculo transverso impresso notatus, areaque dorsali circumscripta, subquadrata divisus, postice inermis. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, ovalioblongum, postice paulo latius, subtilissime punctulato-rugulosum, nigrum, ultra basin utrinque macula parva suborbiculari pallido-pellucente notatum, ano rotundato. *Pedes* rufi; coxis posticis, femoribusque iisdem margine supero fuscis; tibiis mediis fuscescentibus, annulo medio albido obsoleto; tibiis posticis basi albis, tum annulo fusco, medio latius albis, apiceque iterum fusco; tarsis posterioribus fuscis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Habitat *Berolini;* captus Julio mense in gramine, (Mus. Klug.) Feminam non vidi.

9. Chelonus *elegans.*

Ch. niger opacus; abdomine ovali-subcylindrico, subtilissime punctulato-rugoso, basi late testaceo-pellucido; metathorace quadridentato; pedibus rufis, tibiis posticis apice fuscis. *Mas.*

Synon. *Sigalphus elegans N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 264. *n.* 20.

Long. lin. 2. Gracilitate quadam inter reliquos notabilis. *Caput* latitudine thoracis, vertice convexo latiusculo. *Mandibulae* laete rufae. *Antennae* longitudine corporis, filiformi-setaceae, apice recurvae, multiarticulatae, nigrae, subtus, basin versus, rufae. *Thorax* convexiusculus, punctulato-scaber. *Scutellum* striolis impressum, sulculo porcato discretum, acutum. *Metathorax* punctulato-rugulosus, convexus, postice truncatus, margine postico supero utrinque in dentem producto, duobusque denticulis intermediis minoribus armato. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, ex ovali subcylindricum, subtilissime rimuloso-reticulatum, apice rotundatum, uti reliquum corpus nigrum, nitidulum, a basi ad medium fere testaceo-pellucidum, coloris utriusque termino arcu aequali descripto. Venter profunde fornicatus. *Pedes*

cum coxis et trochanteribus laete rufi, tibiis posticis et mediis apice tarsisque omnibus fuscis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate oblongo-ovato fuscis.

O b s e r v a t i o:

Colorum distributione similis *Chelono*, *Gravenhorstii* n. 20, sed differt gracilitate corporis, metathorace quadridentato, areolarum discoidalium numero.

Habitat *Berolini*. Captus in der Jungfernheide; e Museo *Klugiano*.

S E C T I O IV.

Sigalphi Fam. II. b. N. ab E. l. c. Sigalphi Div. III. 1. Latr. l. c.

Abdomen ovatum, oblongum, vel subcylindricum, integrum. *Areola disci* anterior solitaria. *Terebra* plerisque recurvata, vel recondita.

Character naturalis omnino ut in sectione praecedente.

10. Chelonus *annulatus.*

Ch. niger, pedibus rufis, coxis trochanteribus tibiisque posticis nigris, his albo-annulatis; abdomine oblongo, basi utrinque macula pallida; terebra exserta, recta. *Fem.*

(Scutellum basi laeviusculum, apice punctis minutis, acutis, impressum.)

Synon. *Sigalphus annulatus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 265. *n.* 21.

Long. lin. 2. *Caput* transversum, thorace paulo latius; vertice angusto, supra antennas retuso, et concentrice striato; hypostomate transversim ruguloso-striato, in medio carinato. *Antennae* longitudine corporis, rectae, setaceae, nigrae, articulis triginta tribus; exterioribus quam in aliis distinctioribus, neque adeo repente decrescentibus. Color capitis niger. *Thorax* dorso subdepressus, ruguloso-punctatus niger. *Metathorax* brevis, truncatus, utrinque acute dentatus, rugulosus, thoraci concolor. *Abdomen* vix capitis cum thorace longitudinem aequans, ovale, lateribus leni tractu arcuatis, reticulato-rugulosum, nigrum, prope basin utrinque macula trigona lutescenti-hyalina notatum. *Terebra* uti brevis apicula prominet, *recta*, nigra. *Pedes* rufi, coloris saturatioris; coxis, trochanteribus, tum femoribus posterioribus basi tarsisque iisdem totis nigris.

Ti-

Tibiae posticae apice late nigrae, basi fuscae, medio albidae, unde annuli species oritur. *Alae* obscure hyalinae.

Habitat *Berolini*. *Feminam* benigne exhibuit vir amicissimus *Klug*, a se ipso locis aridis, graminosis (in der Jungfernheide), mense Augusto captam. Mas ignotus.

11. Chelonus *inanitus*.

Ch. niger, pedibus rufis, coxis trochanteribusque nigris, tibiis posterioribus apice tarsisque omnibus fuscis; abdomine postice latiore, basi utrinque macula pallida (subaurulenta); terebra exserta recurva. *Mas. Fem.*

(Scutellum rugulosum, punctis sparsis majoribus impressum.)

Synon. *Sigalphus inanitus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 266. *n.* 22.

Chelonus oculator Jur. Hymen. p. 291. („*le Chelone oculé est une femelle, à en juger du moins par son aiguillon, qui est apparent.*")

Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 14. *Nota ad Div. III.* 1.

Ichneumon oculator Rossi Mant. I. p. 264, *ubi plurimae species confundi ab auctore videntur. Palpos rufos equidem in nullis exemplis, abdomine maculato praeditis, vidi; neque terebra in hisce, quae novimus, corporis longitudine unquam diceretur. In Mantissa l. c. Aculeus rufus „abdomine paulo longior" forsan ita intelligendus, ut, cum prope basin oriatur, ipsum abdomen longitudine superet per se spectata, tametsi pars illud excedens vix tertiam partem longitudinis ejus superet.*

Ichneumon Atomos Ross. Faun. Etr. ed. III. II. p. 80. *n.* 792 (*excl. Synon.*).

Cynips inanita Lin. Syst. nat. II. p. 917. *n.* 2. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 74. *n.* 17. (*Tibiae huic nigrae tribuuntur. An „tarsi" intelligendi?*)

Long. lin. $2^3/_4$ — $3^1/_4$. Terebra in hac specie valde conspicua, recurva, reliquis plerisque retracta. *Abdomen* subtripartitum, sulculis obtusis, anteriore obsoletissimo, posteriore distincto. Punctura variolosa, ut quasi superficies reticulata. Anus inferne pro recipienda terebra retusus.

Mas feminae simillimus; antennis apice lente attenuatis, articulis pluribus; maculis basilaribus abdominis minoribus; terebra nulla.

Habitat in *Germaniae* floribus, locis montosis, haud frequens, in Umbellatis obvius maxime. E *Sudetis* statura eximia, long. lin. scil. $3\frac{1}{4}$ a cl. *Manger*, accepimus.

12. CHELONUS *mutabilis.*

Ch. niger, pedibus rufis, coxis (femoribusque saepius plus minusve) tibiis posticis, tarsisque omnibus apice, fuscis; abdomine ovali, basi angustiori, rugoso-reticulato; terebra recondita. *Mas. Fem.*

(Scutellum basi laeve, nitens, punctis paucis impressum, apice crasse punctatum.)

SYNON. *Sigalphus mutabilis N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 266. *n.* 23.

Long. lin. $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{1}{3}$. Magnitudine et colore abdominis varia. Sequentes *Varietates* continua fere serie junguntur.

α. Abdomen basi ferrugineum, apice fuscum, coloribus lenissime transeuntibus. *Pedes* rufi, coxis, trochanteribusque inferis fuscis, tibiis posticis apice parumper obscurioribus, tarsis fuscescentibus, articulo primo rufo.

β. Idem, vestigio puncti lutescentis ad latera abdominis, prope basin.

γ. Abdomen apice late fuscum, basi piceum. *Trochanteres* toti picei. *Tibiae* posticae apice distincte fuscae.

δ. Idem, *puncto* laterali abdominis luteo distincto.

Mas feminae Varietati *δ* similis, *antennis* leniter attenuatis *abdomine*que toto nigro differt.

A sequentibus haec species distinguenda: *abdomine* breviore latiore, basi parum angustiori, minus convexo, annulis tribus distinctioribus diviso et *pedum* colore. Nigredo corporis carbonem refert, submicans. Sculptura crassa. *Mandibulae* apice piceae; *palpi* nigri. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque. *Alae* pallescentes, stigmate nigro.

Habitat in *Italia;* vidi in Museo *Bonelliano.*

Observatio:

Huic forsan conferenda, quae a *Rossio* (Mant. 264.) ad Ichneumonem oculatorem annotantur: „at saepe primo segmento toto flavo."

13. CHELONUS *oculatus.*

Ch. niger, opacus, pedibus rufis, coxis trochanteribus femorumque basi nigris, tibiis posterioribus apice tarsisque fuscis; metathorace bidentato; abdomine oblongo-cylindrico, reticulato-ruguloso; terebra recondita. *Mas. Fem.*

(Scutellum basi laeviusculum, inaequale, apice late punctatum.)

Mas antennis elongatis setaceis differt.

Synon. *Chelonus oculator Pz. Krit. Rev. p.* 99.

Sigalphus oculator Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 13.

Sigalphus oculatus N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 267. *n.* 24.

Ichneumon oculator Panz. Faun. Germ. 72. 3. (*Tarsi vero in nostris fusci, articulo primo posticorum subtus rufo.*) *Fabr. Syst. Piez. p.* 68. *n.* 61. *Ent. Syst. II. p.* 169. *n.* 151 (*demto Synon. Lin.*).

Magnitudine maxime variabilis, a lin. 2 ad 3 et 3¼. A binis praecedentibus distinguitur: *statura* graciliore, *abdomine*que praesertim angustiore, lateribus fere rectis, hinc formae cylindri accedente; *colore* magis opaco, *punctura* scilicet et pubescentia densioribus. *Abdomen feminae* apice subcompressum, terebra saepe, ceu apicula parva, prominente; *maris* anus abrupte rotundatus, unde abdomen huic magis cylindricum. In utroque abdomen dense reticulato-rugulosum, retis areolis anterioribus in longitudinem protractis, ubique satis profundis. Pedes quoad colorem maxime constantes, femoribus basi semper longiori vel breviori tractu nigris.

Varietates:

Femina α. macula pallida ex utroque latere baseos abdominis.

β. Abdomine immaculato.

Mas α. Abdomine media basi magis minusve piceo colore indeterminato imbutis.

β. Abdomine immaculato.

Habitat in *Germaniae*, *Galliae*, *Italiae* floribus umbellatis, aestate et ineunte autumno.

Observatio:

Individua feminea minora, vix lineas 2 metientia, benevole concessit cum multis aliis *Bonellius*, circa *Taurinum Italiae* lecta, quae sculptura quidem eadem, qua reliqua, gaudent, sed femoribus posticis, excepto apice, totis nigro-fuscis discrepant, cum femora eadem in feminis majoribus tantum non semper tota rufa, vixque apice nigro tincta inveniantur. Malui tamen subjungere, quam vagis characteribus separare.

14. Chelonus *cylindrus Klug.*

Ch. niger, opacus, pedibus rufis, coxis trochanteribus, femorumque basi nigris, tibiis posticis apice et tarsis fuscis;

metathorace quadridentato; abdomine cylindrico, reticulato-ruguloso, basi utrinque macula lutescenti-hyalina. *Mas.*

(Scutellum confertissime punctulatum, opacum.)

Synon. *Sigalphus cylindrus N. ab E. Berl. Mag. VII, p.* 268. *n.* 25.

Long. lin. 2½. A praecedente, cui primo intuitu similis, his notis praesertim distinguitur:

Ch. oculatus ♂.	Ch. cylindrus ♂.
Staturae paulo brevioris, corpore magis coacto, abdomineque, ratione capitis et thoracis, minus extenso.	*Staturae* gracilioris, abdomine praesertim longiore et magis cylindrico, postica versus vix aliquantum dilatato.
Antennae breviores, apicem versus celeriter decrescentes, trigintatriarticulatae.	*Antennae* longiores, graciliores, setaceae, viginti novem articulis conflatae.
Scutellum apicem versus punctis crassis rudibus impressum, basi saepe laeve.	*Scutellum* punctis subtilibus, crebris impressum, subrugulosum, opacum.
Metathorax punctulato-reticulatus, areis regularibus, confertioribus; truncatus, utrinque unidentatus, opacus.	*Metathorax* reticulato-rugosus, areis laxioribus, minus regularibus, utrinque dente, et duobus in medio declivitatis posticae dorso approximatis, armatus, hinc quadridentatus.
Abdomen basi obsoletissime bicarinatum.	Abdomen carinulis duabus baseos distinctis, e retis rugulis exortis.

A plerisque, quae hinc sequuturae sunt, speciebus pedum colore, aut corporis habitu satis discrepat. *Femina* adhuc latet, qua detecta, rectiora videbimus.

Individuum masculum servat ditissimum museum *Klugianum*, in agro *Berolinensi*, locis graminosis aridis (in der Hasenheide) mense Augusto captum.

15. Chelonus *fenestratus.*

Ch. niger, tibiis rufis, posticis basi apiceque nigris; abdomine ovali, subcylindrico, subtilissime punctulato-rugoso; terebra recondita. *Mas. Fem.*

(Scutellum basi laevissimum, nitidum, punctis sparsis apice impressum.)

Synon. *Sigalphus fenestratus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 269. *n.* 26.

Femina variat:

α. Macula utrinque ad basin abdominis pallida.

β. Maculis utriusque lateris in fasciam subinterruptam confluentibus.

γ. Abdomine concolore; long. lin. 1½.

Specimina bina vidi, a cl. *Klugio* benevole tradita, quae, nisi sculptura subtilissima, vix distinguas.

Mas. *Antennae* sensim attenuatae, gracillimae; *femora* omnia apice, latiusque rufa. Long. lin. 2.

Color hujus speciei minus obscurus, quam in praecedentibus, *Antennae* graciles, septemdecimarticulatae. *Pedes* nigri, femoribus anterioribus apice, tibiisque iisdem totis, rufo-testaceis, mediis extus ad basin annuli nigri vestigio. Femora postica incrassata; tibiae basi nigrae, tum rufae, apice denique nigrae. Tarsi fusci, basi rufescentes. *Alae* obscure hyalinae, nec disco fuscedine tinctae, uti praecedentium.

A pracedente, cui maxime affinis, differt: *statura* minore, graciliore; *scutello* basi laevissimo; *abdomine* densissime punctulato-ruguloso, anum versus nitidulo, sericante; *tibiis* pallide testaceis, nec rufis, posticis basi semper nigris, mediis apice in majoribus individuis paulo obscurioribus, in minimis fuscidulis; *nigredine* corporis laetiore, subnitente.

Captus α. in floribus umbellatis, hortorum Julio et Augusto mensibus prope *Sickershausen.* β. *Berolini*, locis graminosis, mense Augusto (Mus. Klug.); eundem e *Silesia* et *Italia* allatum vidi. Varietatis γ. femina Berolini locis sylvaticis, a clarissimo *Klugio* lecta est.

16. CHELONUS *sulcatus* *Jur.*

Ch. niger, opacus, tibiis anterioribus, posticarum annulo, testaceis; abdomine ovali-subcylindrico, secundum longitudinem rimuloso-striato; terebra recondita, e rima transversali prodeunte. *Mas. Fem.*

(Scutellum rugis longitudinalibus inaequale.)

SYNON. *Chelonus sulcatus Jur. Hymen. p.* 291. *tab.* 12. *Gen.* 41. *Sigalphus sulcatus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 14. *N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 269. *n.* 27.

Long. lin. 1½—3. Corporis statura omnino *Cheloni oculati*, sed fabrica ani et sculptura distinctissima, quae vel in minimis individuis constare videas. Corpus pubescentia tenui vestitum, nigrum, opacum. *Caput* et *thorax* subtilissime confertissimeque punctulata. *Mandibulae*

laete rufae, apice piceae. *Antennae* setaceae, *maris* vigintiquinquearticulatae, feminae vigintitriarticulatae. *Scutellum* secundum longitudinem rugis inaequalibus, satis elevatis, exaratum. *Metathorax* brevis, truncatus, rugosus, utrinque tuberculo acuto valido, et duobus minoribus approximatis dorsi, infra scutellum, in reliquis speciebus minus conspicuis, armatus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, ex ovali subcylindricum, exannulatum, rugis subtilioribus rectiusculis parallelis approximatis pulchre striatum, interstitiis transversaliter rugulosis. Apex in *mare* rotundatus fornicatus, in femina subretusus, rima transversali oblonga, marginibus introflexis, late hians; quod sola in hac specie observatum. Venter concavus. *Pedes* nigri; femoribus crassiusculis, anticis apice rufis. *Tibiae* anteriores totae pallide testeceae; posticae nigrae, annulo lato pallido ultra basin. *Tarsi* antici testacei, extremo apice obscuriore; posteriores pallide fusci, primo articulo testaceo. *Alae* cinerascenti-hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Habitat in *Helvetia* (*Jurine*); *Italia* (*de Sanvitali* et *Spinola*), *Berolini* mas in graminosis inter segetes, femina mense Septembre in humidis lecta sunt. (Mus. Klug.)

17. Chelonus *retusus.*

Ch. niger, opacus, tibiis anterioribus, posticarumque annulo testaceo-piceis; abdomine ovali-subcylindrico, secundum longitudinem rimuloso-substriato, ano retuso; terebra feminae subexserta. *Fem.*

(Scutellum punctulatum, basi laeviusculum.)

Synon. *Sigalphus retusus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 270. *n.* 28.

Long. lin. $1^{3}/_{4}$. Insectum, ob sculpturae subtilitatem haud inelegans, canescenti-nigrum. *Mandibulae* piceae. *Metathorax* rugulosus, subbispinosus, brevis. *Abdomen* capite cum thorace paulo longius. *Terebra* setacea, laevis, ultra vaginam longius exserenda. *Femora* antica apice piceo rufa.

A praecedente specie, qui plurimis quidem congruit, differt haec: *antennis* brevioribus, et ratione corporis tenuioribus, filiformibus, articulis paucioribus, duobusdeviginti scilicet, conflatis; *scutello* laeviusculo; *mandibulis tibiisque* obscuriori rubedine tinctis; *abdominis* striis longitudinalibus minus parallelis, imprimis vero rima ovali in femina plane deficiente, cujus loco *abdomen* apice

evidenter *retusum* terebrae vaginam subclavatam compressam monstrat.

Habitat *Berolini*; e Museo *Klugiano*. Marem non vidi.

18. CHELONUS *Bonellii*.

Ch. niger, opacus, femoribus apice tibiisque rufis, posticis apice nigris; abdomine oblongo, ruguloso-reticulato, maculis duabus fulvis ante apicem. *Mas.*

(Scutellum undique punctulatum.)

SYNON. *Sigalphus Bonellii N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 271. *n.* 29. *tab. VII. fig.* 4.

Long. lin. 2¼. Statura reliquorum hujus sectionis. Nigredo corporis opaca. Superficies capitis thoracisque punctis parvis, nec confertissimis, insculpta, albido-pubescens. *Mandibulae* tenues, elongatae, fuscae, apice rufae. *Palpi* fusco-testacei. *Antennae* setaceae, corpore paulo breviores.

Hypostoma planiusculum, subquadratum, in medio obsolete carinatum; vertex transversus, punctulatus, rugisque solitis arcuatis postice insculptus. *Thorax* structurae solitae, niger, punctulatus; *scutellum* triangulum, acutum, undique, nec dense, punctulatum, margine acuto parum elevato. *Metathorax* brevis, truncatus, utrinque unidentatus, dente nullo dorsali, reticulato-rugosus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, oblongo-subcylindricum, integrum, ruguloso-reticulatum, retis areolis angustis, longitudinalibus basi retusum, nec carinatum, apice rotundatum, ibidemque macula utriusque lateris magna subtrigona, fulvo-ferruginea insigne, qua nota praesertim hicce a *Chelono oculato* differt. Venter concavus. *Pedes* nigri, femoribus omnibus apice tibiisque rufis, posticis nigredine terminatis; tarsis fuscis, basi rufescentibus. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Habitat in *Italia*. Exemplum unicum e Collectione cl. *Bonellii*, Prof. Taur., contigit videre, nec postea occurrit.

19. CHELONUS *pellucens*.

Ch. niger, abdomine basi determinate testaceo-pallido, tibiis rufis, posterioribus apice nigris; terebra recondita. *Mas. Fem.*

(Scutellum dense punctulatum.)

SYNON. *Sigalphus pellucens N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 271. *n.* 30.

Long. lin. 2—2¼. Statura praecedentis. *Antennae* longae, in mare apicem versus sensim attenuatae. *Palpi* picei. *Scutellum* subtilissime denseque punctatum. *Abdomen* subtilius rugulosum, basi (spatio primi segmenti) testaceo-pallidum, qui color ad latera parum extenditur. *Trochanteres* omnes et *femora* anteriora apice, rufo-picea; *tarsi* fusci, antici basi rufescentes. *Alae* ut in praecedente.

Mas captus in sepibus humidis, Julio mense, prope *Sickershausen*; *feminam* in *Museo Klugiano* vidi.

20. Chelonus *Gravenhorstii.*

Ch. niger, abdomine basi determinate albido-pellucido, pedibus totis rufis, posticis nigro-variis, terebra recondita. *Mas. Fem.*

(Scutellum punctis confertis impressum opacum.)

Synon. Sigalphus Gravenhorstii N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 272. *n.* 31. *tab. VIII. fig.* 6.

Femina terebra recta, recondita; *abdomine* latiore, *femoribus* posticis apice supero nigris.

Mas paulo angustiori corpore, *antennis* magis attenuatis, *femoribus* posticis concoloribus.

Habitus reliquorum hujus sectionis. *Caput* fronte retusa, subtilissime concentrice striolata. *Antennae* recte, setaceae, graciles, articulis plurimis, ob extimorum minutiem vix numerandis. Color corporis ater carbonis, opacior. *Thorax* dorso depressiusculus, ante scutellum ruguloso-punctatus, in reliqua superficie subtilissime. *Scutellum* sulculo porcato discretum, punctisque minutis linearibus confertis opacius. *Metathorax* reticulato-rugosus, utrinque unidentatus. *Abdomen* ovale, longitudine capitis et thoracis, subtilissime reticulato-rugulosum; primi segmenti spatio albido-pellucido, linea recta descripto; reliquis segmentis nigris. Anus rotundatus. *Pedes* toti rufi, solis coxis posticis basi; tum femoribus (in femina quidem), margine supero apicis, tibiisque iisdem apice nigris; tarsi fusciduli. *Alae* cinero-hyalinae.

Observatio:

A varietate β. *Cheloni fenestrali* n. 15 satis differt: *antennis* multi-articulatis, nec, ut in illo, septemdecim tantum articulis compositis, pedumque colore. A specie praecedente statura, sculptura, colore primi segmenti abdominis, magnitudine et antennis distinguitur.

Habitat in *Germania*.—Feminam benevole communicavit vir amicissimus *Klug*; *marem Gravenhorstio* nostro debemus.

21. Cnelonus *scaber.*

Ch. niger, nitidulus, tibiis pallide testaceis, posterioribus tarsisque iisdem apice fuscis; abdomine oblongo-obovato, reticulato-ruguloso, scabro; terebra recondita.

(Scutellum undique confertim punctulatum.)

Synon. *Sigalphus scaber N. ab E. Berl. Mag. VII. p. 273. n. 32. Sigalphus scabrator Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 13. Ichneumon scabrator Fabr. Ent. Syst. II. p. 174. n. 167.*

Aegre, fateor, speciei nomine separo individua, quae notis supra allatis inter se conveniunt. Certo enimvero magna est omnibus cum *Chelono oculato* similitudo; eadem fere corporis sculptura, eadem colorum fere distributio. Magnitudinis ratio in genere hoc, si unquam, vaga, et maximis aberrationibus obnoxia.

Distinximus tamen, hisce praecipuis notis confisi, et speciem, sane obscuram dubiisque vexatam, peritiorum judicio relinquimus.

Chelonus scaber, long. lin. 2—2½, statura est magis coacta et breviore, quam *Chelonus oculatus; abdomen* ejus praesertim, ratione reliqui corporis habita, minus in longitudinem extensum, ovale, basin versus leniter decrescens, indeque fere obovatum. Sculptura corporis imprimis capitis thoracisque, crassa, profunda, etiam in minoribus; *scutellum* undique punctatum. *Abdominis* rugae ejusmodi in rete junguntur, cujus areolae basin versus minus elongantur; carinulae prope basin, e rugis duabus arcuatim divergentibus formatae, in *Chelono oculato* nunquam deficientes. huic nostro aut plane desunt, aut saltem obsoletae et breviores occurrunt. Color ater, nitidulus. *Femora* in *mare* et *femina* constanter nigra, nitida, anteriorum solo apice extremo rufescente; *tibiae* pallide testaceae, nec rufae, mediae nunquam non apice obscuriores, utplurimum late fuscae et basi sola depallescentes. *Tarsi* posteriores fusci basi pallidiores ut in reliquis. Abdomen *feminae* saepissime unicolor, nigrum; rarissime puncto pallido laterali ad basin notatum, quo Chelonus oculatus gaudet distinctissimo. *Alae* obscuriores, quam in Chelono oculato, fusco-hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

Mas. Antennis magis attenuatis, *abdomine* semper immaculato, *tibiarum* posteriorum apicibus semper et spatio latiori, nigris.

Femina variat:

α. *Abdomine* punctis duobus lutescentibus prope basin, qualem e Collectione *Brongniardana Parisiensi* coram habuimus; alterum communicavit Vir clarissimus *Klug*.

β. *Abdomine* immaculato, nigro, nitidiusculo, quales apud nos plerique occurrunt.

Secundum specimen ipsum *Hübneri*, a cl. Klugio comparatum et mihi benigne concessum, hic est verus *Ichneumon scabrator* Fabr. Ent. Syst. l. c.

Observatio I.

Individua majora (long. lin. $2\frac{1}{2}$.) mascula tantum vidi, colore atro carbonis prae aliis insignia, quale et ipse mense Majo in horto cepi, et *Gravenhorstius* plane simile deprehendit mense Junio in *Silesia*, haud procul a Vratislavia urbe. Denique e *Gallia* quoque coram fuit. Hisce exemplis, summa inter se similitudine mutua junctis, scutellum basi paulo minus punctatum est, quam individuis minoribus, quae frequentius apud nos occurrunt, minime tamen punctura haec nitorem provocat.

Observatio II.

Terebra feminae, in quiete retracta, valvulas suas, cum emittitur, longe excedit.

Habitat in floribus, *Germaniae*, *Silesiae* (*Gravenhorst*); *Galliae*, *Italiae* (*Bonelli*). Vere et prima aestate.

22. Chelonus *contractus*.

Ch. niger, tibiis anterioribus rufo-piceis; abdomine obovato, subtilissime punctulato-rugoso; terebra recondita; antennis articulis septemdecim. *Fem.*

(Scutellum punctis consertis impressum.)

Synon. *Sigalphus contractus N. ab E. Berl. Mag. VII. p.* 274. *n.* 33.

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Statura omnino praecedentis, a quo praesertim antennarum structura, sculpturaque corporis subtiliore recedit. *Antennae* ratione reliqui corporis validi, septemdecimarticulati, articulis extremis discretis, ovatis Color corporis niger, opacus. Anus rotundatus. *Pedes* nigri, femoribus anterioribus apice, tibiisque iisdem totis rufo-piceis; postici fere toti nigri, tibiis tamen basin versus parum rufescentibus. Tarsi subfusci. *Alae* obscure hyalinae.

Habitat Berolini (*Museum Klugianum*). Marem non vidi.

MONOGRAPHIA

EVANIALIUM EUROPAEARUM.

FAMILIA II.
EVANIALES.

Latr. Gen. Cr. et. Ins. III. p. 249. N. ab E. Nov. Act. Ac. C. L. C. Nat. Cur. IX. p. 300. Gravenh. Ichn. Eur. I. p. 35. — Fallén Nov. Meth. Gravenh. Ichn. Eur. I. p. 61.

Antennae articulis non ultra sedecim, rectae aut fractae. *Alae* areolis brachiali, radiali et cubitalibus distinctis. *Terebrae* vagina bivalvis, exannulata. *Abdomen* metathoraci supero mediove affixum. *Areolae cubitales* una, vel duo, vel tres.

Antennae filiformes, mediae fronti insertae, approximatae, thoracem aequantes vel eo longiores, articulis tredecim vel quatuordecim cylindricis elongatis; secundo in nonnullis valde elongato hinc flagello deflectendo; primo et tertio brevissimis. *Labrum* breve transversale vel subquadratum, parum exsertum. *Mandibulae* tri-vel quadridentatae. *Maxillae* rectae; *mala* bifida; lacinia terminali membranacea rotundata, interiori minuta acuta. *Labium* rectum; *mentum* coriaceum, subcylindricum vel obconicum; *lingua* brevis, membranacea, trifida vel subintegra. *Palpi maxillares* filiformes vel subulati, quinque-vel sexarticulati, longiores; *labiales* quadriarticulati. *Alae: areola radiali* una, magna, subangulata; *areola cubitali* vel solitaria apiceque alae enervi, vel binis, vel ternis; nervo recurrente vel uno, areolae primae inserto, vel binis, singulis primae et secundae areolae junctis, stigmate distincto.

Habitus. Caput transversum; oculis ovatis, lateralibus; stemmatibus tribus, in triangulum dispositis, verticalibus. *Prothorax* angustissimus, thorace humilior eumque arcu lineari-cingens. *Metathorax* in aliis abrupte declivis, in aliis medio pyramidali-ascendente. *Abdomen* vel metathoraci declivi *infra scutellum*, vel *processui* ejus *pyrami-*

dali insertum, compressum, in quibusdam ratione reliqui corporis brevissimum, in aliis elongatum et angustius. *Terebra* subrecondita vel exserti, bivalvis. *Pedes postici* approximati, coxis longis validisque; femoribus plerisque incrassatis; tibiis quibusdam clavatis. *Alae* firmioris texturae, hyalinae. *Corpus* glabrum, vel parum pubescens, nigrum, vel nigro-rufoque varium, pictura indeterminata nubilaque.

Metamorphosis plerorumque incognita. *Fœnorum* proles in apium et sphecum larvis parasitica.

O b s e r v a t i o.

Familiae *Evanialium* verus character non tam in oris et alarum fabrica, quam in *abdominis insertione* quaerendus, cui quidem et alii characteres respondent, tum in oris, tum maxime in alarum structura et textura obvii. Alae in *Evania* genere, nervis deminutis, ad eas *Pteromalinorum* et *Proctotrupinorum* propius accedunt.

S y n o p s i s.

G e n e r u m E v a n i a l i u m.

I. Abdomen metathoracis gibbo pyramidali medio insertum. Gen. I. *Aulacus* Jur.

II. Abdomen metathoraci supero insertum,
  * elongatum Gen. II. *Fœnus* Fabr.
  ** abbreviatum Gen. III. *Evania* Fabr.

G E N U S I.

AULACUS Jur.

Ab *αὖλαξ*, sulcus, ob thoracis sculpturam.

Jur. Hymen p. 89. n. III. tab. 7. Latr. Gen. Crust. et Ins. IV. p. 385. Spin. Ins. Lig. II. Fasc. II. p. 48.

Abdomen elliptico-compressum metathoraci medio producto insertum, capitis thoracisque longitudine. *Areolae cubitales* tres. *Terebra* exserta.

Antennae setaceae. *Mandibulae* interne obtuse bidentatae. *Lingua* integra.

Character naturalis.

Antennae setaceae, inter oculos et clypei basin insertae, porrectae, capite thoraceque paulo longiores, graci-

les; articulis tredecim in *masculis*, quatuordecim in *feminis*; his et illis articulo primo brevi, crassiore, ovato-obconico, antice convexo; reliquis cylindricis; secundo antecedente paulo breviore; tertio et sequentibus gradatim longioribus; apicalibus his brevioribus. *Mandibulae* (*masculi*) corneae, breves, crassiusculae, latere interno tridentato; dente apicali acutiore, paulo longiore; inferis duobus obtusis. *Palpi maxillares* labialibus multo longiores, setacei, tenues, articulis sex; primo minimo; secundo et tertio reliquis crassioribus, subaequelongis; *illo* obconico, *hoc* sive tertio cylindrico; tribus ultimis longioribus, gracilioribus, subaequelongis, cylindricis; terminali paulo tenuiore. *Palpi labiales* filiformes, articulis quatuor; duobus inferis majoribus, obconicis; basilari paulo longiore; secundo ad angulum externum apicis paulum producto; tertio reliquis minore, turbinato; terminali, sive quarto, praecedente paulo majore, subtrigono et sursum producto, inde subsecuriformi. *Maxillae stipite* extus coriaceo, brevi; *mala* membranacea, in modum trianguli obversi, sursum latioris et arcuati, dilatata e laciniis duabus conniventibus subaequalibus formata; externa ad apicem colorata seu nigricante. *Lingua* membranacea, parva subcuculliformis, ad apicem rotundata et integra; lateribus indivisis, illorum laciniis saltem minimis et non discernendis. *Mentum* parvum, coriaceum, obtrigonum aut obconicum, utrinque membrana labiali auctum. *Alae stigmate* crasso, magno; *areola radiali* magna, perfecta, elongata, apicem attingente; *areolis cubitalibus* tribus; duabus anterioribus perfectis; secunda minore; tertia imperfecta, magna, ad marginem posticum sensim dilatata et illum attingente; tribus *areolis discoidalibus* et perfectis; areola apicali-media distincta, terminante.

Habitus. Caput subglobosum, paulo latius quam longius, collo conico, elongato, affixum. *Thorax* compressus, rugosus, dorso elevato; medio segmentis postici *metathoracis* elevato seu adscendente; hoc segmento inde pyramidato. *Abdomen* apici summo pyramidis illius impositum, capitis thoracisque longitudine, compresso-subellipticum, sensim antice in petiolum elongatum attenuatum, segmentis sex, anali non computato; primo valde elongato, antice multum et gradatim attenuato. *Terebra feminae* corporis fere longitudine, e medio ventre enascens, vagina bivalvi. *Pedes* mediocres, tenues; postici

coxis magnis, approximatis. Habitus nonnullorum Ichneumonidum genuinorum.

SECTIO I.

Areola cubitali prima primum, secunda secundum nervum recurrentem excipientibus.

1. Aulacus *striatus Jur.*

A. niger, pedibus abdomineque rufis, petiolo nigro, alis immaculatis. *Fem.*

Synon. Aulacus striatus Jur. Hymen, p. 90. *tab.* 7.

Long. lin. $3^1/_4$. *Caput* thorace paulo angustius, convexum, laeve, cum antennis nigrum. *Thorax* ovatus, dorso transversim sulcatus, sulcis arcuatis. *Scutellum* semicirculare, punctulatum. *Metathoracis* processus obtuse conicus, punctulatus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, oblongum, laeve, rufum; petiolo crassiusculo, secundo segmento vix longiore, nigro. *Terebra* recta, corporis fere longitudine. *Pedes* graciles, toti rufi, solis coxis posticis nigris. *Alae* hyalinae, immaculatae, nervis et stigmate fuscis.

Habitat in Helvetiae montosis. (Jur.)

Mas hucusque latet.

2. Aulacus *Latreilleanus.*

A. ater, abdomine medio pedibusque rufis, femoribusque omnibus tibiisque posticis fuscis, alis macula fusca. *Fem.*

Synon. Aulacus striatus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 386. (*excl. Synon. Jurin.*)

Long. lin. $5^1/_4$. Differt a praecedente: *magnitudine* fere dupla, *thorace* antice declivi, nec producto, reticulato-rugoso, nec transversim sulcato, *colorum* distributione et *alarum* macula. *Caput* latitudine thoracis, convexum, laeve, *os, antennae* et *thorax* atra. *Metathorax* punctato-rugosus, ater. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, lanceolatum, compressum, laevissimum, nigrum; segmento petiolari secundo segmento longiori, gracili apice, secundo segmento toto, tertio basi rufis. *Terebra* gracilis, longitudine corporis, apice uncinatim decurva, nigra, setapicea. *Coxae, trochanteres,* et *unguiculi* nigra; *femora* nigro-fusca, antica basi et apice rufa; *tibiae* an-

anteriores rufae, posticae fuscae, basi et apice rufae. *Alae* hyalinae, nervis, stigmate, et macula, a stigmate descendente fasciamque abbreviatam constituente fuscis.

Individua duo cepi mense Julio a. 1810 prope *Sickershausen*, tempore vespertino, unum sub foliis Syringae vulgaris, alterum in sepe. In pinetis Vasconiae degere Dufourii fide refert cl. *Latreille*. Mas latet.

3. Aulacus *flagellatus* Dahl.

A. ater, abdomine medio pedibusque rufis, coxis, trochanteribus tibiisque posticis nigris, alis macula apiceque fuscis. Fem.

Praecedenti simillimus, et fortassis varietas. *Magnitudo* eadem. *Thoracis* sculptura ut in illo, eadem *terebrae* longitudo; sed femora rufa; tarsi flavicantes.

Abdominis primum segmentum apice late rufum; secundum rufum fascia postica indeterminata nigra; tertium basi parum rufescens, margine, ut reliqua, parum piceo.

Unum individuum, *Viennae* in sepibus captum, misit *Dahlius*.

SECTIO II.

Areola cubitali secunda binos nervos recurrentes excipiente.

4. Aulacus *compressus* Spin.

A. niger, abdomine medio rufo, alis immaculatis. Mas.

Synon. *Aulacus compressus* Spin. *Ins. Lig. II. Fasc. II. p.* 48. *n.* XXXIX.

Long. lin. 8. Lat. lin. 1. *Antennae* nigrae, setaceae, tredecimarticulatae. *Caput* nigrum, *mandibulis* tridentatis. *Thorax* niger, supra transverse striatus (ut in *Aulaco striato* Jur.). *Metathorax* postice elevatus, acuminatus. *Abdomen* metathoracis apici insertum, lateraliter compressum, subclavatum; segmento primo longiori, petiolari, basi nigro, apice rufo; secundo toto rufo; tertio basi rufo, margine postico nigro; reliquis nigris. Genitalia conspicua. *Pedes* nigri, tibiis tarsisque anticis piceis. *Alae* hyalinae, puncto nervisque nigris. Areola cubitalis secunda nervos duos recurrentes excipit.

Marem unum sub foliis Coryli Colurnae in montibus *Orerii* cepit cl. *Spinola*, quo auctore hanc speciem, a nobis non visam, introduximus.

Femina ignota.

Adnot. Cl. *Latreille* (Gen. Cr. et Ins. IV. p. 387). *Aulaci compressi* exemplum se ab ipso cl. *Spinola* accepisse refert, idque alarum reticulatione cum *Aulaco striato* omnino congruum, quo commotus Aulacum compressum Spin. marem esse *Aulaci* sui *striati* (*Aulaci Latreilleani*), suspicatur l. c. Nostrum non est, has lites dirimere, cum Aulacum compressum Spin. videre non contigerit; forsan duarum hic commiscentur specierum individua. Sed quoniam Spinola, vir acutissimus, *Aulaco compresso* disertis verbis tribuit „nervos recurrentes duos *mediam areolam cubitalem* petentes," et „alas immaculatas" (hyalinas) esse perhibet, donec res accuratius illustretur, speciei propriae esse hunc Aulacum, a cl. Spinola inventum, non dubitamus.

GENUS II.
FOENUS Fabr.

Nomen Fabricianum, pro more viri fictum, absque sensu.

Latr. Gen. Cr. et Ins. III. p. 252. *n. CCCCXXXVI. Jur. Hymen. p.* 86. *n. II. tab.* 7. *Penz. Kr. Rev. p.* 90. *Fallén Nov. Meth. Gravenh. Ichn. Eur. I. p.* 62. *Fabr. Ichneumon Lin. Geoffr. De Geer. Fabr. Rossi. Gasteruption Latr. Précis des Char. gen. des Ins. p.* 113.

Abdomen lineari-falcatum, metathoraci supero insertum, capite cum thorace longius. *Areolae cubitales* duae. *Terebra* exserta.

Antennae breves, filiformes. *Mandibulae* (feminae) tridentatae, dente inferiore multo majore adunco. *Lingua* complicata, subemarginata.

Character naturalis.

Antennae corpore breviores, rectae; articulis tredecim in masculis, quatuordecim in feminis. *Labrum* longitudinale, lineare. *Mandibulae* feminae dentibus tribus; inferiore validiore, longe producto; intermedio aut subapicali minimo. *Palpi* filiformes, articulis brevibus, subobconicis, subaequalibus; *maxillares* paulo longiores, maxillis breviores, et apicem illarum ultra paulo progressi, sexarticulati;

articulis tribus ultimis vix longioribus; *labiales* quadriarticulati. Lingua elongato-cordata, in quiete duplicata, margine supero latiore, integro aut vix emarginato. *Mentum* subobconicum, apice supero arcuatim rotundato integro.

Habitus. Caput subovatum, pone oculos paulo rotundato-productum; collo elongato; juguli ambitu marginato. *Thorax* compressus, angustus. *Abdomen* elongato-conicum, clavatum, a basi ad apicem gradatim latius, compressum, gracile; segmentis septem distinctis. *Terebra* exserta in nonnullis elongata. *Pedes* postici coxis elongato-conicis; tibiis clavatis; tarsi antici articulo primo velum in sinu excipiente et abscondente. *Alae* superae *areola radiali* unica, maxima, angulum externum subattingente, subovali; *areolis cubitalibus* duabus, magnis, ultima aperta terminante; *areolis mediis* tribus; externa et interna minimis, infera maxima, aperta, terminante.

1. Foenus *jaculator Fabr.*

F. niger, abdomine medio rufo, tibiis tarsisque posticis basi albis; terebra longitudine corporis. *Mas. Fem.*

Synon. *Fœnus jaculator Fabr. Ent. Syst. suppl. p.* 240. *n.* 1. *S. Piez. p.* 141. *n.* 1. *Panz. Faun. Germ. XCVI.* 16 (*fem.*) *Krit. Rev. p.* 90. *Latr. Gen. Cr. et Ins. III. p.* 253. *Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. p.* 194. *tab.* 100. *fig.* 4 (*fem.*) *Jur. Hymen. p.* 88. *tab.* 7 (*fem.*)

Ichneumon jaculator Fabr S. Ent. p. 73. *Ent. Syst. II. p.* 177. *n.* 183. *Linn. Syst. Nat. I.* 2. *n.* 92. 2. *p.* 937. *n.* 52. *Faun. Suec. n.* 1626. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 173. *n.* 117. *Rossi Faun. Etr. ed. Ill. II. p.* 74. *n.* 781.

Ichneumon totus niger, tibiis posticis clavatis, abdomine longo tenui falcato. Geoffr. Ins. Par. II. p. 328. *n.* 16 (*mas.*)

De Geer. I, IV. p. 25. *tab. XXXVI. fig.* 10. *Réaum. Ins. I. tab. XXXVI. fig.* 10. *Mouff. Ins. tab.* 121. *Rai Ins. p.* 253. *n.* 5. *Müll. Faun. Fridrichsd. p.* 71.

Der Pfeilträger. Müll. Lin. Natursyst. V. 2. *p.* 856. *n.* 52. *Füesl. Schweiz. Ins. p.* 49. *n.* 963.

Corporis structura in charactere naturali est exposita. Femina, terebra computata, 12 — 13, lineas longa. *Antennae* rectae, porrectae, longitudine capitis et thoracis. *Caput* nigrum, subtilissime punctulatum; orbita antica et

genis argenteo-sericantibus. *Collum* angustum, conicum. *Thorax* compressus, convexiusculus, *prothorace* truncato, *metathorace* declivi, *pleuris* planis, totus niger punctulatus, pleuris argenteo-sericeis. *Abdomen* capite cum thorace plus duplo et fere triplo longius, a basi ad apicem verticali latitudine crescens, ano truncato, petiolo praelongo, apice et subtus tractu obliquo rufo; secundo et tertio segmento rufis, dorso vel toto nigro; vel macula tantum transversali nigra versus basin notato, secundo in nonnullis toto rufo; reliquis segmentis nigris. *Terebra* longitudine corporis vel paulo longior, gracilis; valvulis nigris apice albis, seta picea. *Pedes* nigri, sed femora antica apice rufa; *tibiae* anticae rufae, medio fuscae, mediae nigrae, basi rufae, posticae clavatae, nigrae, basi albae, *tarsi* fusci, posticorum primo articulo albo. *Alae* hyalinae, nervis fuscis, stigmate ferrugineo.

Mas femina paulo minor, differt, praeter terebrae defectum, *abdomine* toto obscuro, segmentis quinque anterioribus solo margine postico vel ad latera saltem rufis.

Per totam *Europam* non infrequens, Julio, Augusto et Septembre mensibus, in floribus invenitur. Volat arecto abdomine.

Metamorphosis in *Megachiles florisomnis* Klug., *Heriadis truncorum* Spin, *Tripoxylonis Figuli* Fabr. laevis. „Antennis perquirit, ubi Sphex (Tripoxylon) Figulus in pariete habitat, observato eo avolat reditque et ovum ei imponit.“ Lin. T. Bergmanno referente.

2. Foenus *affectator Fabr.* *)

F. niger, vel fusco rufus, abdomine latere rufo-maculato, tibiis posticis basi rufis; terebra abdomine quatruplo breviore. *Mas. Fem.*

Synon. *Foenus affectator Fabr. Ent. Syst. suppl. p.* 240. *n.* 2. *Syst. Piez. p.* 142. *n.* 2.

Ichneumon affectator Fabr. Syst. Ent. p. 93. *Ent. Syst. II. p.* 178. *n.* 184. *Lin. S. N. II. p.* 937. *n.* 35. *Faun. Suec. n.* 1627. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 174. *n.* 118. *Scop. Carn. n.* 756. *Rossi Faun. Etr. ed. III. II. p.* 74. *n.* 782.

Ichneumon niger, tibiis posticis clavatis, abdomine tenui falcato, circa medium fulvo. Geoffr. Ins. Paris. II. p. 329. *n.* 17.

---

*) Nonne potius „*assectator*“ scribendum, cum Linneus jaculatorem et assectatorem in his sibi adjungere voluisse videatur.

Femina circiter 6—7 lineas longa. Structura corporis omnino praecedentis, color plerumque niger. *Hypostoma* argenteo-sericeum. *Abdominis* segmentum, secundum, tertium et quartum margine postico laterali majori vel minori spatio rufa, reliqua nigra. *Terebra* recta, longitudine quatuor ultimorum segmentorum abdominis. *Coxae* nigrae. *Trochanteres* nigri, apice piceae. *Femora* nigra; anteriora basi picea. *Tibiae* fuscae, basi, posticae et subtus, rufescentes. *Tarsi* fusci. *Alae* hyalinae, nervis fuscis, stigmate ferrugineo.

Mas femina vix minor, *abdominis* segmento secundo tertio et quarto in margine laterali sola *macula* rufo-picea notatis, *ano* angustiori, *tibiis* posticis subconcoloribus differt.

Habitat cum praecedente, eodemque fere frequentior, per omnem *Europam*, eodemque tempore.

Metamorphosis latet.

Varietas:

β. *Metathorace* et *pleuris* rufis, *capite* quoque in aliis sanguineo-rubris, *vertice* nigro, *tibiis tarsis*que rufis, aut rufo-piceis. *Fem.*

Cepi prope *Sickershausen* mense Julio 1809 et 1810 tria individua hujus varietatis, quae praeter colorem reliquis hujus speciei simillima sunt. *Mares* ejusmodi nunquam vidi.

GENUS III.
EVANIA Latr.

Nomen a Fabricio inventum.

Latr. Gen. Cr et Ins. III. p. 250. *n. CCCCXXXV. Jur. Hymen. p.* 84. *n. I. tab.* 7. *Panz. Krit. Rev. p.* 105. *Spin. Lam. Oliv. Fallén. Evaniae specc. Fabr. Ichneumon De Geer. Sphex Lin. Vill.*

Abdomen triangulare, compressum, metathoraci supero insertum, capite cum thorace brevius. *Areola cubitalis* una. *Terebra* recondita.

Antennae filiformes, fractae. *Mandibulae* latae, interne acute tridentatae, vel (in speciebus exoticis) unidentatae, dente emarginato. *Lingua* tridentata.

Character naturalis.

Antennae corporis fere longitudine, in utroque sexu tredecimarticulatae, in feminis fractae aut saltem genicula-

tae, articulo basilari his valde elongato. *Labrum* non longius quam latius, subquadratum. *Mandibulae* trigonae, dentibus internis tribus brevibus, subaequalibus, acutis, aut unico, truncato et subemarginato, apicali manifeste minoribus. *Palpi maxillares* labialibus et maxillis multo longiores, setacei, sexarticulati, articulis inaequalibus; tribus ultimis perspicue gracilioribus, elongato-subcylindricis; basilari secundo multo breviore aut obsoleto. *Palpi labiales* articulis inaequalibus; penultimo intrinsecus dilatato; terminali elongato, cylindrico, ad apicem acutiusculo. *Lingua* brevis, latior quam longior, in nonnullis saltem distincte trifida; laciniis lateralibus parvis dentiformibus, intermedia majore emarginata. *Mentum* linguam infra vaginans, subcordatum aut breviter conicum (subtrigonum); facie antica subplana, apice emarginato.

Habitus. Caput transversum, collo notabili nullo. *Metathorax* postice abrupte declivis. *Abdomen* brevissimum, abrupte petiolatum, compressum, segmentis tribus aut quatuor, in *masculis* suborbiculatum aut subovatum, in *feminis* trigonum, postice truncatum; ano acuto. *Terebra* non exserta. *Pedes* elongati; tibiae anticae velo soluto, non abscondendo. *Alae* superae in individuis majoribus nervis costalibus baseos inter se dissitis; *areola radiali* unica, magna, apice retusa aut abrupte terminata, alae apicem non attingente; *areolis cubitalibus* duabus; *areolis mediis duabus* aut *tribus.*

1. Evania *fuscipes Ill.*

E. antennarum articulo tertio longitudine capitis, nigra, antennis, tibiis anterioribus tarsisque omnibus rufo-piceis; abdominis petiolo rimuloso; alarum nervis distinctis. *Mas. Fem.*

Synon. *Evania fuscipes Ill. in Ross. Faun. Etr. II. p.* 83. *n.* 798. *II.*

Evania appendigaster Latr. Gen. Cr. et Ins. III. p. 252. *Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 193. *tab.* 101. *fig. I. Panz. Faun. Ins. Germ.* LXXII. 12. *Krit. Rev. p.* 105. *Jur. Hymen. p.* 85. *tab.* 7. *Spin. Ins. Lig. Fasc. I. p.* 65. *Ross. Faun. Etr. l. c.*

Long. 4—5 lin. *Antennae* longitudine corporis, ferrugineae; secundo articulo pateraeformi; tertio elongato, multo longiore, crassiusculo, subincurvo. *Caput* thoracis latitudine, vertice angusto, nigrum, punctulatum, fronte

hypostomateque argenteo-sericeis. *Mandibulae* latae, piceae, introrsum acute tridentatae. *Palpi* pallidi. *Prothorax* angustus, humilis. *Thorax* elevatus, dense punctatus, niger; pectore argenteo-sericeus. *Metathorax* declivis, rugosus, argenteo-sericeus. *Abdomen* vix thoracis longitudine, atrum, laeve; petiolo longitudine tertiae partis abdominis, tereti, rugosulo. *Terebra* non exserta. *Pedes* anteriores posticis duplo breviores. *Coxae* et *trochanteres* nigra. *Femora* subincrassata, nigro-fusca, apice picea. *Tibiae* anteriores piceae, basi rufae; posticae obscuriores, sed basi tamen saepe rufescentes. *Tarsi* omnes rufi. *Alae* longitudine corporis, hyalinae, nervis et stigmate distinctis fuscis.

Mas femina paulo minor, caeterum ei simillimus.

Habitat in *Europa australi*, v. c. in *Gallia*, *Hispania*, *Italia*. Vidi exempla Italica, a cl. *de Sanvitali* missa.

2. EVANIA *appendigaster Ill.*

E. antennarum articulo tertio capite longiore, tota nigra; petiolo abdominis laevi; alarum nervis distinctis. *)

---

*) *Evania laevigata* Oliv. antennarum articulo tertio longitudine capitis, tota nigra; petiolo abdominis laevi; terebra exserta brevi, alarum nervis distinctis, differt a praecedente: *Mandibulis* interne truncato-unidentatis; *palpis maxillaribus* quinquearticulatis, articulo primo obsoleto; *labialium* articulo penultimo valde dilatato; *mento* inferne et ex utroque latere valde dilatato, superne parum coarctato; *antennis* apicem versus subincrassatis; *thorace* planiusculo, parum punctato, lineis duabus profunde impresso; *metathorace* rugoso-reticulato utrinque profunde unisulcato; *abdomine* (feminae) majore, oblique truncato, *terebra* brevi adscendente munito; *alarum* areola radiali trigona, *cubitalium* prima distincta, secunda effusa; areolis discoidalibus tribus, posteriori effusa.

SYNON. *Evania laevigata Latr. Gen. Cr. et Ins. III. p.* 251. *n.* 1. *Ill. in Ross. Faun. Etr. II. p.* 83. *nota ad Ev. appendigasterem.*

Evanie lisse Oliv. Enc. Meth. VI. p. 453.

Evania appendigaster Fabr. S. Ent. p. 345. *n.* 1. *Ent. Syst. II. p.* 192. *n.* 1. *S. Piez. p.* 178, 1 (*ex parte.*) *Rœm. Gen. Ins. tab.* 35. *fig.* 7.

Der Hangkörper. Mull. Lin. N. 5. *V.* 2. *p.* 867. *n.* 12. *tab.* 26. *fig.* 6.

Die schwarze Schlupfwespe mit kurzem flachem abgestutztem, und oben am Brustschild mit einem langen Faden anhangendem Hinterleibe und sehr langen Hinterfüſsen. De Geer. Ins. III. p. 385. *tab.* 30. *fig.* 14.

Reaum. Ins. VI. tab. 31. *fig.* 13.

Appendigaster Browne Jam. p. 439. *tab.* 44. *fig.* 6.

Habitat in India occidentali.

Synon. *Evania apendigaster Ill. in. Ross. Faun. Etr. II. p.* 83. *n.* 798. *I. Fabr. Ent. Syst. II. p* 192. 1. *S. Piez. p.* 178. 1. (*excl. Syn. ad Evaniam laevigatam Oliv. pertinentibus.*)

Sphex appendigaster Lin. S. N. I. 2. *p.* 943. *n.* 12. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 121. *n.* 5. *tab.* 8. *fig.* 1. *Oliv. Enc. VI. p.* 453. *n.* 1.

Reaum. Ins. VI. tab. 31. *fig.* 13.

Differt a praecedente: *antennarum* articulo tertio longiore, *antennis pedibus*que nigris, *abdominis* petiolo laevi.

Habitat in *Europa australi.* (*Lin. Fabr. Vill. Ill.*)

3. Evania *minuta Fabr.*

E. antennarum articulo tertio brevi, atra, tibiis tarsisque anterioribus piceis; alarum nervis indistinctis. *Mas.*

Synon. *Evania minuta Fabr. Ent. Syst. II. p.* 194. *n.* 5. *S. Piez. p.* 178. *n.* 4. *Latr. Gen. Cr. et Ins. III. p.* 252. *Jur. Hymen. p.* 85. *Coqueb. Illust. icon. Ins. Dec. I. tab.* 4. *fig.* 9.

Long. lin. 1½—2. Statura praecedentis. *Antennae* longitudine capitis et thoracis, filiformes, recurvae; articulo tertio secundoque subaequalibus, parum elongatis, una cum radicula piceis; reliquis omnibus brevibus, subaequalibus, nigris. *Mandibulae* piceae, introrsum tridentatae. *Caput et thorax* atra, subtilissime punctulata, nitidula, vix usquam sericantia. *Thorax* ovatus, ratione corporis brevior. *Metathorax* convexus, punctulatus. *Abdomen* longitudine fere capitis et thoracis, compresso-suborbiculare, atrum laevissimum, nitidum; petiolo tereti, fere longitudine reliqui abdominis. *Pedes* subaequales, postici tamen paulo longiores; *coxae*, *trochanteres* et *femora* nigra, *femora antica* apice, *tibiae* et *tarsi anteriores* rufo-picea, sed tibiae, quae subclavatae, apice obscuriores. *Alae* corpore paulo breviores, albo-hyalinae, nervis indistinctis, stigmate parvo pallide-ferrugineo.

Habitat, rara tamen, in *Gallia*, circa *Parisios* (*Latr. Bosc. Fabr.*); in *Liguria* (*Spin.* in litt.); *Germania.* Unum individuum ipse mense Julio 1810 in Juniperetis montosis calcareis prope *Muggendorf* sub lapide deprehendi. *Femina* mihi ignota.

INDEX.

Verba litteris majusculis impressa genera indicant aut gradus systematis ampliores. Specierum, in textu expositarum, nomina typis communibus (antiquis) excusa sunt; synonyma autem litteris obliquis sive italicis.

pag.

AGATHIS Latr. . . . 126
breviseta . . . 131
deflagrator . . . 139
glaucoptera . . 128
inculcator . . . 138
malvacearum Latr. . 137
nigra 128
purgator . . . 141
rufipalpis . . . 129
syngenesiae . . . 133
tibialis 132
umbellatarum . . 133
ALYSIA Latr. . . . 237
abdominator . . 245
affinis 261
ampliator . . . 258
annulata . . . 256
aptera . . . 264
areolaris . . . 262
bicolor . . . 247
brevicornis . . . 249
castanea . . . 250
cingulata . . . 241
cingulator . . . 259
concolor . . . 254
diremta . . . 262
distracta . . . 255
exserens . . . 262
fuscipes 254
gracilicornis . . 247
gracilis 257
incongrua . . . 244
limnicola . . . 261
mandibulator . . 242
manducator Latr. . . 239
minuta . . . 251
navicularis . . . 257
petiolata . . . 256
pumila 251
pumilio . . . 244
pusilla 252
ruficeps . . . 246
ruficornis . . . 248
rufidens . . . 241
rufipes 260
rufiventris . . . 253
senilis 260
similis 240
tabida 252
testacea . . . 246
triangulator . . . 244
tristis 258
truncator . . . 240. 243
APHIDIUS 15
brevicornis . . . 17
constrictus . . . 20
diminuens . . . 22
dissolutus . . . 23
enervis 26
exoletus 25
infirmus . . . 18
melanocephalus . . 21
parcicornis . . . 16
picipes . . . 18
planistipes . . . 20
resolutus . . . 24
restrictus . . . 22
Rosarum . . . 19
varius 21
AULACUS Jur. . . . 302
compressus Sp. . . 305
flagellatus Dahl. . 305
Latreilleanus . . . 304
striatus Jur. . . 304
striatus Latr. . . . 304
Bassus abdominator . 245

	pag.
Bassus affinis	261
apterus	264
areolaris	262
bicolor	247
brevicornis	249
calculator	144
concolor	254
deprimator Pz.	164
gloriatorius Pz.	145
gracilicornis	247
limnicola	261
mandibulator	242
manducator Pz.	239
minutus	251
navicularis	257
praerogator Fabr.	219
pumilio	244
pusillus	253
ruficeps	246
rufipes	260
rufiventris	253
senilis	260
similis	240
testaceus Fabr.	218
testaceus N. ab E.	246
triangulator	244
truncator	243
Blacus	189
angulator	193
discolor	192
emacerator	193
errans	190
humilis	191
longipennis	190
Bracon Fabr.	46
abbreviator	75
abdominator	42
absscissor	75
albipennis	69
analis	63
anthracinus	81
apiculator	56
appellator	108
areolaris	263
ater	59
atrator	82
atro-rufus	103
assimilis	210
bicolor Sp.	214
bifasciatus Sp.	215
caesus	51
Capito	64
carbonarius	58

	pag.
Bracon castrator Fabr.	114
caudiger	77. 103
chlorophthalmus Sp.	202
ciliatus	57
cinctellus	40
circulator	54
clavatus N. ab E.	12
collaris Sp.	205
conjungens	33
constrictus	20
contractor	124
coxalis	209
decrescens	220
deflagrator Sp.	139
delusor Sp.	68
delusor Var. β. N. ab E.	69
denigrator	101
denigrator Pz.	95
deplanator	112
desertor Fabr.	125
dimidiatus	108
dimidiatus Sp.	214
dispar	63
dissimilis	65
dissolutus	23
diversicornis	49
ebeninus	67
ephippium	65
exhilarator	83
exilis	191
exoletus	25
exsertor	207
extricator	96
fasciator	90
filator	64
flavator Fabr.	98
flavator Sp.	98
flavator Var. β. N. ab E.	101
flavicornis	66
flavipes	72
fulvipes	74
fuscatus	106
fuscipes	50
gagates	67
gasterator Sp.	211
gasterator Jur.	212
guttator Pz.	78. 88
ictericus	37
immutator	76
impostor	93
infirmus	19
initiator Fabr.	101
inscriptor	110

pag.
Bracon intercessor . 71
laminator Fabr. . . 93
lanceolator . . 92
leucogaster Ziegl. . 98
linearis . . . 200
longicornis . . 261. 261
lucidator . . . 50
luteator Sp. . . . 117
marginator . . 205
mediator . . . 69
melanocephalus . . 21
melanoscelus . . . 62
minutator Fabr. . 70
minutator Sp. . 77. 81
moniliatus . . . 154
mundator . . . 112
mutuator . . . 221
nigripedator . . . 116
nitidulator . . . 56
nobilis 61
nominator Fabr. . 109
nominator N. ab E. . 108
obfuscatus . . . 37
obliteratus . . . 104
obscurator . . . 83
obscurator Sanv. . . 97
ochropus . . . 72
orbiculator . . . 55
orbiculator N. ab E. ♂ 54
orbitator . . . 91
osculator . . . 84
osculator . 72. 84. 88 bis.
ovator 53
pallidator . . . 120
pallidus . . . 35
pallipes 203
petiolatus Sp. . . 13
picipes 18
plagiator . . . 16
praerogator . . . 219
protuberans . . 121
pumilio 90
punctulator . . 87
purgator Fabr. . . 141
pygmaeator . . 52
rimulator . . . 86
rostrator Sp. . . 118
rubens 36
rubidus Sp. . . 14
ruficornis . . . 49
rugulosus . . . 211
rutilus 31
serrator Fabr. . . 8
Bracon *signatus* . . 210
singulator . . . 60
sinuatus . . . 120
striatellus . . . 107
tentator . . . 111
terminatus . . . 30
terrefactor Ross. . 122
testaceus Sp. . . 215
thoracicus Sp. . . 204
triangularis . . . 81
umbraculator . . 115
unicinctus Sp. . . 208
urinator Fabr. . . 118
variator 77
variator 72. 74. 81. 82 bis. 86. 88
variegator Sp. . . 89
xanthogaster . . 74
Cardiochiles . . . 221
saltator . . . 224
Chelonus Jur. . . . 275
alternipes . . . 276
annularis . . . 286
annulatus . . . 288
cylindrus . . . 291
dentator . . . 279
dentatus Pz. . . . 279
elegans . . . 287
fenestratus . . . 292
inanitus . . . 289
irrorator . . . 276
Klugii . . . 285
mutabilis . . . 290
oculator Jur. . . 289
oculator Pz. . . . 291
oculatus . . . 290
planifrons . . . 281
rufipes . . . 283
similis . . . 284
Ceropales sessilis . . 185
Coelinius 9
niger 10
parvulus . . . 9
Cryptus alvearius Fabr. 175. 215
Aphidum Fabr. . . 22
clavatus Pz. . . . 12
globatus Fabr. . 164. 176
glomeratus Fabr. . 162
irrorator Fabr. . . 276
manducator Fabr. . . 239
mutillarius Fabr. . . 12
ruspator Fabr. . . 230
Cynips inanita Lin. . . 289
Diplolepis subcutanea Fabr. 185

pag.
EVANIALES 301
EVANIA Latr. 309
appendigaster Ill. . 311
appendigaster Fabr. . 311
appendigaster Latr. . 310
fuscipes Ill. . . . 310
laevigata Ol. . . . 311
minuta Fabr. . . 312
sessilis Fabr. . . 185
Evanie lisse . . . 311
EUBADIZON 233
coxalis 235
macrocephalus . . 234
pallipes 235
pectoralis . . . 236
trigonus . . . 236
Eubazus macrocephalus . 234
pallipes 235
FOENUS Fabr. . . 306
affectator . . . 308
jaculator . . . 307
HELCON 224
aequator . . . 229
angustator . . . 228
annulicornis . . 231
carinator . . . 227
dentator . . . 231
ruspator . . . 230
tardator . . . 228
HORMIUS 152
dimidiatus . . . 155
moniliatus . . . 153
rubiginosus . . . 156
HYBRIZON Fallén . . 27
latebricola . . . 28
Ichneumon affectator Lin. . 308
adulterator Vill. . 228. 231
alvearius Fabr. . . 173
Aphidum Lin. . . 22
Aphidum Pz. . . 21
apicarius Vill. . . 128
à ventre couleur de cerise Geoffr. . . . 82
ater, alis extremo fuscis Geoffr. . . . 276
Atomos Ross. . . . 289
auriculatus Fabr. . . 172
calculator Fabr. . . 144
castrator Fabr. . . 114
circulator Gr. . . 9
couronné Latr. . . 8
cuniculator Ross. . 111. 114
cuspidator Ross. . . 119
pag.
Ichneumon denigrator Fabr. 95
denigrator Lin. . . 101
deprimator Fabr. . . 164
desertor Christ. . . 123
desertor Fabr. . . 125
desertor Lin. . . . 139
exarator Lin.? . . 12
flavator Fabr. . . 98
glomeratus Lin.? . . 179
gregarius Schrank . 170
guttator Pz. . . . 78
immaturus Gravenh. . 12
impostor Sc. . . . 94
incertus Christ. . . 96
inculcator Lin. . . 139
irrorator Fabr. . . 276
jaculator Lin. . . 307
laminator Fabr. . . 93
manducator Pz. . . 239
mensurator Vill. . 210
minutator Fabr. . . 70
mystacatus Schrank . 12
niger, antennis filiformibus, pedibus luteis, abdomine subtus virescente De G. 161
niger, pedibus abdomineque ferrugineis Geoffr. . 139
niger, pedibus ferrugineis, femoribus posticis crassis, denticulo armatis, Geoffr. 230
niger, tibiis posticis clavatis, abdomine tenui falcato etc. Geoffr. . . 308
nominator Fabr. . . 109
nonagesimus Schaeff. . 101
oculator Pz. . . . 291
oculator Ross. . . 289
Panzeri Jur. . . . 137
parasiticus erucarum minimus 162
pictor Vill. . . . 139
praerogator Lin. . . 219
pteromelas Vill. . . 128
purgator Fabr. . . 141
rubidus Ross. . . 14
rufipedator Ziegl. . . 215
ruspator Lin. . . 230
saltator Fabr. . . 224
scabrator Fabr. . . 297
serico conglobato albo Geoffr. 161
serico conglobato flavo Geoffr. . . . 162
serrator Fabr. . . 8

	pag.
Ichneumon sextus Schaeff.	125
sordipes Ziegl.	167
subcutaneus Lin.	185
tentator Ross.	111
terrefactor Vill.	123
testaceus Fabr.	218
totus niger, tibiis posticis clavatis etc. Geoffr.	307
urinator Fabr.	118
vittatus Vill.	117
Ichneumonides adsciti	2
alysioidei	197
Braconoidei	5
Ichneutes	156
reunitor	158
Leiophron	43
ater	45
clavipes	45
falcatus	44
Macrocephali Bracones	60
Microdus	141
annulator	152
calculator	144
cingulipes	148
dimidiator	146
gloriator	145
laevigator	150
linguarius	149
mediator	146
nitidulus	144
obscurator	151
punctulator	150
rufipes	146
rugulosus	148
thoracicus	143
tumidulus	147
Microgaster Latr.	159
abdominalis	163
adjunctus	176
affinis	176
albipennis	186
alvearius Sp.	172
analis	180
Aphidum Sp.	171
auriculatus Sp.	171
bicolor	181
circumscriptus	181
connexus	174
deprimator Sp.	164
difficilis	182
dorsalis Sp.	170
emarginatus	182
falcatus	175

	pag.
Microgaster gagates	183
globatus Sp.	163
glomeratus Sp.	179
impurus	187
lacteus	187
marginatus	169
nigricans	167
nigriventris	178
obscurus	182
perspicuus	177
posticus	172
reconditus	174
ruficornis	179
rufipes	164
rugosus	188
rugulosus	163
sericeus	184
sessilis Sp.	185
sordipes Ziegl.	167
Spinolae	166
subcompletus	165
tibialis	168
tristis	168
Ophion inculcator Fabr.	139
longipenne Gravenh.	190
saltator Fabr.	224
Perilitus	29
abdominator	41
aethiops	32
albitarsis	34
chrysophthalmus	34
cinctellus	40
conjungens	33
consimilis	42
consuetor	30
conterminus	32
ictericus	37
obfuscatus	37
pallidus	35
petiolatus	43
rubens	36
ruficeps	39
rutilus	31
scutellator	38
similator	41
terminatus	30
Pfeilträger	307
Rogas	199
alternator	213
annulicornis	201
bicolor	213
bifasciatus	215
chlorophthalmus	202

pag.
Rogas circumscriptus . 216
collaris 204
coxalis . . . 209
cruentus . . . 212
decrescens . . . 220
dimidiatus . . . 214
dissector . . . 208
exsertor 207
gasterator . . . 212
geniculator . . . 211
infirmus . . . 203
linearis 200
luteus 218
marginator . . . 205
mutuator . . . 221
nidulator . . . 204
pallipes . . . 203
praerogator . . . 219
reticulator . . . 211
rugulosus . . . 209
signatus . . . 210
testaceus . . . 215
thoracicus . . . 204
Zygaenae . . . 210
Schlupfwespe, die schwarze etc. De G. . . . 311
Sigalphus Latr. . . 265
alternipes . . . 276
ambiguus . . . 272
annularis . . . 286
annulatus . . . 288
Bonellii 295
carinatus . . . 267
caudatus . . . 268
contractus . . . 298
cylindrus . . . 292
dentator . . . 279
elegans 287
fasciatus . . . 269
fenestratus . . . 292
Gravenhorstii . . 296

pag.
Sigalphus hians . . 273
inanitus . . . 289
irrorator Latr. . . 276
Klugii . . . 285
mandibularis . . . 274
mutabilis . . . 290
obscurator . . . 270
obscurellus . . 270
obscurus . . . 271
oculator . . . 291
oculatus 291
pallipes 270
pellucens 295
planifrons . . . 281
retusus 294
rufescens Latr. . . 279
rufipes Latr. . . . 284
scaber 297
scabrator . . . 297
semirugosus . . . 267
similis 284
striatulus . . . 268
sulcatus 293
Spathius . . . 11
clavatus 12
rubidus . . . 14
Sphex appendigaster Lin. . 312
Stephanus Jur. . . 8
coronatus Jur. . . 8
minutus . . . 254
niger 11
parvulus Gravenh. . 9
Synopsis generum Ichneumonidum Braconoideorum 7
Synopsis generum Ichneumonidum Alysioideorum 198
Vipio guttator Fallén . 179
nominator Latr. . . 125
subcutaneus Fallén . . 185
urinator Latr. . . 119

ADDENDA.

P. 264. Alysiarum expositioni subjungatur:

GENUS V. b.

STREBLOCERA Westwood.

Caput antice bituberculatum. *Antennae* fere longitudine corporis, sedecimarticulatae, articulo primo longo (capite longiori) subtus dente valido armato, secundo brevi apici prioris oblique inserto, tertio paulo majori, quarto etiam oblique inserto, hoc et reliquis filiformibus. *Collare* angustum. *Abdomen* subrhomboideum, pedunculo brevi. *Alae anticae* stigmate magno; *areola marginali* una, brevi; *areola submarginali* prima cum discoidali effusa. — *Westwood Descriptions of several new British forms amongst the Parasitic Hymenopterous Insects. Lond. and Edinb. Phil. Mag. third Series n.* 17. *Nov.* 1833. *p.* 342.

1. STREBLOCERA *fulviceps* Westw.

Str. piceo-nigra nitida, capite fulvo, oculis ocellisque nigris, antennis fuscis articulis tribus basalibus fulvis, pedibus fuscis femoribus fulvescentibus, alarum stigmate nervisque pallide fuscis. Long. corp. lin. 1.

Coombe, Aug. 1833. — *Alysiae* affinis. *Westw. l. c.* Ipse non vidi, nec sufficiunt verba auctoris. Dubito igitur, an justo hoc loco insertum sit genus, singulari antennarum structura quam maxime recedens a reliquis Alysioideis.

P. 304. 2. *Aulacus Latreilleanus. Audinet-Servilleo* judice (*Ann. de la Soc. Entom. de France II.* 3. *p.* 411) synonymon Latreillii, l. c. allatum, ad varietates *Aulaci striati* spectat.

Aulacus Latreilleanus. autem, quem diximus, diversam a Latreilleanis illis speciminibus exhibet speciem, quam auctor clarissimus *Aulacum Patrati* appellavit.

Substituatur igitur l. c.

Aulacus Patrati nostro Aulaco Latreilleano. Synonymis addatur:

Aulaque de Patrat, *Aulacus Patrati*, *Audin-Serv. Ann. de la Soc. Entom. de Fr. II.* 3. *p.* 412. *t.* 15. *f. C.*

P. 305. post lin. 19. inser.

4. Aulacus *fasciatus* Say.

? A. alis violaceis, fascia media hyalina. *Say Contrib. of the Maclurian Lyceum I. p.* 67 (Jan. 1829). — *Audin.-Serv. l. c. p.* 412.

Habitat ad *Ohium* fluvium *Am. sept.*

ERRATA.

P. 103. lin. 22. Skarsin lege: *Skarsine.*

— 107. — 1 u. 2 verba: „Varietatis hujus individuum unum e *Sudetis* a cl. *Manger* transmissum" delenda et in pagina 106 post lin. 17 inserenda sunt.

— 116. — 10 inf. filiformis lege: *filiformibus.*

— — — 2 — foliculisque lege: *folliculisque.*

Augusta Vindelicorum.
Ex officina typographica J. G. Cottae.